

ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
SIGILLVM
VE RI TS



Italy
Catholic Chu

IURIS PONTIFICII
DE PROPAGANDA FIDE

PARS PRIMA

[illegible]

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

[illegible]

RAPHAËLIS DE MARTINIS

[illegible]

Vol. V.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

[illegible]

IUS PONTIFICIUM

DE PROPAGANDA FIDE

SS. D. N. LEONIS XIII. P. M.

IUSSU RECOGNITUM



IURIS PONTIFICII

DE PROPAGANDA FIDE

PARS PRIMA

COMPLECTENS

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

A CONGREGATIONIS INSTITUTIONE AD PRAESENS

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA

AUSPICE

EMO AC RMO DNO S. R. E. CARDINALI

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

CURA AC STUDIO

RAPHAËLIS DE MARTINIS

EIUSDEM CONG. CONSULT. ET MISSIONIS SACERDOTIS ETC.

Vol. V.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCXCIII.

DILECTO FILIO NOSTRO
CAIETANO TIT. S. MARIAE IN COSMEDIN
S. R. E. DIACONO CARDINALI DE RUGGIERO
IN SACRO CONSILIO CHRIST. FIDEI PROPAGANDAE
SUMPTUUM MODERATIONI PRAEFECTO

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quae singularis fuit providentia Decessorum illustrium, sacro isto Consilio condito ampliterque aucto ad christianum nomen in gentibus proferendum, ea usque clarior, iam tria fere saecula, elucet ex constitutionibus et praescriptis quae in eamdem rem tum ipsi Pontifices romani tum ipsum Consilium plurima opportune tulerunt. Ornamento igitur bonoque Ecclesiae ac studiis etiam doctorum hominum plane debebatur, ut illa utriusque generis documenta novà copia et industria rursus ederentur, uno distributa corpore, quod *Ius pontificium de Propaganda Fide* plene referret. — Tale quidem propositum quum primum ab eodem sacro Consilio susceptum est, omni Nos auctoritate auspicioque sumus complexi: rem vero ipsam expectationi respondere Nostrae volumina quatuor probe declarant, quae aliud ex alio oblata accepimus, delectu et ordine rerum, neque minus nitore artis, admodum commendabilia. De quo nunc placet peculiarem tibi comprobationem testari, qui pro munere huic etiam negotio eximia sollertia

praees, atque iustam per te laudem tribuere dilecto filio Raphaëli De Martinis, presbytero Vincentiano, cuius intelligenti iudicio, laboriosisque curis tam densum opus digestum est ac procedit feliciter. — Felicius autem procedat vehementer optamus, atque ad exitum perfectionemque adducatur: in quo sane habebitur et codex optimus legum ad sacras Missiones regendas, et locuples prudentiae sapientiaeque thesaurus, ad rem historicam, canonicam, moralem illustrandam perutilis. Quae omnia tibi, Dilecte Fili Noster, cunctoque isti sacro Consilio gratulantes, ac summam affirmantes benemerendi de rebus vestris voluntatem, Apostolicam benedictionem tibi et singulis eidemque operis curatori peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX. augusti MDCCCXCIII., pontificatus Nostri sextodecimo.

LEO PP. XIII.

IURIS PONTIFICII
DE PROPAGANDA FIDE
PARS PRIMA

GREGORIUS XVI.

An. C. 1831

CONSTITUTIO I.

Franciscum Xaverium a S. Anna, munus missionarii apostolici exercentem apud Vic. Apost. Bombay, Episcopum Amaten. elegit (1).

Dilecto filio Francisco Xaverio a S. Anna fratrum Ord. B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum in provincia Bombay,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi adiuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare.

Electionis conditiones. § 1. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni nostrae reservavimus, decernentes, ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum vero episcopalis Ecclesia Amaten. quae sub Patriarcha Hierosolymitano in partibus infidelium consistit, et cui ven. fr. Ioannes Antonius De Lillo ultimus illius Episcopus praesidebat, per translationem ipsius Ioannis Antonii ad Ecclesiam de Caceres in Indiis solatio Pastoris destituta, nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt nos certiorem, provisionem celerem atque felicem, in qua nemo praeter nos se potuit seu poterit intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et fructuosam cum ven. fratibus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate etiam legitima constitutus existis, quique Institutum fratrum Ord. B. M. V. de Monte Carmelo Excalceator. nuncupat. es professus ac pluribus abhinc annis magna cum laude apud Vicarium Apostolicum Bombay missionarii apostolici munus geris, cuius apud nos de vitae munditia, morum honestate, deque studio in Christianae Religionis et catholicae fidei zelo, ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione fide digna testimonia perhibentur, oculos mentis nostrae direximus. His omnibus mature perpen- An. C. 1831

---

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 50.

sis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem ecclesiam Amaten. de persona tua, nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica tenore praesentium providemus, teque illi in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur, et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Hoc igitur iugum Domini, quod sub obedientiae praecepto te accipere mandamus, tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut Ecclesia Amaten. gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, et tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Praeterea tibi ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus atque indulgemus. Tibi insuper ut a quocumque malueris catholico Antistite, Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente, adcito, et in hoc illi adsistentibus duobus aliis Episcopis vel, quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus, vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti Regularibus similem praefatae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, atque eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a S. Sede propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, praefatum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat plenam harum literarum serie tribuimus facultatem. Volumus tamen, et eadem auctoritate praecipimus, ut nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi ipse Antistes Consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse, quam tu a regimine et adminitratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Derogat contrariis.

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII. martii MDCCCXXXI. pontificatus nostri anno I.

II.

Episcopum Amaten. Vicar. Ap. provinciae Serrae Malabarium constituit (1).

Dilecto filio Francisco Xaverio a S. Anna nuncupato fr. Ord. B. M. V. de Monte Carmelo Excalceator. in prov. Bombay,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quum per dimissionem ven. fratris Milesii Prendergast Episcopi Centuriensis iamdiu factam vacet munus Vicarii Apostolici in Serra Malabarica, quumque ven. frater Maurelius Stabellini Episcopus Dolichensis ac Vicarii Apostolici Bombay Coadiutor, cui interea temporis Vicarii Apostolici Malabariae munus commissum erat omnino, petiisset graves ob causas ab ea regione reverti: nos te, quem hodie Ecclesiae Amaten., quae sub Patriarcha Hierosolymitano in partibus infidelium consistit, in Episcopum et Pastorem elegimus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur, de tua probitate, integritate, doctrina, caritate, prudentia et Christianae Religionis catholicaeque fidei zelo, quae quidem omnia in obeundo praesertim abhinc pluribus

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 51.

annis missionarii apostolici munere apud Apostolicum Bombay Vicarium ostendisti, plurimum in Domino fiduciam habentes de ven. FF. NN. S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio nominare volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, Vicarium Apostolicum praefatae provinciae Serrae Malabarium cum solitis facultatibus ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate apostolica tenore praesentium constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 2. Mandamus propterea ut sub obedientiae praecepto hoc munus ineas, omnibus vero ac singulis ad quos spectat et in futurum spectabit, ut te ad demandatum tibi praesentis Vicarii Apostolici officium illiusque liberum exercitium iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, tibique in omnibus ad idem officium pertinentibus faveant, pareant et assistant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die VIII. martii MDCCCXXXI. pontificatus nostri anno I.

III.

Erectio ecclesiae cathedralis Galviensis, eiusque subiectio iuri metropolitico Archiepiscopi Tuamensis.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Sedium episcopalium erectiones pro gregis dominici commodo et faciliori regimine sancire consueverunt Romani Pontifices, ne impensae, qua premuntur, de salute animarum sollicitudini defuisse viderentur; nosque item, ubi in rei sacrae utilitatem cessura dignoscantur, benignitatis apostolicae providentiam desiderari minime patimur.

Exponitur quomodo Ecclesia Galviensis nullius dioecesis evaserit.

§ 2. Iam usque a quintodecimo saeculo recol. memoriae Innocentius PP. VIII. praedecessor noster gravibus de causis et adiunctis illorum temporum accommodatis apostolicis suis literis datis die octava mensis februarii anni millesimi quadringentesimi octogesimi quarti civitatem Galviam cum suo districtu quondam veluti Nullius censendam esse decrevit, statuitque superiorem ecclesiasticum appellandum esse guardianum, et idcirco districtus ille ex tunc Guardianatus Galviensis fuit vocitatus. Huiusque autem guardianatus instituendi ratio fuerat praecipua, ut Angli eo tempore Galviam incolentes, proprium haberent superiorem ecclesiasticum, simulque immunes ab incursionibus et vexationibus finitimorum hominum, qui tunc Anglis Galviae incolis erant infensi, Anglicanum ritum possent observare. Primariis insuper Anglis Galviam incolentibus, qui tribus et patroni laici fuerunt appellati, guardianum eligendi contulit privilegium, voluitque guardiani munus ad annum dumtaxat perdurare et novam quotannis guardiani fieri electionem; itemque collegiatam ecclesiam sub invocatione Sancti Nicolai Galviae existentem sedem esse quodammodo guardianatus, et quoddam guardiani quasi capitulum efformari a nonnullis sacerdotibus vicariis appellatis, qui una cum guardiano diversas Galviae paroecias tum intra tum extra civitatem administrarent. Horum autem vicariorum electionis privilegium tribuit memoratis patronis laicis, ita ut guardianus electus institutionem a vicariis acciperet et vicarii a laicis patronis electi a guardiano canonice instituerentur.

Memorantur controv. excitatae in causam privileg. guardianatus Galviensis.

§ 3. Graves deinde inter Archiepiscopum Tuamensem et clerum populumque Galviensem circa guardianatus Galviensis privilegia excitatae controversiae clarae memoriae Clementem PP. XII. praedecessorem similiter nostrum adduxerunt ad edendas die vigesima prima aprilis anni millesimi septingentesimi trigesimi tertii apostolicas in forma brevis literas incipientes *Redemptoris*, quae imminuendis saltem incommodis opportune in primis esse

videbantur. Cum enim civitas et districtus Galviensis ad provinciam metropolitanam Cannociensem pertineant, iura metropolitica in illum guardianatum asserta fuerunt, emissa declaratione ad Metropolitanum spectare ius visitationis quolibet triennio faciendae in eo guardianatu, et appellationes a sententia guardiani in secunda instantia excipiendi; exponendo disertius inter caetera et declarando, quod ad asserendam et explicandam guardiani iurisdictionem in primis necessarium erat, ac etiam est sancitum, ut guardiani electio non quotannis, sed quolibet triennio fieret, et collatum munus guardiani ad tres annos in posterum perduraret.

Expositio precum porrectarum ut ecclesia Galviensis ad instar aliarum Hiberniae redigeretur.

§ 4. Frequentes in posterum ad hanc Sanctam Sedem allatae fuerant querelae, ex quibus apparebat valde difficile evasisse, ea in electionibus guardiani et vicariorum servare, quae ad negocium eiusmodi cum vera Ecclesiae utilitate peragendum necessario servari debent. Tales profecto literae non solum a Cannociensis provinciae, sed etiam a reliquarum Hiberniae provinciarum Episcopis scriptae ac probatae, ad hanc sacram Congregationem de Propaganda Fide fuerunt missae, quibus exponebantur rationes omnes gravissimae requirentes omnino, ut ad religionis catholicae bonum civitati et districtui Galviensi procurandum ecclesiastica illius regionis negocia Sedes Apostolica componenda susciperet, quoniam eas causas, quae laudatum Pontificem Innocentium ad illum guardianatum instituendum adduxerant, iam amplius non adesse luculenter ostendebant, et ius seu privilegium electionum ab eo concessum, atque a Clemente PP. XII. confirmatum, ita irregulariter exerceri dictitabant, ut maximae civium parti omnino incongruum videretur, nec posset sine ambitu et sine turbis effectum suum sortiri. Talis demum omnium rerum est facta expositio, ut aperte constiterit ad catholicae religionis utilitatem, ad ecclesiastici ordinis servandum decus ac disciplinam, ad totius gregis curam spiritualem salubrius gerendam necesse fore Galviam eiusque districtum ad eam ecclesiastici regiminis formam perducere, quae universalis Ecclesiae disciplinae ac regimini per cunctas Hiberniae partes prorsus esset consentanea.

Continuatio precum.

§ 5. Id autem non aliter effici posse, nisi Galviam in propriam episcopalem dioecesim a caeteris omnibus distinctam erigendo, tum cleri tum populi Galviensis omnes ordines declararunt.

Renunciatio emissa ab Episcopo Bromorensi.

§ 6. Hunc in finem sa. me. Pius VIII. itidem praedecessor noster ven. fratres Thomam Kelly Episcopum Bromorensem ac Guillelmum Crolly Episcopum Dunensem et Cannorensem de praefatae Congregationis consilio Galviam misit cum suis in forma brevis apostolicis literis datis die sextadecima iunii anno millesimo octingentesimo trigesimo, quibus ostendebatur, praefato Bromorensi Episcopo una cum memorato Episcopo Dunensi et Connorensi munus ab Apostolica Sede fuisse collatum, ut conciliatoris munere fungens ecclesiastica Galviensis districtus negocia opportuna methodo componenda curaret: quod sibi feliciter contigisse item Thomas Episcopus renunciavit binis epistolis datis decima tertia et vigesima secunda diebus superioris octobris, asserendo universorum ordinum ipsius civitatis erga Sedem Apostolicam singularem observantiam ardensque desiderium propriam habendi sedem episcopalem Archiepiscopo Tuamensi suffraganeam, ut sublata hoc pacto veteris ecclesiastici regiminis forma ibi vigente gravia usque adhuc perpessa incommoda in posterum evitentur.

Tenor erectionis novae ecclesiae.

§ 7. Nos igitur accepto voto memoratae sacrae Congregationis de Propaganda Fide, et admissa guardianatus Galviensis dimissione sponte facta a ven. fratre Edmundo French Episcopo Buacensi et Finaborensi ad suas dioeceses sese conferendo parato, ac insuper inspecta tum praedicti guardiani French, tum patronorum laicorum, seu tribuum Galviensium, summa cum laude peracta renunciatione privilegiorum, quae hactenus in guardiani et vicariorum electionibus obtinuerant, simulque reliquorum ordinum civium Galviensium, de rebus ecclesiasticis feliciter absolvendis concordi animo, sollicitudine, omnibusque plenarie ac rite perpensis, ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praevia suppressione, extinctione et annullatione supradictorum guardianatus et vicariatuum Galviensium, firma tamen possessione paroeciarum a modernis vicariis respective obtentarum, collegiatam ecclesiam Galviensem sub invocatione Sancti Nicolai ad gradum cathedralis ecclesiae evehimus et extollimus, illamque metropolitico iuri pro tempore existentis

Archiepiscopi Tuamensis uti suffraganeam subiicimus, ac in ea sedem, cathedram et dignitatem episcopalem pro uno deinceps Episcopo Galviensi nuncupando, qui dioecesim habeat ex ipsa civitate ac districtu Galviensi efformandam, qui ecclesiae, civitati et dioecesi Galviensi praesit ac omnia et singula iura, officia et munia episcopalia exerceat, eadem apostolica auctoritate erigimus et constituimus.

Facultas tributa Episcopo stabiliendi capitulum cathedrale.

§ 8. Futuro interea Episcopo Galviensi facultatem tribuimus novum cathedrale capitulum stabiliendi, iis modo et forma, quibus pro suis iudicio et prudentia magis in Domino expedire iudicaverit.

Dotatio mensae episcopalis.

§ 9. Ut autem congruae ac decenti pro tempore existentis Episcopi Galviensis sustentationi et pastoralium munerum commodo exercitio consulatur, prae oculis habentes eiusdem episcopatus annuos redditus ad biscentum dumtaxat libras monetae Anglicanae posse aestimari, et ideo valde aequum esse alia ipsi comparare subsidia, decernimus, ut cum Episcopo Galviensi mos ille servandus sit, quem Apostolica Sedes erga reliquos Hiberniae Episcopos servat, aliquam scilicet paroeciam tamquam mensalem iis conferendo, quo possint ex parochialibus redditibus temporalibus occurrere necessitatibus. Atque idcirco parochialem Ecclesiam Galviensem de Rahoon nuncupatam, a supramemorato praesule French in praesens obtentam et ab eo resignandam cum ad proprias dioeceses sese conferat, reservata sibi vita sua naturali durante pensione annua respondente tertiae parti fructuuum vel reddituum ipsius paroeciae, illam futuro Episcopo Galviensi una cum episcopali ecclesia retinendam pari apostolica auctoritate ex nunc pro tunc conferendas statuimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 10. Praesentes vero literas, et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut quolibet alio quantumvis substantiali defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari minime posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, et ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, observari debere, et si secus super his a quoquam contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus laudatorum Innocentii VIII. et Clementis XII., aliorumque Romanorum Pontificum literis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque etiam speciali et individua mentione dignis contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum suppressionis, erectionis, statuti, facultatis, decreti, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae MDCCCXXXI., VI. kalendas maii, pontificatus nostri an. I.

IV.

Deputat visitatorem apostolicum, qui nomine S. Sedis gubernium assumat ecclesiae et dioecesis Naxiensis.

**Venerabili fratri
Lucae de Sigala Episcopo Sancterinensi,**

GREGORIUS PP. XVI.

**Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium.

§ 1. Pastorale officium nobis ex alto commissum nihil nos magis sollicitat, quam christifidelibus, ut in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam animarum suarum assequendam salutem opportunis praesidiis adiuventur, omni quo cum Domino possumus studio providere.

Ratio concessionis.

§ 2. Cum nobis relatum sit dioecesim Naxiensem in eo deplorando versari statu, ut apostolico nostro sollicito indigeat adiumento, opportunum visum est nobis, ne gravia in dies detrimenta res ibidem sacra pati possit, visitatorem apostolicum in ea constituere, qui ad maiora praecavenda mala nomine huius S. Sedis procurationem illius ecclesiae in spiritualibus et temporalibus gerat.

Deputatio visitatoris.

§ 3. Nos igitur audita relatione secretarii Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, de te, venerabilis frater, ob spectatam pietatem, doctrinam, prudentiam, aliasque virtutes, quibus te praeditum esse novimus, specialem in Domino fiduciam habentes, teque a quibusvis excom-

municationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te in visitatorem apostolicum memoratae Naxiensis archidioecesis cum omnibus et singulis facultatibus huic muneri attributis, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, auctoritate apostolica tenore praesentium eligimus et deputamus.

Mandatum de parendo.

§ 4. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompte pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXXI. maii MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

V.

Deputat visitatorem apostolicum Ecclesiae Smyrnensis.

Ven. fratri Carolo Iosepho Mariae Augusto de Forbin Janson Episcopo Nanceyensi et Tullensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§ 1. Magno animi nostri moerore accepimus archiepiscopalis Ecclesiae Smyrnensis eam esse iamdiu conditionem et statum, ut peculiarem nostram sollicitat curam, auctoritatemque apostolicam reposcit, qua abusus omnes tolli, religionis bonum impensius procurari, atque omnia ad rectum ordinem perduci queant. Hisce proinde malis medendis nil opportunius excogitare potuimus, quam tuae perspectae fidei, prudentiae, doctrinae et integritati id operis committere.

Tenor concessionis.

§ 2. Quapropter te a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, nostra te auctoritate quaesitorem, sive, ut dicitur, visitatorem apostolicum, ecclesiae archiepiscopalis Smyrnensis cum iis facultatibus, quae per eorumdem Cardinalium Congregationis epistolam seu instructionem tibi tribuentur, dicimus et constituimus. Praecipimus vero omnibus quibus praecipi est opus, ut cum obsequio huic Apostolicae Sedi debito tuis iussis ac monitis audientes sint.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Haec mandamus et constituimus, decernentes has literas firmas validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, tibique in iis quorum mentio est habita plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus costitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die I. iulii MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

VI.

Deputat visitatorem apostolicum, ut in regionibus Mexicanis regularium omnium disciplina reintegrari possit.

Ven. fratri Francisco Paulo Episcopo Angelopolitano, visitatori et delegato apostolico Regularium in Mexicanis regionibus,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Dominici gregis custodia, ad quam pastorali ministerio in universam Christi Ecclesiam infirmitati nostrae collato adstringimur, cum nullis nos ovium necessitatibus deesse sinat, tum maxime requirit, ut earum spirituali prospiciamus incolumitati, quarum pars selectior in coelestis patrisfamilias caula diligentiori studio iampridem exculta, dudum ab ovili exturbata, in montibus errans, de vero ac legitimo pastore incerta, eiusque vocem non audiens, in deterrimum aeternae vitae periculum versatur.

Tenor concessionis.

§ 2. Novimus sane regularia virorum instituta, quae apud florentissimas Mexicanas regiones magno in honore ac pretio iamdiu habebantur, et quorum alumni morum integritate et vitae sanctimonia quamplurimum commendabantur, calamitate temporum ab avito splendore defecisse, et ipsos sanctuarii lapides in capite omnium platearum fuisse dispersos. Hinc claustralis disciplinae legum obliteratio ac pene eversio; hinc regularis hierarchiae perturbatio et a praepositorum maiorum potestate subductio; hinc legitimi regiminis ordinisque ab apostolicis constitutionibus et sacris canonibus constituti nutans ratio, atque praesulum ipsorumque provincialium comitiorum non satis firma auctoritas. Unde et in bonis gravissimae conscientiarum angustiae, et in malis effrenata morum depravatio, nec non scandalum ubi oportuerat esse aedificatio, atque squallor et infirmitas, ubi peti debuerat consolatio et auxilium. Haec igitur attendentes, et apostolicae servitutis nostrae officio obsequentes, cum gravissima urgente necessitate consilium iniverimus diuturnae nonnullarum in huiusmodi regionibus ecclesiarum viduitati opitulandi, rati profecto sumus, earum bono non satis provisum, nisi sollicitudo nostra pastoralis in praefatis et collabentia regere, et collapsa reficere, ac reparare conaretur. At ne in tanta locorum distantia et regularis disciplinae perturbatione frustra conaremur, de consilio selectae congregationis quorumdam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacrae theologiae et iuris canonici scientia, nec non rerum ecclesiasticarum gerendarum peritia praestantium, visitatorem ac delegatum apostolicum in iisdem Mexicanis regionibus super eorumdem regularium negotiis constituere decrevimus, et fraternitatem tuam, de cuius pietate, doctrina et prudentia quamplurimum confidimus, ad huiusmodi officium deputare, ut tamquam visitator et Apostolicae Sedis ac nostri delegatus apostolicam in praemissis exerceas auctoritatem, eaque pro spirituali eorumdem regularium bono utaris.

Nominatio visitatoris.

§ 3. Quamobrem, venerabilis frater, te per praesentes nostras literas apostolica auctoritate, ad nostrum et Sanctae Sedis beneplacitum, in delegatum et visitatorem apostolicum omnium et singulorum conventuum, coenobiorum, hospitiorum, collegiorum, eremorum et generatim quarumcumque domorum intra Mexicanae ditionis confinia, scilicet in archidioecesi Mexicana ac dioecesibus Tlascalensi, de Autequarra, de Chiapa, de Linares, de Guadalaxara, de Durango, de Sonora, Mecoacan et Tucatan extantium, in quibus sive permanenter, sive per aliquod etiam breve et brevissimum tempus sint et commorentur viri religiosi cuiuscumque ordinis et congregationis, etiamsi eremitarum vel oblatorum nomine appellentur, qui regularem vivendi rationem quomodolibet profiteantur, et habitu utantur regulari, eligimus, constituimus et deputamus, omni prorsus exemptione sublata in favorem praedictorum religiosorum, sive a S. Sedis privilegio, sive a canonibus conciliorum, sive a constitutionibus et regulis peculiaris alicuius instituti originem trahente, quam exemptionem durante praesenti apostolica delegatione et visitatione omnino suspendimus.

Derogatio exemptionum, immunitatum, et privilegiorum, et praeceptum de parendo.

§ 4. Quapropter eadem auctoritate quascumque exemptiones atque immunitates et privilegia pro impedienda aut retardanda vel imminuenda praesentium literarum exequutione allegari a quocumque prohibemus et interdicimus. Praeterea eadem apostolica auctoritate, omnibus et singulis regularibus in Mexicana ditione extantibus, etiam superioribus eorumque officialibus et ministris, non exclusis syndacis apostolicis in ordine mendicantium, in virtute s. obedientiae praecipimus, ut te uti nostrum delegatum et visitatorem

apostolicum agnoscant, recipiant et revereantur; tibique debitum praestent obsequium, sublata cuicumque, superioribus etiam cuiuscumque regularis instituti generalibus, potestate quidpiam per se vel per alios sive in scriptis sive voce mandandi, consulendi, aut decernendi, quod vel retardare vel imminuere vel quomodolibet directe vel indirecte attenuare possit huius delegationis vel visitationis exequutionem.

Declaratio facultatum visitatori concessarum.

§ 5. Fraternitati autem tuae in primis in eosdem regulares in praefatis coenobiis seu domibus existentes, omnem illam auctoritatem concedimus, qua pollent generales singulorum regularium institutorum superiores, proindeque in eos eam licite ac valide tam pro exteriori quam pro interiori conscientiae foro iurisdictionem exercere tibi fas erit, quae et ipsis superioribus rite ac iure competebat. Deinde specialem tibi elargimur facultatem sanandi et confirmandi omnia et singula acta capitulorum provincialium, quae usque nunc perhabita sunt, etiam quoad graduum collationem, quatenus in his celebrandis conficiendisque saltem substantialia servata sint, quae a sacris canonibus et regularis uniuscuiusque instituti constitutionibus praescribuntur, quod si secus attentatum fuerit, ea nulla ac invalida declarandi, tuique muneris erit ad sacrorum canonum et earumdem constitutionum praescriptam formam reducendi ac praesertim omnia iuxta decretum de regularibus a sacrosancto Concilio Tridentino sessione vigesima quinta editum componendi. Nolumus tamen aliqua te uti iurisdictione et facultate in moniales, nisi in eas quae regularium praelatorum potestati subiiciebantur, quatenus ob eorum defectum opus sit, salvo prorsus iure atque auctoritate, in reliquas ad formam eiusdem Tridentini decreti, singulorum ordinariorum quorum subiiciuntur iurisdictioni. Atque ut fraternitas tua malis, si quae apud eosdem regulares inveneris, salutaria remedia adhibere valeat, auctoritate apostolica facultatem tibi concedimus tum professiones non rite emissas, tum electiones a provincialibus vel a peculiarium coenobiorum seu domorum superioribus non legitime factas penitus sanandi, nec non dispensandi per condonationem seu compositionem, prout magis tibi in Domino videbitur, super missarum etiam manualium oneribus, quibus non fuerit satisfactum, atque reducendi seu imminuendi gravi de causa, eaque permanente, servato modo et forma a fel. rec. Benedicto XIV. praedecessore nostro in suo opere de synodo dioecesana lib. 13, cap. 25, tradita pro futuris temporibus quaelibet onera missarum ad pia legata seu cappellanias spectantia, et absolvendi a censuris, quas circa eadem missarum onera regulares forsan contraxerint; itemque absolvendi eosdem a censuris contractis tum ob donationes, venditiones, permutationes et alias quascumque alienationes rerum ad regulares domos seu conventus vel ad singulos ipsos religiosos pertinentium, tum ob simonias quocumque modo admissas in superiorum electionibus perficiendis. Ex his profecto intelligis, ven. frater, huiusmodi munus et officium tibi eo consilio nos credidisse, ut in praefatis regionibus regularem instaures disciplinam, atque abusus, si qui in eam irrepserint, divellas; id vero ut facilius assequaris propositoque nostro apprime respondeas, potestatem tibi facimus assumendi viros religiosos, probitate morum, doctrina, prudentia ac gerendarum rerum peritia commendatos, quorum vicaria opera in his vel universim vel ad singulos casus utaris apud eas regulares singulares domos seu conventus, ad quos te personaliter accedere, sive locorum distantia, sive aliud quodvis impedimentum minime patitur; proindeque tibi fas erit, tam per te, quam per huiusmodi vicarios, visitare in spiritualibus aeque ac in temporalibus seu oeconomicis omnia et singula coenobia, conventus, hospitia, collegia, conservatoria, eremos et alias domus quascumque regularium, seu ad qualemcumque regularem ordinem pertinentes, dummodo in praefata Mexicana ditione existant, facultatesque, de quibus supra, vel per teipsum exercere, vel eas praedictis vicariis subdelegare, tam in singulis casibus in quibus opus fuerit, quam universim pro brevi temporis spatio arbitrio tuo definiendo, ita tamen ut de earum usu rationem tibi reddere debeant, idque delegationis seu visitationis apostolicae actis consignandum: volentes te tuosque vicarios sive subdelegatos in eiusmodi actis ac facultatum usu et exercitio declarare auctoritate apostolica peregisse.

Lex visitatori imposita referendi Sanctae

§ 6. Praeterea minime dubitantes, quin et tu consilium nostrum adamussim as-

Sedi acta expleta.

sequaris, expectationique nostrae plene respondeas, ac sedulo recogitans et ipsos veteres christianos ex remotissimis regionibus, teste Cypriano martyre, « navigare » ausos ad Petri cathedram atque ad Ec» clesiam principalem, unde unitas sacer» dotalis orta est » respicientes in ea natalem fontem ad quem necesse est omnem convenire Ecclesiam, non omittas de re universa nos certiores facere, difficilioribusque in negotiis, ex more institutoque maiorum, Sedem Apostolicam consulere; sed et districte tibi praecipimus, ut singulis bienniis eamdem Sedem Apostolicam, quemadmodum haec se habeant, diligenter doceas, ad eam missis delegationis seu visitationis apostolicae actis, cum iis animadversionibus, quas fraternitas tua ad ipsam Sedem in eisdem recte certiorandam opportune duxeris adiungendas. His igitur, ven. frater, te praemuniendum duximus, pro spirituali bono illorum regularium, quos respicit apostolicum ministerium, quod tibi demandavimus, atque ex his quodammodo metiri poteris tum magnitudinem studii aeternae earum salutis procurandae, quo urgemur, tum fiduciam, quam in tua doctrina ac prudentia collocavimus. Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, det illis intellectum in his omnibus, ut per ea possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.

Fides habenda transumptis.

§ 6. Hinc volumus, ut praesentium literarum exemplis etiam impessis, manu tamen tua subscriptis ac sigillo munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae nostrae voluntatis significationi hisce literis ostensis haberetur, atque interim coelestis auxilii auspicem, nostraeque benevolentiae pignus, apostolicam benedictionem fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XIX. iulii MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

VII.

Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui interfuerint missae Conceptionis celebrandae in conventu Sancti Didaci civitatis Sanctae Fidei de Bogota in America.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus filius Angelus Ley conventus S. Didaci fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de observantia Recollectorum nuncupatorum, ut asseritur, superior, in ecclesia dicti conventus civitatis Sanctae Fidei de Bogota in Americà missa Conceptionis beatae Mariae Virginis immaculatae ordinis propria quibusdam anni diebus, ut moris est, celebrari soleat, nobis idcirco supplicari fecit exponens praefatus, quatenus praedicti ordinis regulares missae huiusmodi celebrationi assistentes, aliosque utriusque sexus christifideles eidem interessentes, aliquo indulgentiarum dono locupletare de apostolica benignitate dignaremur:

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur eorumdem regularium dictorumque christifidelium erga Deiparam sine labe conceptam devotionis pietatisque augumentum animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris procurare cupientes, dicti exponentis supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, deque omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis dicti ordinis regularibus in praefato conventu nunc et pro tempore degentibus, aliisque utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui missae Conceptionis beatae Mariae Virginis immaculatae eiusdem ordinis propriae, quandocumque in ecclesia praedicta civitatis praefatae celebrabitur, devote adstiterint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XIX. iulii MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

VIII.

Confirmat praedecessorum constitutiones quibus cautum habetur, ne quid iuris quisque sibi asserat ex titulis quomodocumque eisdem tributis in literis, constitutionibus, aliisque actibus nomine S. Sedis expeditis.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Sollicitudo ecclesiarum, qua Romani Pontifices ex commissa sibi divinitus christiani gregis custodia assidue urgentur, eo ipsos impellit, ut quod in terrarum gentiumque omnium orbe ad rectam rei sacrae procurationem, atque ad animarum salutem magis expediat, nitantur impense conciliare. Ea tamen identidem est temporum conditio, eae in imperio statuque civitatum vicissitudines commutationesque, ut inde praepediantur ipsi haud raro, quominus spiritualibus populorum necessitatibus prompte libereque subveniant. Potest enim ab iis potissimum, qui secundum elementa mundi sapiunt, rapi in invidiam auctoritas eorumdem, quasi studio partium permoti iudicium quodammodo de personarum iuribus ferant, si pluribus de principatu contendentibus quidpiam ipsi pro illarum regionum ecclesiis, ac praesertim ad earum Episcopos adsciscendos decernant, re cum iis collata, qui actu ibidem summa rerum potiuntur. Infestam hanc perniciosamque suspicionem omni fere aetate insectati sunt Romani Pontifices, quorum tanti interest, ipsius fallaciam patefieri, quanti stat aeterna illorum salus, quibus ob id causae opportuna denegentur, vel saltem diutius, ac par est, differantur auxilia.

Memorantur praeced. constitutiones.

§ 2. Huc sane dumtaxat spectavit felicis recordationis praedecessor noster Clemens V. qui in generali Viennensi concilio saluberrima constitutione cautum edixit, ut si quem summus Pontifex sub titulo cuiuslibet dignitatis ex certa scientia, verbo, constitutione vel literis nominet, honoret, seu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligatur, aut quicquam ei tribuere novi iuris (1).

§ 3. Id et luculentissime testatus est Ioannes XXII., quando ad Robertum Brusium, qui regem Scotorum agebat, literas concordiae causa se dare scripsit sub regia intitulatione, probe gnarus, per eam ex Clementinae constitutionis praescripto nec iuri regis Angliae detrahi, nec ipsi novum aliquod ius acquiri. Quod nedum binis ad ipsum Robertum literis denunciavit, sed et epistola officii plena expresse admonuit Eduardum Angliae regem, cum quo de Scotiae dominatu contentio illa fervebat, ne scilicet per huiusmodi intitulationem censeret quidpiam alterutrius iuri vel accrevisse vel esse detractum (2). Idem ut supra.

§ 4. Nec absimili consilio Pius II. usus est, quando de Hungarorum principatu inter imperatorem Fridericum et Mathiam Ioannis Huniadis filium dimicabatur. Respondit quippe, illum a se ex more nuncupari regem, qui regnum teneret, quo actu nulli inquit detrimentum se arbitrari illatum (3). Idem ut supra.

§ 5. Hanc porro agendi rationem, quam ab Apostolica Sede vel a priscis temporibus sevatam novimus, constitutione, quam in perpetuum valituram et irrefragabilem dixit, ratam habuit Xistus IV. fel. rec. pariter praedecessor noster, atque speciatim confirmavit, ut nimirum si qui pro regibus, aut in aliqua dignitate constitutis a Romanis Pontificibus recepti, nominati aut tractati fuerint tam per se, quam per nuntios, aut ipsimet se nominaverint, et ab aliis quibuslibet pro talibus nominati, recepti, vel tractati fuerint, ac si personaliter, aut per eorum oratores in consistoriis, vel aliis quibuslibet actibus collocati, vel admissi etiam coram Pontifice extiterint, nullum ipsis ex similibus actibus in regnis et dignitatibus huiusmodi ius quomodolibet de novo acquiratur vel aliis ius habentibus praeiudicium aliquod inferatur (4). Idem ut supra.

§ 6. Hinc ad praestitutam hisce constitutionibus normam superiori saeculo Clemens XI. immortalis memoriae Pontifex nedum titulo catholici regis sere- Idem ut supra.

(1) Cap. Si Summus Pontifex. De sententia excommunicationis in Clement. Vide apud Labbaeum acta Concilii Viennensis circa finem.

(2) Extant tres in eam rem epist. Ioannis XXII. apud Raynaldum ad annum MCCCXX. § 40, 41, 42.

(3) Apud Raynald. ad an. MCCCCLIX. § 13.

(4) Xistus IV. constitut. *Hac in perpetuum* kal. feb. MCCCCLXXV.

nissimum Austriae Archiducem Carolum nuncupavit, sed et iurium illi adnexorum usum, quoad ditiones, quas tenebat, seu forsan ipsum de caetero tenere contigisset, minime in posterum se denegaturum monuit, diserte in consistorio professus, se praenunciatas praedecessorum constitutiones adprobare et innovare, ut ita iura eorum praesertim, qui de Hispanici regni successione contendebant, aequaliter salva remanerent (1).

Ratio concessionis.

§ 7. Verum si hoc fuit semper in more positum institutoque Apostolicae Sedis, sub memoratis conditionibus rectae sacrarum rerum procurationi ubique instare, quin ulla inde pro cognoscendis decernendisve dominantium iuribus sancita censeretur dispositio; id certe multo magis in tanta rerum publicarum mobilitate, atque in crebris ipsarum conversionibus curandum nobis est, ne humanis ex rationibus deserere quodammodo ecclesiae causam videamur.

Tenor declarationis.

§ 8. Quare, audita selecta venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregatione, de apostolicae potestatis plenitudine, motu proprio, ac de matura deliberatione, praedictam constitutionem felicis recordationis Clementis V. praedecessoris nostri, quam occasione non absimilium super aliquo principatu contentionum caeteri praedecessores nostri Ioannes XXII., Pius II., Xistus IV. et Clemens XI. approbarunt et innovarunt, exemplis eorumdem inducti, iisque prorsus inhaerentes, similiter approbamus, ac denuo sancimus, declarantes pro futuris quoque temporibus, quod si quis a nobis vel a successoribus nostris, ad spiritualis ecclesiarum fideliumque regiminis negotia componenda, titulo cuiuslibet dignitatis etiam regalis ex certa scientia, verbo, constitutione vel literis, aut legatis quoque hinc inde oratoribus nominetur, honoretur, seu quovis alio modo actuve, quo talis in eo dignitas facto agnoscatur, aut si easdem ob causas cum iis, qui alio quocumque gubernationis genere rei publicae praesunt, tractari aut sanciri aliquid contigerit, nullum ex actibus, ordinationibus et conventionibus id generis ius iisdem attributum, acquisitum probatumque sit, ac nullum adversus caeterorum iura et privilegia ac patronatus discrimen, iacturaeque et immutationis argumentum illatum censeri possit ac debeat: quam quidem de iurium partium incolumitate conditionem pro adiecta actibus istiusmodi habendam semper esse edicimus, decernimus et mandamus, illud iterum nostro ac Romanorum Pontificum successorum nostrorum nomine denunciantes, in huiuscemodi temporum, locorum personarumque circumstantiis ea tantum quaeri, quae Christi sunt, atque unice, veluti susceptorum consiliorum finem, ea ob oculos versari, quae ad spiritualem aeternamque populorum felicitatem facilius conducant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 9. Decernentes hasce literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab eis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere: in contrarium facientibus etiam expressa, specifica et individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, sanctionis, declarationis, denunciationis, decreti, mandati ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo primo, nonis augusti, pontif. nostri anno primo.

IX.

Insulae Mauritii, loco Eduardi Bedae Slater, Iacobum Bramston visitatorem ap., iuxta modum, eligit (2).

Ven. fratri Iacobo Bramston Episcopo Usulano Vicario Apostolico Londinensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Electionis rationem exponit.

§ 1. Quum ob peculiares rerum circumstantias religionis catholicae bono expedi-

---

(1) Ita oratione consistoriali habita in consistorio die XIV. octobris. MDCCIX.

(2) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 58.

re videatur, ut ven. frater Eduardus Beda Slater Apostolicus Vicarius in Insula Mauritii, aliarumque regionum, quarum spiritualis cura eidem Vicario Apostolico demandata est, a memorata Insula discedat, utque illius Vicariatus Visitator Apostolicus cito deputetur:

Visitatorem designat.

§ 2. Nos idcirco pro commissi nobis divinitus pastoralis officii cura, ne quid desit illarum partium assistentiae spirituali, quantum nobis ex alto conceditur, extraordinario modo huic gravis momenti negotio consulere statuimus, tibique, de cuius probata pietate, prudentia, fidelitate ac Religionis zelo satis superque indubia perhibentur testimonia, provisionem modo et forma infradicendis committere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide consilio, tibi, ven. frater, facultates necessarias et opportunas quarum vi sacerdotem quem doctrina, prudentia, morum integritate ac pietate praeditum in Domino iudicaveris, in Episcopum Ecclesiae Trojan. Asiae Minoris in Phrygia in partibus infidelium vacan. per translationem ven. fratris Ioannis Neusehell ad Ecclesiam Guastallensem, auctoritate nostra apostolica renunties atque eligas, illique sic electo postquam ab eo professionem catholicae fidei iuxta articulos ab hac Sancta Sede propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum receperis, munus consecrationis dicta nostra auctoritate impendere licite valeas, accitis et in hoc tibi assistentibus duobus Episcopis, vel, illis deficientibus, eorum loco duobus presbyteris saecularibus vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti Regularibus praefatae huius S. Sedis gratiam et communionem habentibus, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur. Ac praeterea eidem Episcopo sic electo dicta nostra auctoritate concedas ut ad ecclesiam praedictam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime teneatur.

Electionis conditiones.

§ 3. Volumus tamen eademque auctoritate praecipimus, atque decernimus, ut nisi receptis ab eo per te ipsum iuramento et professione fidei huiusmodi, tu consecrationis munus dicto Episcopo eligendo impendere, illeque dictum munus suscipere praesumpseritis, tu a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris die IX. augusti MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

X.

Episcopalem ecclesiam Galviensem providet in persona Gregorii Browne (1).

Dilecto filio Gregorio Browne Elphinen. Dioecesis etc.,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi adiuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et gubernare. Dudum siquidem Ecclesiarum omnium sic vacantium quaeque in posterum vacaturae ordinationi et provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 59.

De nominatione rationem reddit.

§ 2. Per alias nostras apostolicas sub plumbo expeditas literas, nova episcopali Sede Galviense sub provincia Connaciensi in Hibernia nuper erecta, eidem ipsi auctoritate nostra apostolica dilectum filium Nicolaum Foran presbyterum Waterfordiensis dioecesis praeficimus, datis idcirco aliis nostris apostolicis in simili forma Brevis expeditis litteris die XXVII. aprilis vertentis anni. Quum autem ipse Nicolaus episcopalem dignitatem reformidans episcopatus renuntiationem nobis obtulerit, quemque ob gravissimum morbum in quem deinde incidit spes ulla supersit, fore ut ad episcopatum acceptandum possit adduci, nos rursus ad huiusmodi episcopalis ecclesiae provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter nos se potuit seu potest intromittere, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, renuntiationem memorati presbyteri Nicolai Foram libere factam admittentes et accipientes, ad te qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate etiam legitima constitutus existis, cuius apud nos de morum integritate, doctrina, prudentia caeterisque ornamentis Episcopo dignis fide digna perhibentur testimonia, oculos mentis nostrae direximus, atque omnibus debita ratione pensatis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem episcopalem ecclesiam Galviensem de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium providemus, teque illi in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem huius ecclesiae tibi in spiritualibus et corporalibus plenarie committendo, in Illo qui dat gratias et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praedicta ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigatur, grataque in spiritualibus et temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat.

Ad bonum regimen electum exhortatur.

§ 3. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praedicta gaudeat se provido gubernatori ac fructuoso administratori esse commissam, et tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Caeterum ad ea quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum favorabiliter respicientes, tibi ut a quocumque quem malueris Catholico Antistite Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente, accitis et ad hoc ei assistentibus duobus aliis Episcopis vel, quatenus hi commode reperiri non poterunt, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti Regularibus praedictae huius Sedis gratiam et communionem pariter habentibus, munus consecrationis recipere libere ac licite possis et valeas, ac eidem Antistiti ut, receptis a te prius Catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a Sede nostra propositos ac nostro ac Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, praedictum munus tibi auctoritate nostra licite valeat, eadem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem.

Conditiones electionis.

§ 4. Volumus tamen, eademque auctoritate praecipimus atque mandamus, ut nisi receptis a te prius per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi ipse Antistes Consecrationis munus tibi impendére, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a Pontificalis officii exerctio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVIII. augusti MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

XI.

Deputat visitatorem apostolicum pro inquisitione status coenobii et collegii fratrum minorum Sancti Francisci Reformatorum in Sancto Petro in Montorio urbis.

Dilecto filio nostro Iacobo Philippo S. R. E. presbytero Card. Fransoni nuncupato,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio deputationis visitatoris.

§ 1. Volentes nos sacrae visitationis inquisitione statum coenobii et collegii fratrum minorum Sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum in Sancto Petro in Montorio urbis perspicere, et de tua prudentia, doctrina, religione, et rerum usu plurimam in Domino fiduciam habentes, te, dilecte fili noster, in visitatorem apostolicum coenobii et collegii praedictorum cum omnibus et singulis facultatibus, iuribus, et indultis huic muneri adnexis, auctoritate apostolica tenore praesentium ad nostram et Sedis Apostolicae arbitrium eligimus et deputamus.

Praeceptum de parendo.

§ 2. Quocirca universis ac singulis dictorum coenobii et collegii superioribus, et fratribus, aliisque ad quos spectat ac quomodolibet spectabit, in virtute sanctae obedientiae praecipimus atque mandamus, ut te visitatorem apostolicum per nos iuxta tenorem praesentium electum et constitutum omni cum reverentia excipiant, tibique pareant, faveant et assistant.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non dictorum coenobii et collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXX. augusti MDCCCXXXI., pontificatus nostri an. I.

XII.

Privilegia concessa sodalitati Sancti Dominici civitatis Fluminis Ianuarii in Brasiliae regno confirmat.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Piorum hominum societates ad fovendum Dei obsequium, ad christianae charitatis opera exercenda provido consilio institutas, gratiis et indultis quibus possumus amplissimis libenter prosequimur, prout rerum ac temporum ratione perpensa conspicimus pro maiore Dei gloria salubriter expedire.

Expositio precum.

§ 2. Itaque, quum in urbe Fluminis Ianuarii, quae Brasiliae caput, sodalitas Sancti Dominici (quemadmodum expositum est) in sua ecclesia rite fuerit erecta, eiusque sodales enixe cupiant, ut eadem ipsa tertio ordini Sancti Dominici adscribatur, atque huiusce ordinis privilegiis perfruatur, itemque facultate instruatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum in eorum ecclesia perpetuo asservandi, ac missas Sancti Dominici, etiam si eius festum in alium diem transferatur, celebrandi: suppliciter a nobis petierunt, ut hisce in rebus apostolicam nostram opem veniamque largiri velimus.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur eorum votis benigne annuentes, atque ad huius sancti patriarchae cultum, uti eius sacrae familiae alumni desiderant, magis magisque promovendum, oratores aliosque omnes quibus hae literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, arbitrio venerabilis fratris Episcopi S. Sebastiani et Fluminis Ianuarii committimus et mandamus, ut, si ita se res habent prout expositae, ac servatis iis quae servari opus est, auctoritate nostra apostolica sodalitas Sancti Dominici in sua ecclesia istius urbis Fluminis Ianuarii erecta ad sodalitatem tertii ordinis Sancti Dominici evehatur, eiusque indulgentiis tum plenariis tum partialibus, privilegiis, honoribus, indultis quocumque nomine nuncupandis omnino perfruatur. Concedimus deinde atque indulgemus, ut moderator spiritualis eiusdem sodalitatis presbyter saecularis esse possit, ab Episcopo confessionibus christifidelium utriusque sexus excipiendis approbatus; cui quidem presbytero erit vestes et scapularia benedicere, eaque imponere, professiones exci-

pere, ipsique etiam facultas erit hisce caeterisque muneribus ex commemorati ordinis praescripto a se peragendis alium presbyterum praeficere seu deputare. Volumus vero, ut summus moderator generalis sit Episcopus istius dioecesis, ac sede episcopali vacante prima dignitas istius cathedralis ecclesiae, alterutri autem erit unum ex tribus presbyteris a priore et heteriarchis eiusdem sodalitatis adlegendis approbare, qui moderatoris spiritualis munere perfungatur. Praeterea ad maiorem ipsius sodalitatis spiritualem utilitatem praefato Episcopo Sancti Sebastiani et Fluminis Ianuarii mandamus, ut auctoritate nostra apostolica, eius pariter arbitrio, in perpetuum facultatem faciat, cuius ope in ecclesia sodalitatis Sancti Dominici, de qua agitur, dummodo pro dignitate sit ornata, nec suppellectili praesertim ad id quaesita destituatur, sanctissimum Eucharistiae sacramentum possit asservari, quod tamen sine ullo iurium parochialium praeiudicio concessum volumus. Praecipimus tamen, ut ante tabernaculum, quo divina hostia de more continetur, diu noctuque lampas alatur, utque eius tabernaculi clavis maneat penes sacristam sive aedituum, qui fida illam custodia tueatur. Demum, ut sodalibus praefatis facilius evadat festum Sancti Dominici, in cuius tutelam recepti, celebrare, de consilio sacrorum Rituum congregationis eadem auctoritate nostra impertimur, ut quotiescumque illud festum sit transferendum, missae Sancti Dominici, prout in eius die festo peragi possint, dummodo non occurrat duplex primae vel secundae classis, quantum ad missas lectas; et primae classis dumtaxat, quantum ad solemnem, servatisque rubricis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Haec concedimus atque elargimur, non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die xxx. augusti MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

XIII.

Confirmat decretum a sacra Congregatione de Propaganda Fide editum super iurisdictione Episcopi Arathensis in partibus infidelium.

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Tenor declarationis.

§ 1. Summi consilii Pontifex Pius VIII. praedecessor noster quum venerabilem fratrem Franciscum Patritium Kenrick Episcopum Arathensem in partibus infidelium instituit, et coadiutorem cum iure successionis venerabilis fratris Henrici Comvell istius Philadelphiensis ecclesiae Episcopi deputavit, gravissimis causis adductus, de consilio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, confirmavit decretum iam ante a se editum, quo idem Episcopus Comvell omni iurisdictione episcopali in illam dioecesim destitutus intelligi deberet, et praeterea eam omnem iurisdictionem ipsi Episcopo Kenrick eius coadiutori conferre statuit. Cum vero pluribus acceptis testimoniis locupletibus luculentisque constet per istam dioecesim hoc exploratum generatim non esse, tranquillitati idcirco atque ordini in eius regimine aliaque ratione prospiciendi necessitam perspeximus. Quapropter de consilio eorumdem venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium singulis christifidelibus totius Philadelphiensis dioecesis notum manifestumque facimus commemoratum Episcopum Comvell, vi decreti ab ipso praedecessore nostro confirmati, ab omni iurisdictionis episcopalis exercitio cessasse, et nunquam ab hac Apostolica Sede in eo fuisse institutum, sed eam omnem iurisdictionem in venerabili fratre Francisco Patritio Kenrick, cui iam fuerat collata, omnino contineri.

Praeceptum de parendo.

§ 2. Interea vero dum hoc declaramus et patefacimus, auctoritate nostra utrique clero, et populo universo, dioecesis Philadelphiensis mandamus, ut Episcopum Kenrick huiusmodi potestate insignitum recipiant et admittant, eique plenam obedientiam et reverentiam exhibeant, alioquin sententiam quam rite tulerit, quamque statuerit poenam adversus inobedientes et contumaces, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die IX. septembris MDCCCXXXI., pontificatus nostri an. I.

XIV.

Erigit Vicariatum Apostolicum in regno Coreae.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi onus ferentes totius gregis dominici, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua coelestia vocari valeant feliciterque perduci.

Ratio concessionis.

§ 2. Quum non minima spes fulgeat, ut tandem aliquando in Coreae regnum missionarii apostolici ingredi queant, qui christianorum illic degentium necessitatibus subveniant, eamque vineae Domini partem catechesibus excolant, et sacramentorum administratione; quumque praefati regni incolae nonnisi raro et difficillime cum caeteris Sinarum regionibus communicare possint: nos, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, opportunum ducimus regnum Coreanum nunc pro tunc in novum Vicariatum Apostolicum erigere, et in eum Vicarium Apostolicum constituere ab Episcopo Pekinensi omnino independentem.

Tenor concessionis.

§ 3. Motu igitur proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, vi praesentium literarum apostolicarum, Coreanum regnum in novum Vicariatum Apostolicum nunc pro tunc erigimus, et in eo Vicarium Apostolicum constituendum ab Episcopo Pekinensi omnino independentem declaramus, ac huiusmodi Vicario ab hac Sancta Sede eligendo omnes et singulas facultates Vicariis Apostolicis in regionibus Sinarum, vel Sinis adiacentibus, concedi solitas dicta nostra auctoritate concedimus et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat, ac in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque, etiam speciali et expressa mentione et derogatione dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die IX. septembris MDCCCXXXI., pontificatus nostri an. I.

XV.

Vicarium Apost. Concincinae et Campodiae concedit eligere coadiutorem cum futura successione et episcopali charactere ab ipso insignitum.

Ven. fratri Ioanni Ludovico Tabeed Episcopo Isaciropolitano in regnis Concincinae et Campodiae Vicario Apostolico,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exponi nobis curasti, tibi in votis esse pro speciali bono Vicariatus Apostolici Concincinae et Cambodiae tibi commissi apostolicis fulciri facultatibus, quarum praesidio valeas tuum in Vicariatu praedicto eligere Coadiutorem cum futura successione eumdemque Episcopum consecrare cum titulo episcopali per nos adsignando. Nos, ne in eligenda persona idonea pro huiusmodi coadiutoris officio tibi grata et ad explendum munus apta, quae prius a nobis esset, uti par est, approbanda: tempus frustra decurrat ob nimiam distantiam locorum, neque eveniat, quod absit, ut te deficiente Vicariatus iste diu careat pastore episcopali charactere insignito: extraordinario modo tibi, de cuius pietate, prudentia, fidelitate, religione et

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 61.

doctrina plurimum in Domino fiduciam habemus, annuere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, tibi, ven. fr., facultates necessarias et opportunas tibi eligendi in coadiutorem memorati officii Vicarii Apostolici Concincinae eum, quem dignissimum magisque huic muneri idoneum pro tua prudentia iudicaveris, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur, ita tamen ut coadiutor sic per te electus nonnisi ea quae hac in re tu illi demandaveris omnino praestare teneatur; quando autem munus huiusmodi, quod tu ad praesens geris, quomodolibet ex persona tua vacaverit, coadiutorem ut supra a te eligendum loco tui Vicarium Apostolicum Concincinae cum omnibus et singulis facultatibus quae tibi ratione officii huiusmodi a Sede hac Apostolica hactenus quomodolibet concessae sunt, ex nunc pro tunc auctoritate et tenore praesentis facimus et constituimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 2. Praeterea, ut memoratus coadiutor a te eligendus charactere et titulo episcopali insignitus evadat, ex nunc pariter pro tunc illum in Episcopum Ecclesiae Metellopolitan. actu per obitum ultimi Episcopi vacantis, quae in partibus infidelium consistit, eadem nostra apostolica auctoritate eligas atque declares, ut ad ecclesiam praefatam quamdiu ab infidelibus detinebitur accedere et apud eam personaliter residere minime teneatur, dicta nostra auctoritate concedas et indulgeas. Tibique pariter, ut eidem coadiutori a te eligendo, ac postea in Episcopum Metellopolitan. auctoritate et tenore praesentis renuntiando post quam ab eo professionem catholicae fidei iuxta articulos a sede nostra propositos, ac nostro ac Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum receperis, munus consecrationis auctoritate nostra apostolica impendere licite valeas, accitis, et in hoc tibi assistentibus duobus, loco Episcoporum, presbyteris saecularibus seu cuiuscumque Ordinis, Congregationis, et instituti regularibus praefatae huius sedis gratiam et communionem habentibus, dicta auctoritate plenam et liberam tribuimus facultatem.

§ 3. Volumus tamen eademque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut nisi receptis ab illo per te ipsum iuramento et professione fidei huiusmodi tu consecrationis munus dicto coadiutori impendere et ille dictum munus suscipere praesumpseritis, tu a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut illum per te eligendum in coadiutorem ad liberum eiusdem muneris exercitium iuxta praesentium tenorem recipiant et admittant, illique in omnibus quae ad officium huiusmodi pertinent praesto sint ac obediant, suaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam sive poenam quam in rebelles tulerit rite, ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictarum ecclesiarum, et iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium facientibus quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die IX. septembris MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

XVI.

Vicario Apost. Siamensi concedit coadiutorem eligere cum futura successione, eumque Episcopum consecrare (1).

---

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 63.

Venerabili fratri Iosepho Florens Episcopo Sozopolitano Vicario Apost. Siamensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Concessionis rationem exponit.

§ 1. Quum ven. frater Bartholomeus Brugniere Episcopus Capsensis et coadiutor tuus in vicariatu apostolico Siamensi, cui praees, profectionem in Coreanam regionem paret, quam cum ingressus fuerit titulo Vicarii Apostolici administraturus erit, hincque fiat ut tu illius operam auxiliumque sis in dicti Vicariatus regimine amissurus: Nos, habita circumstantiarum et locorum distantiae ratione, facultates apostolicas tibi tribuere statuimus, quarum vi alium ecclesiasticum virum eligere in tuum coadiutorem cum futura successione, eumdemque episcopum consecrare cum titulo Episcopali per nos adsignando possis quamprimum.

Facultatem eligendi concedit,

§ 2. Quapropter te, de cuius pietate, prudentia, fidelitate, religione et doctrina plurimum in Domino fiduciam habemus, annuere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum concilio tibi, ven. frater, facultates necessarias et opportunas tibi eligendi in coadiutorem memorati Officii Vicarii Apostolici Siamensis eum, quem dignissimum magisque huic muneri idoneum pro tua prudentia iudicaveris, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur, ita tamen ut Coadiutor sic per te electus nonnisi ea, quae hac in re tu illi demandaveris, omnino praestare teneatur; quando autem munus huiusmodi, quod tu ad praesens geris, quomodolibet ex persona tua vacaverit, coadiutorem ut supra a te eligendum loco tui, Vicarium Apostolicum Siamensem cum omnibus et singulis facultatibus, quae tibi ratione officii huiusmodi a Sede hac Apostolica hactenus quomodolibet concessae sunt, ex nunc pro tunc auctoritate et tenore praesentis facimus et constituimus, salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Consecrandique coadiutor.

§ 3. Praeterea, ut memoratus Coadiutor a te eligendus charactere et titulo episcopali insignitus evadat, nunc pariter pro tunc illum in Episcopum Ecclesiae Biduen. ad praesens per obitum ultimi illius Episcopi vacantis, quae in partibus infidelium consistit, eadem nostra apostolica auctoritate eligas atque declares, illique sic electo, postquam ab eo professionem Catholicae fidei iuxta articulos ab hac Sancta Sede propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum receperis, munus Consecrationis dicta nostra auctoritate impendere licite valeas, accitis et in hoc tibi assistentibus duobus Episcopis, vel, illis deficientibus, eorum loco duobus presbyteris saecularibus, vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti Regularibus praefatae huius S. Sedis gratiam et communionem habentibus, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur. Ac praeterea eidem Episcopo sic electo dicta nostra auctoritate concedas ut ad ecclesiam praedictam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime teneatur.

§ 4. Volumus tamen eademque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut, nisi receptis ab eo per te ipsum iuramento et professione fidei huiusmodi, tu consecrationis munus dicto Episcopo eligendo impendere, illeque dictum munus suscipere praesumpseritis, tu a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Derogationes.

§ 5. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die IX. septembris MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

XVII.

Erectio Vicariatus Apostolici in regno Coreano.

Venerabili fratri Bartholomaeo Bruguiere Episcopo Capsiensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Pastorale officium nobis ex alto commissum nihil nos magis sollicitat, quam christifidelibus, ut in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam animarum suarum assequendam salutem opportunis praesidiis adiuventur, omni quo cum Deo possumus studio providere.

Expositio precum. § 2. Quum itaque tu, venerabilis frater, qui coadiutores Episcopi Sozopolitani Vicarii Apostolici Siamensis, humiliter petieris, ut tibi liceat Coreanum regnum ingredi et Coreanorum neophytorum curam suscipere:

Tenor concessionis. § 3. Nos, perpensis Coreanorum christianorum necessitatibus, habitaque insuper ratione quod Vicarius Apostolicus Siamensis facili negotio alium idoneum presbyterum invenire possit, quem in coadiutorem sui eligat, de consilio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium tuis precibus benigne annuentes, tibi permittimus, ut, si nihil obstet, ad novam missionem proficiscaris, qua quidem ad exitum prospere feliciterque perducta, etiam nunc te in Vicarium Apostolicum pro regno Coreae cum omnibus facultatibus Vicariis Apostolicis in regionibus Sinarum, vel Sinis adiacentibus, concedi solitis ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate apostolica tenore praesentium eligimus et deputamus, facimus et constituimus, salva tamen semper in praemissis congregationis eorumdem Cardinalium auctoritate. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompte pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die IX. septembris MDCCCXXXI., pontificatus nostri an. I.

XVIII.

Unio dioecesium Uraniensis et Subsylvaniensis Basileensi apud Helvetios.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Ad faciliorem commodioremque rei sacrae procurationem pro locorum conditione statuendam pervigilare nos adigit commissa nobis divinitus pro universae Ecclesiae utilitatibus sollicitudo. Prooemium.

§ 2. Lubentes proinde ea accepimus, quae ad pagos Uraniensem et utriusque Subsylvaniae Basileensi dioecesi uniendos iuxta fel. rec. praedecessoris nostri Pii VIII. vota a venerabili fratre Philippo Archiepiscopo Cathaginense nostro apud Helvetios nuntio sunt conciliata cum nobilibus viris, qui in eorumdem pagorum comitiis ad id negotii fuerunt praepositi. Cuncta itaque rei ratione accurate perpensa, cupientes nos spirituali populorum ibidem degentium bono salubriter consulere, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine partem Uraniensis pagi a Constantiensi dioecesi seiunctam, nec non utriusque Subsylvaniae pagos, qui pariter ad illam dioecesim olim spectabant, Basileensi dioecesi perpetuo adtribuimus et assignamus. Hinc ob sic decretam unionem redditus episcopatus Basileensis, qui modo aestimantur decem millibus librarum helveticar., augebuntur stata quadam summa, qua pro incolarum iis in pagis degentium numero praefinietur iuxta conditiones, regulas legesque in illius census constitutione servatas pro pagis Lucernensi, Solodurensi, Bernensi, Argoviensi et Thurgoviensi; eadem regula et praescriptio vim habebit in suffraganei censu sanciendo, quem in praesens bis mille libris Helveticis constare cautum est. Tenor unionis.

§ 3. De canonicis autem decretum est, ut praeter iam extantes canonicos in capitulum cathedrale Basileense accenseantur tres canonici non residentes iuxta tres memoratos pagos designandi, quorum scilicet alter ab Uraniensi statuatur, et ex duobus reliquis alter a pago Subsylva- De canonicis admittendis in capitulum Basileense.

niae superioris, alter a pago Subsylvaniae inferioris adsciscatur, qui quidem canonici episcopalis senatus partem constituent, iisdemque iuribus ac privilegiis, ac praesertim utraque voce in comitiis et in antistite eligendo potientur. Mandamus vero ipsos adscisci inter viros ecclesiasticos, qui nedum nati solum sint et degant iis in pagis pro quibus canonicatum sunt adepturi, sed insuper qualitatibus polleant iure canonum requisitis, et in re sacra gerenda utilem ibidem operam navarint.

De dotatione mensae.

§ 4. Is porro electionis modus pro iis adhibebitur, qui pro canonicis pagorum Lucernensis, Zougensis decretus est, ipsorumque praebendae ad libras Helveticas tercentum praefiniuntur. Caeterum ad dotem pro portione constituendam episcopalis mensae, ac suffraganeatus, nec non collegii canonicorum et seminarii, praesides eorumdem pagorum peculiarem conventionem inibunt cum hac Apostolica Sede, atque interim certos iidem et stabiles redditus praebebunt, quorum liberam et regularem perceptionem spondent ipsi ac protuentur, quin ulla ex causa vel cessare vel alienari iure possint.

Concessio privilegiorum.

§ 5. Iubemus porro et mandamus, ut memorati Uraniensis et Subsylvaniensis pagi omnibus fruantur iuribus et favoribus ac privilegiis generatim et communiter in pagos Lucernensem, Solodurensem, Bernensem et Zougensem per apostolicas literas datas die septima maii millesimo octingentesimo vigesimo octavo delatis, iisque insuper, quibus pagi Argoviensis et Thurgoviensis per alias apostolicas literas diei vigesimae tertiae martii anno millesimo octingentesimo trigesimo donati sunt, parique ratione iisdem oneribus et obligationibus adstringantur, quibus memorati pagi per eas apostolicas literas fuerunt subiecti.

Deputatio executoris apostolici.

§ 6. Harum denique dispositionum, quas in summum animarum bonum cessuras fore confidimus, exequutionem committimus eidem venerabili fratri Philippo Archiepiscopo Carthaginensi nostro apud Helvetios nuncio, omnesque in id causae facultates necessarias et opportunas largimur, ut per se vel per aliam personam saltem in ecclesiastica dignitate constitutam, mandata haec nostra exequi curet, eaque decernat, quae in id expedire magis in Domino censuerit. Volumus etiam ut executorialia acta et decreta ad congregationem Consistorialem mittat ibidem adservanda.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 7. Decernentes has praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae vel dignitatis, seu alia specifica et individua mentione et expressione digni, in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, iisdem praemissis non consenserint, nec ad ea citati, intimati aut auditi fuerint, tametsi suorum indultorum vel privilegiorum vigore consentire seu vocari, citari, intimari, et audiri semel vel pluries quomodolibet debuissent, aut ex alia quacumque iuridica, privilegiata et rationabili, ac etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, causa, occasione, colore, praetextu, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensu, alioque quolibet defectu notari, impugnari, vel ad terminos iuris reduci, aliudve quodcumque iuris facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare nullatenus posse, sed easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem Episcopo Basileensi, et suis pro tempore successoribus, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, quacumque nostra et cancellariae apostolicae regula in contrarium praemissorum quomodolibet edita, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis su-

perioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praedictorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XIII. sept. MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

XIX.

Aloysium Lastaria ep. eligit eccl. Zacinthien. et Cephalonien. canonice perpetuo unitarum (1).

Dilecto filio Aloysio Lastaria canonico collegialis Ecclesiae S. Mariae Maioris Capuanae dioecesis,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et gubernare. Dudum siquidem ecclesiarum omnium sic vacantium quaeque in posterum vacaturae ordinationi et provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum atque inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Electi designatio.

§ 2. Postmodum vero episcopalibus ecclesiis Zacynthien. et Cephalonien. in Mari Ionio invicem perpetuo canonice unitis per renunciationem ven. fratris Aloysii Scacoz, qui illas obtinebat, pastoris solatio destitutis, nos ad earumdem ecclesiarum provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter nos se potuit seu potest intromittere, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne illae longae vacationis exponantur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo iisdem ecclesiis personam utilem et fructuosam cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te qui, ex legitimo matrimonio procreatus, in aetate etiam legitima constitutus et canonicus collegialis Ecclesiae S. Mariae Maioris Capuanae dioecesis existis, quique fidem catholicam iuxta articulos iam pridem ab hac Sede Apostolica propositos expresse professus es, ac de cuius religione, doctrina, prudentia, ac morum integritate fide digna perhibentur testimonia, oculos mentis nostrae direximus, quibus omnibus debita ratione pensatis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, easdem episcopales ecclesias Zacynthien. et Cephalonien. de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio, auctoritate apostolica tenore praesentium providemus, teque illis in Episcopum praeficimus atque pastorem, curam, regimen et administrationem ipsarum ecclesiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratiam et largitur dona, confisi, quod, dirigente Domino actus tuos, praedictae ecclesiae per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigentur, et in spiritualibus et temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiet. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens, curam et administrationem ita stu-

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., fol. 66.

deas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesiae praedictae gaudeant se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissas, et tu, praeter aeternae retributionis praemium, nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Propterea dilectis filiis capitulis et vassallis dictarum ecclesiarum, cleris et populo civitatis et dioecesis Zacynthien. et Cephalonien. per apostolica scripta mandamus, ut capitula tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, et cleri te pro nostra et dictae Sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimpleri procurent; populi vero civitatis et dioecesis utriusque te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes, ac debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in iis devotionis filios, et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeamini. Vassalli autem te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem debitam nec non consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere studeant, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IV. nov. MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

XX.

Imminutio festorum in dioecesibus Hildesiensi et Osnaburgensi.

Ven. fratri Godehardo Iosepho Episcopo Hildesiensi et ecclesiae Osnaburgensis administratori,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§ 1. Allatae nobis tuae sunt preces, ex quibus accepimus, uno eodemque festorum ordine istis dioecesibus Hildesiensi et Osnaburgensi praescripto cum facultate quibusdam anni festis diebus opera servilia exercendi per apostolicas fel. rec. Pii VIII. praedecess. nostri literas annulo Piscatoris obsignatas, ac die trigesima augusti superioris anni editas, populi utriusque dioecesis commodo nondum satis consultum videri. Catholicorum enim Hannoveriani regni, qui agricultura fere omnino victitant, maxime interest ea transferri festa, quae tempore messis occurrunt, scilicet ista in regione mensibus augusti ac septembris. Et quoniam eo diplomate caetera Beatae Mariae Virginis per annum festa, excepta Assumptione, in dominicas vel proxime superiores vel sequentes translata sunt, ita et illud, quod in id temporis incidit, transferri oporteret. Praeterea quum rec. mem. Leo XII. pariter praedecessor noster dioecesi Coloniensi similibus apostolicis literis datis die secunda decembris anni millesimi octingentesimi vigesimi octavi indulserit, ut festa Nativitatis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis in dominicas proximas transferrentur, itemque facultatem tribuerit, qua pauperes illius dioecesis singulis per annum festis, sacro audito, servilibus operibus possint vacare, exceptis tamen dominicis, ac Nativitatis et Ascensionis Domini, Omniumque Sanctorum celebritatibus, ita tuis esset in votis eamdem omnino rationem a dioecesibus tuae curae commissis esse servandam, praeter Purificationis, Annunciationis et Conceptionis Beatae Mariae Virginis festos dies, qui ex universo Ecclesiae more et instituto celebrabuntur. Id autem opportunum fieri existimas, propterea quod dioeceses Hannoveriani regni et Coloniensis vicinitatis nexu variisque negotiis arctissime inter se coniunguntur. Atque ut clare aperteque huiusmodi in re omnia se habeant, festorum ordinem, prout sequitur, nobis exhibendum curasti.

I.

§ 2. Diebus, quibus occurrunt, celebranda: Descriptio festorum observandorum.

1. Festum Circumcisionis.
2. Epiphaniae.
3. Festum Purificationis B. M. V.
4. » Annuntiationis B. M. V.
5. » Paschatis.
6. Fer. sec. Paschatis.

7. Festum Ascensionis.
8. » Pentecostes.
9. Fer. sec. Pentecostes.
10. Solemnitas Corporis Christi.
11. Festum SS. Apost. Petri et Pauli.
12. » Omnium Sanctorum.
13. » Conceptionis B. M. V.
14. » Nativitatis D. N. I. C.
15. » S. Stephani protom.

II.

Descriptio festorum transferendorum.

§ 3. Transferenda in dominicam superiorem aut proxime insequentem:

1. Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae.
2. » Assumptionis B. M. V.
3. » Nativitatis B. M. V.
4. » Dedicat. S. Michaelis Arch.
5. Festa SS. Patronorum ecclesiarum quibus in locis hucusque celebrata sunt.
6. Celebritatem pro incremento frugum in feriam secundam Pentecostes.

III.

Festum omnino abrogatum.

§ 4. Pro foro omnino abrogandum:

Festum S. Martini Episcopi per provincias dioecesis Hildesiensis archi-dioecesi Moguntinae antehac subiectas hucusque solum celebratum.

IV.

De operibus servilibus pauperibus permissis.

§ 5. Opera servilia pauperibus, qui diurno labore victum sibi comparant, sacro audito, et divinis antemeridianis absolutis, festivis diebus omnibus permittenda, exceptis tamen

1. Festo Nativitatis D. N. I. C.
2. » Ascensionis.
3. » Omnium Sanctorum, et denique
4. Diebus dominicis per annum.

§ 6. Nos igitur, qui divinum cultum pro viribus promovere et augere debemus, iis omnibus, quae exposita sunt, mature perpensis, Hildesiensis et Osnaburgensis catholici gregis commodo prospicere volentes, precibus votisque tuis benigne annuentes, auctoritate nostra apostolica indulgemus, ut festum B. M. V. in coelum evectae, etsi vel maxime optaremus, ut die, quo ab universa catholica Ecclesia agitur, celebraretur, tamen ad praecedentem vel ad subsequentem diem dominicum possit transferri, translata etiam vigilia cum ieiunio ad sabbathum immediate praecedens, et publicata quotannis populo ex altari huiusmodi tum vigiliae tum festi translatione, et, si fieri queat, etiam per edictum publicum, vel alio modo solemniori, facta semper mentione huiusce apostolici indulti. Deinde quantum ad opera servilia pauperioribus, iuxta tuas preces, aliquibus diebus festis permittenda, benigne concedimus, ut autem in sanctorum Petri et Pauli apostolorum festo, sarta tectaque consueta die vigesima nona iunii celebratione et sacrosancti missae sacrificii assistendi obligatione divinis antemeridianis absolutis, permitti pauperibus possint. Denique festum Sancti Martini Episcopi pro foro abrogamus, servatis tamen iis caeteris conditionibus, quae in commemorato apostolico Pii VIII. indulto adiectae sunt, et contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. nov. MDCCCXXXI. pontificatus nostri anno I.

XXI.

Archiepiscopum Dublinensem Visitatorem Apost. constituit monasterii S. Mariae de Cabra Ordinis S. Dominici, prope Dublinum.

Ven. fratri Danieli Archiepiscopo Dublinen.

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quum dilectae in Christo filiae moniales Ord. S. Dominici monasterii S. Mariae de Cabra prope Dublinium, pluribus et quidem gravibus adductae rationibus, omnino necesse esse exposuerint ad tranquillitatem recuperandam, ad monasterii disciplinam, et eiusdem temporalem reparandam administrationem, monasterium ipsum tuae iurisdictioni subiici, nos rebus omnibus mature perpensis, consideratisque testimoniis veritatem totius rei confirmantibus, earum votis benigne annuere censuimus; nos igitur omnes et singulos quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis

excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, tua prudentia, integritate, vigilantia, et religionis zelo plurimum confisi, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio te in eiusdem monasterii Visitatorem Apostolicum harum litterarum vi ad nostram et huius S. Sedis voluntatem constituimus et deputamus, interdicta interim in illud iurisdictione dilectorum filiorum PP. Ord. S. Dominici Praedicatorum nuncupat.

§ 2. Tibi propterea, ven. frater, iniungimus, ut dictum monasterium per te vel per alium, seu alios ecclesiasticos viros a te eligendos, visites, ac in illius regularem disciplinam annuosque reditus et proventus, atque etiam iura, expensas, et aes alienum si quid fuerit conflatum, accurate inquiras, ac omnia quae pro recta illius disciplina et aeconomica administratione, iuxta datam tibi a Domino prudentiam, necessaria et opportuna fore duxeris, statuas, praescribas, decernes. Nos enim tibi quaslibet facultates gerendi, decernendi, exequendi, et fieri mandandi tribuimus et impertimur. Mandamus autem, in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenis arbitrio nostro infligendis, omnibus ad quos spectat, ut te in Visitatorem Apostolicum monasterii de quo agitur constitutum reverenter recipiant et recognoscant, ac tibi in omnibus ad visitationem huiusmodi spectantibus omnino pareant et obsequantur, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et omnino adimplenda curent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, et specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non monasterii praedicti etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XX. dec. MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

XXII.

De Archiepiscopo Hierapolitano Maronitarum R. P. D. Paulo Arutin ad montem Libanum vocando, et de regimine illius ecclesiae interea alia ratione procurando.

Venerabili fratri Iosepho Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Summis saepe laudibus inclyta Maronitarum natio a praedecessoribus nostris extolli promerita est ob eximiam suam in catholica fide profitenda constantiam et singularem in Summos Pontifices et hanc Sedem Apostolicam devotionem, tu ipse venerabilis frater maiorum tuorum vestigia premens huic Sanctae Sedi firmiter et perpetuo adhaesurum pluries nobis spopondisti, et cum negociis de Propaganda Fide gerendis praepositi eramus, et postquam licet immeriti Petri cathedram ascendimus. Quapropter officii nostri, praecipueque illius qua vos in Domino prosequimur charitatis, esse ducimus in angustiis et in rebus dubiis vobis praesto esse, ut iis quae ad evellenda scandala per te ipsum sunt decernenda, apostolicae firmitatis robur addatur.

Ratio concessionis.

§ 2. Novimus dissidia et contentiones ortas Hierapoli inter populum et clerum et Archiepiscopum Maronitam, ac summo animi nostri dolore eo res pervenisse scimus, ut necessarium omnino sit opportunis remediis gravioribus malis quae forte oriri possent occurrere. Possumus quidem propter potiorem sedis huius principalitatem ea decernere, quae ad pacem in

ecclesia Maronitarum Hierapolitana utiliora in Domino iudicavimus, sed maluimus novum tibi argumentum praebere, et benevolentiae nostrae erga te et studii quo satagimus, ut quoad fieri poterit sine ecclesiasticarum rerum detrimento hierarchicus in unaquaque orientali ecclesia legitime statutus ordo et disciplina servetur.

Tenor dispositionis

§ 3. Quare tu ipse, venerabilis frater, Archiepiscopum Hierapolitanum Maronitam Paulum Arutin ad montem Libanum venire iubebis, et in monasterio a te designando manere, donec se purget a criminationibus de quibus accusatur, proviso interim de idoneo viro ecclesiastico cui Hierapolitanae ecclesiae res administrandae interim committantur. Iudicii severitas paterna charitate temperata fiet, ut Maronitae Hierapolitani ea fruantur pace, quam Dominus Noster Iesus Christus apostolis suis commendavit. Pax christiana Christi discipulos designat; huius vincula solvi nequeunt, quin simul lata schismati et erroribus via aperiatur: memineris pastoralis sollicitudinis hoc onus esse gravissimum, adlaborare scilicet, ut unitati fidei et charitatis omnes simus cor unum et anima una. Pro certo habemus te in hoc muneri tuo non defuturum, et apostolicam benedictionem fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIV. dec. MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

XXIII.

Cessatio administrationis dioecesis Graeco-Melchitarum Hierapolis Archiepiscopo Fergulensi collatae, et electio novi Archiepiscopi Hierapolitani Graeco-Melchitae in personam venerabilis fratris Ignatii Patriarchae Antiocheni Melchitarum.

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio dispositionis.

§ 1. Cum ecclesia Melchitarum Hierapolitana suo viduata pastore maneret, nec satis consuli eius bono posset novi Archiepiscopi electione, epistolis etiam fraternitatis tuae commotus praedecessor noster Leo PP. XII. literis apostolicis datis die nona iunii millesimo octingentesimo vigesimo sexto archiepiscopalem illam ecclesiam gubernandam tradidit Archiepiscopo Fergulensi Ignatio Aggiuri, ut eamdem archiepiscopatu Fergulensi retento apostolica auctoritate administraret. Per plures annos sic res ecclesiae Melchitae Hierapolitanae administratae sunt, ut consilium a Sancta Sede Apostolica captum in bonum praedictae ecclesiae Melchitarum vergere videretur; sed successu temporis mutatis rerum Hierapolitanarum adiunctis utilius esse censemus extraordinariae huic providentiae finem imponere, ut de novo Archiepiscopo Hierapolitano pro Melchitis eligendo agatur.

Tenor dispositionis.

§ 2. Quare apostolica auctoritate declaramus cessatam administrationem Hierapolitanae ecclesiae Archiepiscopo Fergulensi commissam, tibique, venerabilis frater, committimus, ut, servatis de more servandis, de novo Archiepiscopo Melchita Hierapolitanam ecclesiam provideas. Hoc tibi potius committere voluimus, quam nobis ipsis praedicti Archiepiscopi electionem reservare, ut palam fiat Apostolicam Sedem libentissime id consilii capere, quod sine ecclesiasticarum legum damno ecclesiarum Orientalium disciplinae magis conforme videatur. Dum tamen haec tibi cura committitur, pastoralis nostri officii est tuum excitare zelum, ut videas ne partium studio, aut impiorum hominum machinationibus, is ad episcopalem gradum promoveatur, qui dubiae sit fidei, vel ecclesiasticarum rerum ignarus, vel corruptis moribus reprehendendus: in gravioribus hisce negotiis piorum ecclesiasticorum Episcoporum praesertim consilium adhibe, atque ita fiet, ut quamvis senectute et infirmitatibus pressus, patriarchatus onera sustinere facilius possis, atque ita ut pro bene gestis praemia consequaris aeterna. Interim apostolicam benedictionem fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIV. dec. MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

XXIV.

Patriarchae Syrorum R. P. D. Petro Giarve commendat, ut ad montem Libanum

revertatur, et in monasterio Sancti Ephrem resideat.

Venerabili fratri Ignatio Petro Patriarchae Antiocheno Syrorum,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio et tenor praecepti.

Non sine magno animi nostri dolore accepimus monachos fraternitati tuae subditos in vitia quaeque proclives, per ora hominum deduci tamquam gravissimorum criminum reos: pastoralis nostra cura non patitur nos tacere dum sal videmus infatuari in iis per quos alii condiendi essent homines. Quare paterno, quo te prosequimur, amore monemus ne tuorum subditorum criminibus connivendo participes. Tibi cura esse debet de singulis, neque sicut oportet malis poteris opportunam afferre medelam, si diutius a tua residentia absis, quam sine gravissima causa et inconsulta Sede Apostolica mutare non debes. Quare necesse est, ut ad montem Libanum redeas, et in monasterio Sancti Ephrem resideas, ibique regularem disciplinam instaurandam suscipias. In hoc curae impendantur omnes: novisti enim monasteria vobis esse Episcoporum seminaria, nullumque te habere posse idoneum Episcopum ex monasterio, in quo non reperiantur monachi doctrina, pietate et morum integritate spectatissimi. Si tales monachi culpa tua desint, ipse immunis a culpa non eris; quare opus labora, ministerium tuum imple, ad monasterium tuum revertere, errantes corrige, obsecra, increpa, ut in viam iustitiae redeant, et laus sit unicuique a Deo. Pro certo habemus futurum ut paternae huic nostrae monitioni faciles praebeas aures, et citissime te desideriis nostris obsecuturum, ut obsequium tuum erga nos et Apostolicam hanc Sedem ostendas. Quare apostolicam benedictionem fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIV. dec. MDCCCXXXI., pontificatus nostri anno I.

XXV.

Praecationem Rosarii Perpetui *approbat et recitantibus indulgentias concedit.*

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Benedicentes Domino totius consolationis accepimus, quae a dilecto filio nostro Aloysio S. R. E. presbytero Cardinali Lambruschini nobis perlata fuerunt de pio quodam exercitio, quod titulo Rosarii viventis honori Bmae Virg. Mariae sedula atque industris nonnullorum pietas haud ita pridem excogitavit. Inde enim Deo bene iuvante, salubriter factum iri confidimus, nedum ut precatio ad eamdem quovis modo ac tempore sancte colendam aptissima increbrescat ubique in dies magis ex facilitate ipsa sua, sed ut ex tanta supplicantium consensione maiorem quodammodo vim adepta, acceptior feratur ad Deum, qui communi exoratus prece ad commiserationem flectitur et ad gratiam. Quod quidem salutare institutum favore pontificiae auctoritatis commendare, atque indulgentiarum dispensatione fovere animo decrevimus, libenti repetentes memoria quidnam utilitatis res catholica universa persenserit, ubi primum coronis in honore S. Virginis compositis praesens ipsius praesidium fidelis populus est comprecatus.

Indulgentiarum concessio.

§ 1. Quare ad omnipotentis Dei gloriam, atque ad Virginis SSmae Mariae Genitriciis Dei honorem, ex certa scientia et de nostrae potestatis plenitudine, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui inter cultores Virginis pro usu piae praecationis, quam *Rosarii viventis* nuncupant, recensentur, primo festo die post susceptum pium illud opus, dummodo vere poenitentes, Sacramentis Confessionis et Eucharistiae sese rite expiaverint, indulgentiam plenariam, quae etiam pro defunctis applicari possit, impertimur. Insuper praeter indulgentias, quas pro Rosarii recitatione Romani Pontifices praedecessores nostri decreverunt, centum dierum indulgentiam, quoties ferialibus diebus constituta ex pii exercitii praescripto pars Rosarii recitetur; indulgentiam vero septem annorum cum totidem quadragenis impertimur, si id operis religiose peragatur Dominicis, et aliis per annum festis diebus, iis etiam, quibus praeceptum audiendi sacrum ademptum est, ac per Octavas Nativitatis D. N. I. C., Paschatis Resurrectionis, Corporis Christi, Pentecostes et Assumptionis, Nativitatis,

et Conceptionis B. M. V. Pro diebus autem sollemnioribus Nativitatis, Epiphaniae, Circumcisionis, Paschatis, Ascensionis et Corporis Christis, item pro dominica Pentecostes, ac pro festo Trinitatis Augustae, item pro singulis etiam minoribus festis diebus B. M. V., item in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, ac in tertio cuiuslibet mensis die dominico Indulgentiam Plenariam, quae pro defunctis applicari possit, impertimur, dummodo et praestituta recitatio quotidie saltem per mensem, nisi legittima causa quis fuerit praepeditus, sedulo sancteque praecesserit, ac memoratis diebus sacramenta Confessionis et Communionis fuerint suscepta et piae preces in aliqua ecclesia factae sint; quas tamen indulgentias eos etiam edicimus lucrari, qui vel ex infirma valetudine vel iusta aliqua causa distenti sese conferre in ecclesiam nequeant, alio iuxta Confessarii beneplacitum opere subrogato.

Indulgentiarum conditiones.

§ 2. Verum eo nos contendentes, ut studio venerationis, amoris, cultusque erga Virginem Mariam impensiore omnium animi inflammentur, propositaque ideo ditissima Indulgentiarum mercede stimulos vel currentibus admovere dum conamur, illud simul summopere urgemus, ut alia quoque Religionis, charitatis ac virtutum opera intente omnes obeuntes, moribusque ad Christianae disciplinae rationem conformatis, cariores se Matri Sanctissimae exhibeant, quae aeternam vitam eos habituros pollicetur, qui ipsam elucidare studuerint. Secundos hoc pacto atque optatos exitus nanciscentur, consilia et vota haec nostra, faustumque et salutare hoc opus fideli populo accidisse gratulabimur. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVII. ian. MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno I.

XXVI.

Reformatio consuetudinum in exercitio religionis Catholicae pro Armenis catholicis urbis Constantinopolitanae.

Venerabili fratri Antonio Nurigian Archiepiscopo primati Armeno Constantinopolitano,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Inter gravissimas quibus undique premimur sollicitudines in suprema Ecclesiae specula positi infirmitatis nostrae memores saepe ad te nostros convertimus oculos, ut tibi novaeque isti archiepiscopali sedi in omnibus praesto simus, quibus Armeni catholici nuper summi imperantis benignitate ab inimicorum suorum manibus erepti in puritate fidei et christianae charitatis exercitio constantes ita in salutis viam dirigantur, ut bona eorum conversatio decus Ecclesiae sit et ornamentum, et errantes vereantur nihil habentes malum dicere de nobis. Non te latet hoc tantum bonum, Dei opitulante gratia, Episcoporum exemplo, vigilantia et laboribus promoveri, horum enim est doctrina, opportunitate, et veritate infirma confirmare, disrupta consolidare, depravata convertere et verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae dispendere, et speramus, te his omnibus implendis non defuturum. Sed non una est eademque omnium opinio, quapropter, quamvis delationibus, quae ad nos pervenerunt, faciles aures minime praebuerimus, opportunum tamen censemus et benevolentiae, qua te etiam in minoribus constituti prosequuti sumus, et paterni amoris quo catholicas omnes ecclesias amplectimur, nova tibi hodie documenta praebere.

Tenor instructionum.

§ 2. Hinc est, quod apostolico, quo fungimur officio, zelum tuum excitamus, ut cures ne inter oves tibi commissas abusus introducantur, contentiones oriantur, aut displicentiae causae interveniant, quibus si locus fiat, partium exardescunt studia, et christiana frigescit charitas, ac praeterea persuasum tibi etiam esse debet in praesentibus tuae novae sedis adiunctis malignos homines fortasse inter catholicos quoque non defuturos, qui inde occasionem possent arripere te criminandi fovendique suis clamoribus insidias haereticorum, de quibus dubitari non potest, quin studia omnia convertant, ut in summo imperante eos destruant erga te, Iacobum Valle, et catholicos Armenos,

clementiae sensus, ex quibus tot tantaque in vos bona derivarunt. His quidem incommodis difficilior fiet aditus, donec summus imperans perspectas habeat virtutes tuas, et sacerdotis Iacobi Valle, in quem omnem contulit praefecturae nationalis honorem, cum te ut nationis Armenae catholicae Archiepiscopum Primatem agnoscere recusavit, animum nostrum recreat ac reficit audire vos apud eum magnam nominis existimationem esse consequutos. Ut hanc autem uterque vestrum conservet, omnis adhibenda cura est, ne exterioris apparatus magnificentia videamini ea quaerere quae mundi sunt, non sine magno ovium tibi commissarum incommodo.

De magnifico apparatu vitando.

§ 3. Memineritis hoc Archiepiscopi maximum onus esse, ut spirituali suarum ovium saluti prospiciat: quare ne quaeras ut magnum apud te habeas ecclesiasticorum numerum, quorum honori detraheretur, si vilioribus mancipentur officiis, aut in criminalibus praesertim iudiciis eae committerentur partes gerendae, quae ecclesiasticae lenitati minime conveniunt; sed iis utere pro uniuscuiusque idoneitate, ut nulla ex paroeciis quae a tua iurisdictione pendent suo careat pastore. Quousque autem tua iurisdictio extendatur, non ignoras; scis enim te minime posse aut exercere, aut Iacobo Valle alias communicare facultates praeter eas quibus gaudes sacrorum canonum et Apostolicae Sedis auctoritate.

De legibus a Pio VIII latis omnino servandis.

§ 4. Prae oculis habe quibus limitibus tua iurisdictio circumscripta fuerit a fel. rec. Pio VIII. praedecessore nostro literis apostolicis datis die sexta iulii anno millesimo octingentesimo trigesimo pro erectione novi archiepiscopatus metropolitani primatialis Constantinopolitani pro Armenis catholicis, aliisque literis datis eadem die pro tua in Archiepiscopum electione, et perspicies iurisdictionem tuam ad eos tantum Armenos catholicos extendi, qui tui archiepiscopatus erectionis tempore ad provincias Othomanico imperio subiectas pertinebant, quique destituti pastore Armeno catholico venerabilis fratris Archiepiscopi Sardiensis et Vicarii Apostolici patriachalis latini ritus iurisdictioni suberant. Inter hos autem neutiquam recensendi sunt Armeni catholici, qui iam a catholicis sui ritus Episcopis regebantur, neque ii, qui cum exterarum nationum sint, Constantinopoli francorum nomine appellantur, multoque minus ii, qui incolunt provincias ab Othomanico imperio disiunctas, inter quos recensendi sunt Armeni Georgiani, atque hi omnes etiam nunc sunt sub eius Ordinarii iurisdictione, a quo regebantur antequam nova institueretur archiepiscopalis cathedra Armena, cui nulla prorsus tradita potestas est in eos, qui ad alias quascumque Catholicorum nationes ab Armena diversas pertineant.

De missae sacrificio et liturgia in sac. functionibus adhibenda

§ 5. His omnibus exceptis, copiosus tibi remanet grex pascendus opere et sermone, et quoniam in Christiana Ecclesia nihil sanctius, nihil sublimius sit missae sacrificio, summas mereris laudes, quoties adniteris, ut in eo peragendo is ritus adhibeatur, qui tantae rei maiestati respondeat, ille scilicet ritus, qui ab hac Sancta Sede iam probatus est, et in liturgia typis Congregationis Fidei Propagandae praepositae praescriptus, qua omnia quae ad solemnem missarum celebrationem pertinent ordinantur. Attamen si solemni missarum celebratione vi persequutionum inter Armenos catholicos impedita quaedam laudabiles consuetudines iamdiu sint invectae prout illae sunt, quarum vi sacerdotes Armeni catholici sacrum celebrantes initium ducere solent a crucis signo, et post consecrationis verba sacrosanctum Iesu Christi corpus et sanguinem sub speciebus panis et vini genibus innixi adorare, minime expedire censemus eas e medio tollere, nam qui id agere conaretur, scandali potius quam aedificationis causam praeberet. Quare ea regula omnino servanda est, qua statuitur inconsulta Sede Apostolica in sacrae liturgiae ritibus nihil esse innovandum etiam nomine instaurandi caeremonias, quae liturgiis ab eadem Sede probatis magis conformes esse videntur, nisi ex gravissimis causis et accedente Sedis Apostolicae auctoritate. Hoc autem apud Armenos catholicos accurate servandum peculiaris quoque ratio suadet, cum enim in veteri Armena sacrorum disciplina solemnis tantum missae celebratio permitteretur, pro ea dumtaxat caeremoniae praescriptae reperiuntur.

De oratoriis privatis.

§ 6. Armeni autem catholici persecutionibus exagitati aliquantulum ab ea disciplina recesserunt, et, solemni missarum celebratione persecutionibus impedita, sacrum in aedibus etiam privatis peragere consueverunt. Haec vero consuetudo celebrandi nempe sacrum in privatis aedibus, etsi certis legibus circumscribenda

videatur, ne id sine iusta et gravi causa fiat, tamen tollerari poterit quousque pro Armenis catholicis publicae adstructae fuerint ecclesiae, in quibus proprio ritu sacra fiant a sacerdotibus Armenis catholicis, nec his adimenda est libertas divinum opus peragendi in ecclesiis latinis sacrarum vestium apparatu proprium ad ritum accommodato (nisi forte ob urgentem necessitatem et vestium proprii ritus defectum ad tempus, et in peculiaribus causis legis huius rigorem relaxari contingat), ne qui foris sunt arbitrentur Armenos catholicos ab ea fidei unitate recedere, quam nuper tam strenue professi sunt, in rerum omnium et vitae ipsius discrimine. Una est Christi Ecclesia, una catholicorum omnium fides, unum baptisma, unum est omnium nostrum caput, Christus Iesus, qui beatissimo Petro Apostolo, cui nos, quamvis indigni, successimus, plenam tradidit potestatem universam Ecclesiam regendi et gubernandi. Aequum igitur est, ut sacerdotibus Armenis haec via pateat, qua facilius catholicorum Armenorum animos in sancta religione profitenda et in beatissimi Petri devotione confirment.

De orphanis a patre Armeno, et matre graeco-latina natis educandis.

§ 7. Haec quae pietatem fovent, nemini possunt occasionem praebere transeundi a proprio ritu ad alium quemcumque, quamvis ab Apostolica Sede probatum; norunt enim omnes id vetitum apostolicis constitutionibus, nisi forte cuidam facultas fiat ex Apostolicae Sedis indulto. Paterno amore complecti volentes orphanos qui, a patre Armeno et matre graeco-latina nati, ob excitatam in Armenos persecutionem latinis hominibus educandi traditi fuere, eos simili gratia dignos iudicamus, quare illos in latini ritus exercitio manere posse decernimus, nullamque molestiam eis inferendam esse praecipimus. Praeterea, quum pastoralis sollicitudo in recta praesertim sacramentorum administratione procuranda nos magnopere premat, non mediocri animi nostri acritudine accepimus, isthic Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta privatis in domibus crebro ministrari; ad arcendos itaque abusus omnes, qui inde oriri facile possunt, tuum zelum vel maxime excitamus, ut hanc rem maturo examine perpendas, collatisque cum venerabili fratre Archiepiscopo Sardiensi Vicario Apostolico patriarchali consiliis provideas diligenterque caveas, ne id unicuique indiscriminatim permittatur, sed facultates huiusmodi iis tantum sacerdotibus concedantur, qui ea praediti sint pietate, quae omnem abigat suspicionem, et in favorem eorum laicorum qui non solum bene morati sint, sed etiam locum habeant ad sacra mysteria rite obeunda aptum et a profanis disiunctum usibus, ubi sacrum ministerium absque ullo profanationis periculo possit exerceri.

De administratione sacramentorum.

§ 8. Tuam etiam pastoralem vigilantiam adhibe, ne in baptismatis administratione, aut in matrimonii benedictione ritus aliquis indecens, aut contrarius ecclesiasticis legibus inducatur; haec enim Apostolica Sedes nunquam perferet et patietur, ut ex abusu in sacramentis administrandis ii habeantur mores, qui haereticam pravitatem aut corruptionem redoleant, vel christianae modestiae aut ecclesiasticae dignitati repugnent.

De taxis non imponendis pro administratione sacramentorum.

§ 9. Dolemus quoque et angimur haereticorum exemplo taxas fuisse impositas a catholicis persolvendas cum infantes lustralibus aquis sunt abluendi, et matrimonia sunt benedicenda, quod cum Ecclesiae Catholicae disciplinae et praxi omnino adversetur, tuam in mentem revocamus id nequaquam fas esse, et tantum permitti modicam taxam in funeribus iuxta diversas hominum conditiones praefiniendam, semper tamen charitati consentaneam, quae postulat, ut vere pauperes sine ullo emolumento humentur et precibus catholico rituale praescriptis iuventur. Hac ratione non solum clerus Armenus catholicus ab omni avaritiae labe, quae servitus est idolorum, erit immunis, verum etiam haereticos ad catholicam complectendam religionem facilius alliciet.

Monitum speciale.

§ 10. Demum quum te, venerabilis frater, paterno sane amore prosequamur, vehementer hortamur, ut in ista ecclesia tuae fidei concredita ordinanda fidente animo nos consulas, sciasque nos in re tanti momenti et quae nostram urget sollicitudinem, tibi non defuturos; ac praeterea pro certo habe, nos praedecessorum nostrorum vestigiis insistere, qui etsi cuilibet ad hanc Apostolicam Sedem aditum patere voluerint, gravissimasque poenas contra eos decreverint id impedientes, semper tamen omni diligentia usi sunt, ne faciles delationibus praeberent aures, probe noscentes, has plerumque originem ducere a malitia criminosorum hominum legum severitatem fastidientium. Quare positum est in more Romanorum Ponti-

ficum, ut, si coercenda facinora ad eos deducantur, nihil omittant eorum, quae ad veritatem detegendam pertinent, eosdemque accuratos Episcopos aut superiores ecclesiasticos viros interrogent, quo facilius ac tutius ipsi per se significare possint, quae ad verum rerum statum cognoscendum conducunt. Hisce animi nostri sensibus, de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, tibi patefactis, tibi, ven. frater, gregique tuae curae concredito apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die III. febr. MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXVII.

Paulum Hilarium Contrezy Vicarium Apostolicum Siamensem iuxta modum eligit (1).

Dilecto filio Ioanni Paulo Hilario Contrezy Canonico Cathedralis Ecclesiae Carnuten.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quum nostris litteris apostolicis sub annulo Piscatoris expeditis ac datis die IX. septembris superioris anni ven. fr. Bartholomeus Bruguiere Episcopus Capsensis, ac Vicarii Apost. Siamensis Coadiutor, quatenus possit Regnum Coreanum ingredi, ibidem apostolicum exercere munus, regni eiusdem Vicarius Apostolicus fuerit deputatus; quumque aliis litteris eodem die editis ven. fratri Iosepho Florens Episcopo Sozopolitano et Vicario Apostolico Siamensi impertitae fuerint facultates, quarum vi discedente Episcopo Capsensi alium ecclesiasticum virum in suum Coadiutorem eligere potest, eumque in Episcopum consecrare adsignato titulo Ecclesiae Biduensis, satis provisum videretur, ne quid praedictus Vicariatus Apostolicus detrimenti capiat; cum tamen ob aetatem ven. fratris Episcopi Sozopolitani, qui senex est et valde debilis, ac praeterea ob alias temporum difficultates fieri posset, ut inita consilia effectu suo carerent: ne forte contingat, ob discessum Coadiutoris et Coadiuti mortem, Siamensem Vicariatum in eum statum adduci, ut nullum habeat Moderatorem episcopali charactere insignitum, ad praecavenda mala, quae inde essent oritura, nos de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum opportunum existimavimus, virum designare, qui maturitate consilii, morum integritate et ecclesiasticarum disciplinarum scientia praefulgens huiusmodi rei possit consulere.

§ 2. Quapropter, quum apprime noverimus, te canonicum cathedralis Ecclesiae Carnuten. et officium Directoris et Professoris Theologiae in Seminario Dioecesis Carnutensis dimisisse, ut te sacris missionibus devoveres, atque in eo esse ut e Seminario Parisiensi missionum ad exteros proficiscaris, quo missionarii munus apud Sinas exerceas, peculiari beneficentia te prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de eorumdem venn. fratrum consilio auctoritate nostra apostolica mandamus, et quatenus post discessum ven. fratris Episcopi Capsensis praedictae litterae apostolicae suum effectum sortitae non fuerint, ipse Sozopolitanus Episcopus, cui per hasce litteras necessarias et opportunas tribuimus facultates, te in novum Coadiutorem Vicariatus Siamensis eligere possit, ita tamen ut ab illo sic electus, ea tantum, quae tibi demandavit, omnino praestare tenearis, et, quum huiusmodi munus quomodolibet vacaverit, te Coadiutorem a nobis renunciatum eius loco Vicarium Apostolicum Siamensem cum omnibus et singulis facultatibus, quae illi ratione officii huiusmodi a Sede hac Apostolica hactenus quomodolibet concessae sunt, ex nunc pro tunc auctoritate et tenore praesentis facimus et constituimus, salva semper in praemissis Cardinalium eiusdem Congregationis auctoritate. Praeterea (si id contingat) ut charactere et titulo episcopali

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 80.

insignitus evadas, ex nunc pariter pro tunc te in Episcopum Ecclesiae Biduensis, quae modo per obitum illius ultimi Episcopi vacat, atque in partibus infidelium existit, eadem nostra auctoritate eligimus ac declaramus, tibique ut ad ecclesiam praedictam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate nostra concedimus et indulgemus.

§ 3. Ipsi autem Sozopolitano Episcopo Vicario Apostolico, vel si forte post discessum Coadiutoris Coadiutus supremum diem obierit, antequam in novum sui eligat Coadiutorem, vel alio legitimo impedimento detineatur, quominus munus consecrationis tibi possit impendere, a quocumque alio catholico Antistite gratiam et communionem habente cum hac Apostolica Sede, postquam a te professionem catholicae fidei iuxta articulos a Sede nostra propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum acceperit, munus consecrationis auctoritate nostra apostolica tibi impendere libere et licite valeat, accitis adstantibusque duobus loco Episcoporum presbyteris saecularibus, seu cuiusvis ordinis et Instituti Regularibus, praedictae huius Sedis gratiam et communionem pariter habentibus, dicta auctoritate plenam et liberam tribuimus facultatem.

§ 4. Volumus tamen et eadem auctoritate praecipimus atque decernimus, ut nisi emisso a te in eius manibus iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse Sozopolitanus, vel alius, ut praefertur, Episcopus consecrationis munus tibi impendere, tuque illud suscipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione Ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Mandamus propterea in virtute S. Obedientiae, omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut te in Coadiutorem, ut supra delegendum, ad liberum eiusdem muneris exercitium iuxta praesentium tenorem recipiant et admittant, tibique in omnibus, quae ad hoc munus pertinent, praesto sint atque obediant, tuaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris in rebelles, seu statueris, ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 5. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die v. aprilis MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXVIII.

Ecclesiae Babylonensi Latinae Dominicum Marcellinum in Episcopum praeficit (1).

Dilecto filio Petro Dominico Marcellino Bonamie Philadurcensis dioecesis,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare.

§ 2. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium et in posterum vacaturarum, ordinationi et provisioni nostrae reservavimus decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Postmodum vero episcopali ecclesia Babylonensi Latina, cui bo. me. Petrus Alexander Coupeniè, ultimus illius dum viveret Episcopus, praesidebat, per obitum ipsius Petri Alexandri, qui extra Rom.

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 82.

Cur. diem clausit supremum, solatio pastoris destituta. Nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt nos certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter nos se potuit seu potest intromittere reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum VV. FF. NN. S. R. E. Card. negociis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus, et in aetate etiam legitima constitutus, et cuius apud nos de morum integritate, doctrina, prudentia et pietate, christianae religionis propagandae studio, deque spiritualium providentia et temporalium circumspectione fide digna perhibentur testimonia, oculos mentis nostrae direximus, quibus omnibus debita ratione pensatis te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem ipsam episcopalem ecclesiam Babylonensem Latinam de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorumdem fratrum consilio apostolica auctoritate tenore praesentium providemus, teque illi in Episcopum praeficimus atque pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur, et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione complectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Caeterum ad ea quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum, favorabiliter respicientes, tibi a quocumque malueris catholico Antistite Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente adcitis et in hoc illi adsistentibus duobus aliis Episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus, vel cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem praefatae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, atque eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a S. Sede propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, praedictum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, plenam harum literarum serie tribuimus facultatem.

§ 4. Volumus autem et eadem auctoritate praecipimus, ut, nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse, quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IV. maii MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXIX.

Armenis Romae degentibus ecclesiam Sancti Blasii Basilicae Vaticanae filialem cum adnexis concedit, pro hospitio erigendo sub dependentia S. C. de P. F., cuius Praefectus eorum Armenorum Protector et Secretar. Primicerius etc.

GREGORIUS PP. XVI.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Romanae Ecclesiae, quae omnium ecclesiarum mater est et magistra, id proprium est, ut ad eam propter potiorem principalitatem, ut Lugdunensis Episcopus Irenaeus ait, omnis convenire debeat Prooemium.

ecclesia, hoc est ii qui sunt undique fideles. Hinc vero magnus semper factus est fidelium ad hanc urbem concursus, tum ut Apostolorum limina inviserent et beati Petri et Pauli exuvias venerarentur, tum ut eam haurirent fidem, quae ab iisdem Apostolis Ecclesiae Romanae tradita est. Quamobrem ab antiquissimis temporibus extructa sunt in urbe partim a pontificibus praedecessoribus nostris, partim ab imperatoribus et regibus, partim tandem ab hominibus pecuniosis et potentibus hospitia et domicilia recipiendis, instruendis et etiam alendis hominibus exteris destinata, quemadmodum et veterum testimonia, et quae adhuc reliqua sunt ex iis aedificiis, manifeste declarant.

Ratio concessionis.

§ 2. Inter caeteras gentes quibus id contigit ut proprium in urbe hospitium et domicilium haberent, commemorandi sunt Armeni, quibus (ut vetustiora praetereamus) iamdudum ecclesia S. Mariae Aegyptiacae cum finitimis aedificiis assignata est. Verum ecclesia illa et domus plura habent incommoda, quibus Armeni coacti sunt opportunius hospitium cupere et saepius postulare. Nam et aer eo in loco insalubris est, locus ipse ignobilis, et ab ea urbis parte quae praecipue frequentata est nimis remotus, domus et ecclesia nimis angustae et ruinosae videntur, tandem ita quidem ea domus sita est, ut nihil in ea facere possit, quod a proximis vicinis non inspiciatur. Quae considerans fel. rec. Leo Papa XII. praedecessor noster, nobis ipsis tunc praefecto sacrae Congregationis de Propaganda Fide curam commisit, ut una cum dilecto filio nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali et sacrae visitationis apostolicae praeside remedia his incommodis tollendis opportuna proponeremus, collatisque consiliis ambo hanc inivimus sententiam, annuendum scilicet esse Armenorum desideriis, et transferendam eorum ecclesiam et hospitium ad ecclesiam S. Blasii in via Iulia, eisque attribuendam tum ecclesiam memoratam, tum viridarium, tum domos omnes eidem ecclesiae adiunctas et finitimas, quae in tabella his apostolicis literis subiecta describuntur. Nam opportunitates omnes tum ecclesia tum domus illae habere dicuntur ad ritus Armenos exercendos, ac ad excipiendos gentis illius viros, de quibus infra dicemus. His accedit nomen ipsum Sancti Blasii martyris, cuius in honorem ea ecclesia extructa est, qui cum Sebastenus in Armenia minori Episcopus fuisse vulgo dicatur, eos illuc quodammodo invitare videtur. Sublatum quoque est impedimentum, quod oriri fortasse poterat ex parochiae auctoritate et appellatione, qua superioribus temporibus praedita illa erat, cum ea nunc careat per literas eiusdem praedecessoris nostri datas kalendis novembribus anni MDCCCXXIV., quarum initium *Super universam,* ac propterea capitulum sacrosanctae basilicae Vaticanae, cuius filialis, ut inquiunt, est Ecclesia S. Blasii, de qua agitur, et ad quod domus pertinent eidem iunctae, iam de concedenda pio cuidam laicorum sodalitio ecclesia illa cogitabat. Quae cum pervenissent ad Armenos, qui in urbe sunt, praeferri se sodalitio illi postularunt, paratosque se professi sunt ad domos illas emendas, quam ad rem satis sibi pecuniae in promptu esse declararunt. Placuit Vaticano capitulo Armenos ea in re praeferre, eaque sententia praedecessori nostro Leoni PP. XII. etiam probata est, qui perpendens quantis et quam praeclaris meritis Armenorum gens praestet, praesertim cum his temporibus tam strenue pro retinenda catholica religione pugnaverit et innumeras calamitates fortiter passa sit, non modo Armenorum votis annuendum, sed multo plus etiam concedendum iudicavit quae ipsi postulaverint, et quamvis ii parati essent aedes illas et viridarium emere, iustumque pretium persolvere, nullum tamen ab iis pretium exigi statuerat. Nos autem nolumus Armenos iis carere beneficiis, quibus praedecessor noster eos cumulare decreverat, eamque pecuniam, quam ad emptionem destinaverant, in reficiendas illas aedes, in sumptus transferendo hospitio necessarios, in implenda facilius hospitii onera, ac in alia huiusmodi impendendam iudicavimus. Neque tamen detrimentum ullum ex his pati debet capitulum Vaticanum, quod nos ob eius insignia omnis generis ornamenta vehementer amamus.

Tenor concessionis.

§ 3. Quare ut utrumque consequamur et Armenorum votis annuere, atque id absque capituli Vaticani iactura nos perficere possimus, audito capitulo, motu proprio ac certa scientia et matura deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine ecclesiam Sancti Blasii, aedesque omnes ei iunctas ad praefatum capitulum quomodolibet spectantes, suis-

que notis finibus circumscriptas cum omnibus suis iuribus ad nos atque ad hanc Apostolicam Sedem avocando statuimus, ut a nostris hisce literis datis cesset prorsus omne vel directum vel utile dominium, seu aliud qualecumque ius, quod hactenus super eam domum et viridarium adnexum, omnesque alias aedes iam indicatas, omnesque earum partes habuit capitulum basilicae Vaticanae, itemque cesset omnis iurisdictio seu ius patronatus, et aliud pariter qualecumque ius, quod super ecclesiam ipsam Sancti Blasii et omnia quae ad eam pertinent, idem capitulum adhuc obtinuit. Iuxta haec loco fructuum, qui ex praedictis aedibus proveniebant, ratione habita cessationis expensarum, quas capitulum sustinebat ob cultus exercitium et rectoris pensionem, cuius loco ei domum quondam parochialem gratis incolendam tradiderat, eidem capitulo assignamus annuam pensionem scutatorum Romanorum octoginta ab hospitio Armeno ad Sanctum Blasium erigendo solvendam, et universos redditus unius praebendae beneficiariae, illius videlicet praebendae de libera collatione nostra, quae nunc in ea basilica vacat. Huiusmodi ergo praebendam nostrarum praesentium literarum vi nunc supprimimus, eiusque fructus ac proventus, seu bona iuraque omnia, quae ad illam praebendam spectant, eidem ipsi capitulo perpetuum in modum concedimus et applicamus; a quo proinde specialia onera, si quae in ea reperiantur, congrue erunt implenda. Haec autem unius praebendae detractio nullius ferme momenti censenda est in tanto illo beneficiorum numero, qui in Vaticana basilica invenitur, quin et pertinet ad decus et gloriam capituli, ad Sancti Petri sepulcrum existentis, ut cum aliquo etiam incommodo suo Armenos foveat, qui tanta nuper mala experti sunt, ne ab antiqua sua cum Petri cathedra communione desciscerent.

Translatio iurium, aliorumque privilegiorum iam concessorum hospitio Sanctae Mariae Aegyptiacae.

§ 4. His vero ita constitutis, quemadmodum indicavimus, omnes et singulos, quibus hae literae faveant, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, per praesentes nostras apostolicas literas saepe memoratam ecclesiam S. Blasii in via Iulia cum sacra eius suppellectile, seu cum rebus omnibus eiusdem ecclesiae usui et ornamento addictis, et domum eidem pariter ecclesiae iunctam cum viridario adnexo, caeterasque omnes aedes superius indicatas, omnesque illarum partes Episcopo caeterisque de clero saeculari et regulari hospitium proprium in urbe non habenti nationis Armenae hoc futuroque tempore in nostra hac alma urbe degentibus in perpetuum concedimus, addicimus et attribuimus. Itaque a die quo re ipsa in novum hunc locum, in ecclesiam nempe Sancti Blasii aedesque adnexas vi praesentium literarum nostrarum iidem Armeni translati fuerint, eorum hospitium, quod hactenus erat apud S. Mariam Aegyptiacam, translatum in hunc eumdem illum locum censeri et esse decernimus, una cum omnibus iuribus et privilegiis, exemptionibus, gratiis atque oneribus hospitio ipsi antehac inhaerentibus. Et, quod ad sacras indulgentias pertinet, concedimus item, ut ad ecclesiam Sancti Blasii transferantur omnes indulgentiae, quae veteri hospitio et ecclesiae concessae fuerant, atque insuper, ut in Ecclesia Sancti Blasii illae omnes indulgentiae perseverent, quae antea in ipsa vigebant. Edicimus praeterea, hanc Armenorum in urbe hospitii translationem ea lege a nobis concessam intelligi debere, ut ecclesia Sancti Blasii iunctisque aedibus utantur, eodem scilicet modo, quo antea uti ecclesia Sanctae Mariae Aegyptiacae et adnexa domo solebant Episcopus Armenus, qui suae gentis homines ad ordines in urbe promovet, iique sacerdotes qui apud ipsam ecclesiam sacrum ministerium obeunt, et alii etiam Armeni sacerdotes, praesertim qui hanc urbem pia aliqua de causa petunt, ita ut benigne excipiantur, idemque praestandum erit erga adolescentes Armenos ex suis regionibus ad urbem advenientes ad navandam operam scientiis ecclesiasticis, modo tamen hi suis sumptibus alantur. Nolumus autem tanti beneficii memoriam oblivione deleri, quare praecipimus, ut in ecclesia Sancti Blasii lapis apponatur inscriptus, in quo antiquorum capituli Vaticani iurium et huius Apostolicae Sedis gratiae mentio fiat: ac praeterea Armeni grati animi testimonium exhibentes onus in se suscipient solvendi quotannis capitulo Vaticano praeter supradictam pensionem scutatorum octoginta, etiam libras tres cerae albae ad sepulcrum

Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli quotannis deferendas in pervigilio, aut die festo eorumdem Sanctorum Apostolorum, illudque liberandi a molestiis si forte agendum sit de iuribus, quae novarum praefatarum aedium commodum respiciunt.

Consulitur cultui ecclesiae Sanctae Mariae Aegyptiacae.

§ 5. Quum vero ad Sanctum Blasium transferri Armenos statuimus, non ea profecto mens nostra est, ut veteris hospitii redditibus, aut ecclesia domove, ad quam illud constitutum erat, eos privare velimus. Attamen, ut nullus hac super re relinquatur dubitandi locus, declaramus atque decernimus Armenorum hospitium posthac etiam tametsi ad Sancti Blasii aedes translatum pertinere tum redditus universos, quos antea, dum apud Sanctam Mariam Aegyptiacam erat, habebat, tum ipsam ecclesiam sanctae eidem mulieri dicatam et adnexam illi domum, nec non et reliqua iura, quae ratione istius domus aut ecclesiae praedictis Armenis competebant. Verum, ne futuris temporibus in ecclesia illa Sanctae Mariae Aegyptiacae cesset sacrorum cultus, integrum iisdem Armenis erit ecclesiam ipsam pio alicui laicorum sodalitio concedere consentiente tamen in eam rem Cardinali praefecto sacrae Congregationis de Propaganda Fide, sub cuius tuitione ipsum illud Armenorum hospitium futurum est, prout infra dicetur. Ex domibus autem huic ecclesiae iunctis accessionem redditibus seu doti hospitii Armenorum fieri constituimus. Ad quam reddituum seu dotis accessionem conferri quoque praecipimus tum pecunias ex eleemosynis collectas, tum res caeteras, quae ab Armenis in emptionem novarum aedium fuerant destinatae, si quid ex eis superesse fuerit inventum post sumptus factos ad novum hospitium parandum, idque ea conditione, ut id omne quod reliquum erit, in fundos, hoc est in bona immobilia, erogetur.

Regulae servandae in hospitio illiusque protectoris concessio.

§ 6. Quum vero nobis maxime curae sit omnia in illo hospitio secundum ordinem geri regique, iubemus, ut regulae iam pro Armenis anno millesimo septingentesimo septuagesimo quarto statutae a Cardinale Pamphilio protectore hospitii Sanctae Mariae Aegyptiacae in posterum, nempe post eorumdem quoque Armenorum translationem in aedes et ecclesiam Sancti Blasii, diligenter seduloque observentur. Ius autem erit Congregationi Fidei Propagandae, si quae in illis addenda remittendave esse censuerit, providere; praesertim cum novae etiam hospitii eiusdem conditioni nunc aptari illas oporteat. Et perpetuo sane itemque per omnia eidem sacrae Congregationi subiectum fore Armenorum hospitium volumus. Quapropter quoniam et protectorem et primicerium habere illum quidem ex coetu Cardinalium, hunc vero ex praelatorum numero, Armeni consueverunt, nos, ut de supradicta omnino Congregatione Fidei Propagandae uterque semper existat, per hasce nostras apostolicas literas ambo ea munera super hospitium Armenorum in hac alma urbe in perpetuum Cardinali praefecto pro tempore et praelato a secretis item pro tempore eiusdem Congregationis divisim iniungimus ac demandamus, illi videlicet munus protectoris, huic vero munus primicerii. Declaramus tamen quod non subito, sed postea quam eadem munera vacabunt, suum nancisci effectum mandatum istud nostrum debeat. Neque enim, qui illa iam obtinent, eos amovere unquam habuimus in animo, dilectum nempe filium nostrum Caesarem presbyterum S. R. E. Cardinalem Brancadoro nuncupatum, ex dispensatione apostolica, Archiepiscopum Firmanum et dilectum filium magistrum Iosephum Groppelli, quorum ille protectoris, hic primicerii super Armenorum hospitium munere funguntur, de quorum quidem laudibus nihil nos detrahere volumus, nec vero possumus. Verum Cardinalis Brancadoro, quum procul ab urbe in dioecesi sibi commissa resideat, consuevit, iam alium aliquem ex Cardinalium pariter coetu rogare, qui eius partes hac in re obiret, cum titulo pro-protectoris. Cum autem eamdem ad rem nos ipsos elegerit, cum praefatae Congregationis praefecti munere fungebamur, nos venerabili fratri nostro Carolo Mariae Episcopo Praenestino Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Pedicini nuncupato, quem eiusdem Congregationis Fidei Propagandae praefectum creavimus, hoc etiam officium committimus, volentes, ut idem Cardinalis Episcopus Praenestinus, vice Cardinalis Brancadoro absentis, omnia quae ad protectoris officium et auctoritatem spectant, pleno prorsus et libero iure decernere ac facere possit. Et huic eidem Cardinali iam nunc Armenorum pro-protectori committimus et mandamus, ut quamprimum fieri possit, apostolica auctoritate nostra ecclesiam Sancti Blasii in via Iulia domum

adnexam, iunctumque viridarium, et caeteras aedes in memorata superius tabella descriptas, et omnes earum partes pertinentes antea ad capitulum basilicae Sancti Petri in Vaticano, nunc vero, quemadmodum constitutum est supra, ad nos et ad Apostolicam Sedem avocatas cum sacra ecclesiae illius suppellectile, seu cum rebus omnibus eiusdem ecclesiae usui et ornamento addictis, legitimo iure Armenis hac in urbe degentibus tradat, ibique eorum hospitium, quod hactenus erat apud Sanctam Mariam Aegyptiacam, perpetuo cum omnibus iuribus et privilegiis ac oneribus supra memoratis collocet atque constituat.

Consulitur oneribus adnexis ecclesiae Sanctae Mariae Aegyptiacae.

§ 7. Sed quoniam non pauca existunt missarum onera, quae in praedicta ecclesia Sanctae Mariae Aegyptiacae adimplenda erant, et fortasse etiam inveniri contiget pia alia legata, sive pro aliis pietatis operibus ei ecclesiae adiectis, Nos praefato Cardinali praefecto sacrae Congregationis Fidei Propagandae plenam facimus potestatem, ut ipse in ecclesiam Sancti Blasii transferre possit onera illa cum adnexis iuribus, aut omnia videlicet, aut illorum partem, prout in Domino censuerit expedire. Insuper tum Cardinali eidem, tum Cardinali archipresbytero sacrosanctae patriarchalis basilicae Vaticanae committimus, ut ambo simul, consiliis inter se collatis, ea statuant, quae in posterum servanda erunt circa similia quaecumque onera, quae ecclesiae Sancti Blasii addicta sunt, atque ut auctoritate nostra definiant ex bono et aequo quaestiones quaslibet, quae super ipsis oneribus, et circa iura illis adnexa forte oriantur inter Armenos et capitulum Vaticanae basilicae, caeterosque omnes qui aliquid sui in iisdem interesse contendant: et ita quidem, ut quod duo illi Cardinales communi sententia super rebus istis statuerint vel iudicaverint, plenissimam prorsus obtineat firmitatem, perinde ac si id ipsum praesentibus nostris literis declaratum fuisset. Volumus tamen ut omnis ista potestas, quam eisdem duobus Cardinalibus commisimus, ab ipsis una simul exercendam, biennio finiatur a datis his nostris literis computando: ac proinde si quae post biennium elapsum statuenda de praedictis oneribus ecclesiae Sancti Blasii aut iudicanda supersint, illorum cognitio ad eos, ad quos de iure pertinet, devolvetur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 8. Haec constituimus atque mandamus, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere, nulloque unquam praetextu, etiam ex eo quod ii quorum intersit in praemissa non consenserint, aut ad illa vocati non sint, de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu impugnari posse; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, et aliis nostris et cancellariae apostolicae regulis fel. rec. Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non praedictae Vaticanae basilicae, eiusque capituli, atque ecclesiarum Sancti Blasii et Sanctae Mariae Aegyptiacae, ac nationis hospitiique Armenorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia innovatis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI. maii MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXX.

Concedit indulgentias assequendas ab eis, qui visitaverint aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Recollectorum nuncupatorum dioecesis S. Fidei de Bogota in Indiis.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Tenor concessionis.

§ 1. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac s. communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Recollectorum nuncupa-

torum dioecesis S. Fidei de Bogota in Indiis Occidentalibus in singulis septem beatae Mariae Virginis Immaculatae festivitatibus a primis vesperis ac feria sexta intra hebdomadam passionis et dominica tertia mensis septembris ab ortu usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis.

§ 3. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVIII. maii MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXXI.

Deputatio visitatoris apostolici dioecesis Smyrnensis.

Dilecto filio presbytero Iuliano Hillaireau Lucionensis dioecesis,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. In hac suprema principis Apostolorum cathedra, meritis licet impares, inscrutabili Dei voluntate constituti ac propterea gravissima ecclesiarum omnium sollicitudine continenter districti, ad universam, quae sub coelo est, gentium multitudinem mentis nostrae oculos diu noctuque circumferre solemus. Quantum enim in nobis est, a solis ortu usque ad occasum laudari nomen Domini summopere cupimus, adeoque ad remotissimas ab hac Sancta Sede regiones pastoralis vigilantiae nostrae curam extendimus, ut ibidem christiana religio magis magisque in dies benedicente Domino stabiliatur atque integra inviolataque servetur.

Ratio concessionis.

§ 2. Cum igitur ex pluribus gravibusque testimoniis acceperimus, talem esse Smyrnensis dioecesis actualem statum, ut peculiarem huius Apostolicae Sedis sollicitudinem requirat, quo ecclesiasticae disciplinae ac piae catholicorum institutioni prospici possit, eaque provideri, quae ad sacrorum canonum observantiam stabiliendam, atque ad religionis incrementum obtinendum necessaria sunt, nos de consilio venerabilium fratrum nostrorum Sancatae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum opportunius quam fieri potest tanti momenti negotio consulere statuimus.

Tenor concessionis.

§ 3. Te igitur, quem singulari pietate, morum integritate, doctrina, prudentia ac religionis propagandae studio praestantem esse accepimus, et Episcopum Calydoniensem sub Archiepiscopo Naupactense in partibus infidelium per alias apostolicas literas in simili forma brevis hodie datas renunciavimus, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, visitatorem apostolicum dioecesis Smyrnensis, cum omnibus et singulis solitis facultatibus huiusmodi muneri adiectis, auctoritate apostolica tenore praesentium, ad nostram et huius Sanctae Sedis voluntatem, nominamus et constituimus, ita tamen ut apostolici visitatoris munus exercere etiam debeas in hospitiis seu conventibus atque ecclesiis regularium in ea dioecesi constitutis, sarta tectaque in praemissis Congregationis eorumdem Cardinalium auctoritate.

Praeceptum de parendo.

§ 4. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae singulis quibusque ad quos spectat ac in tempore spectabit, ut te in apostolicum visitatorem a nobis electum ex hisce literis accipiant et admittant, tibique in omnibus, quae ad officium huiusmodi pertinent, praesto sint ac pareant, tuaque salubria monita et mandata demisse suscipiant et omnino observent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris in rebelles, sive statueris, ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. maii MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXXII.

Praemissis Ecclesiae legibus et praxi circa matrimonia mixta, deplorat errores et conatus eorum qui haec matrimonia defendunt; ad illosque evertendos, laudato primum Episcoporum obsequio erga Sedem Apostolicam, ob iis inculcandum fidelibus et clero, docet: 1. extra ecclesiam, uti sunt haeretici cum quibus contrahuntur ea coniugia, non dari salutem: 2. matrimonia illa esse omnino illicita, aut saltem non sine dispensatione et consuetis conditionibus iniri posse: 3. dispensatione et conditionibus non praemissis, parochos in Bavariâ nec praesentiam praestare iis matrimoniis, nec proclamationes facere posse: 4. tandem nulla haberi debere, adeoque impedienda, coniugia, cum una ex partibus viventem habeat coniugem alterius matrimonii, nisi matrimonium hoc nullum fuisse ecclesiastico iudicio constiterit (1).

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Summo iugiter studio advigilavit Apostolica Sedes, ut Ecclesiae canones, qui nuptias catholicorum cum haereticis severe prohibent, religiose custodirentur. Et quamvis, ad graviora evitanda scandala, quandoque in aliquibus locis necesse fuerit illicita huiusmodi matrimonia tolerare, non tamen praetermiserunt Romani Pontifices omni qua possent ratione providere, ut tunc etiam iis in locis fidelis populus edoceretur, quantum deformitatis et spiritualis periculi nuptiae illae praeseferant, quantique propterea sceleris reus sit catholicus vir aut mulier qui canonicas eâ de re sanctiones violare praesumpserit. Quod si interdum Romani ipsi Pontifices sanctissimum idem canonicum interdictum relaxarunt in peculiaribus casibus, id sane graves ob causas et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus consueverunt adiicere conditionem expressam de praemittendis matrimonio debitis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus in sanctitate religionis catholicae omnino educaretur.

§ 2. Itaque nos qui, licet immerentes, supremam Petri cathedram, Deo ita disponente, tenemus, prae oculis habentes rationem illam a praedecessoribus nostris sanctissime initam, non potuimus, venn. fratres, non contristari vehementer ob allatos a vestris dioecesibus (uti ex aliis diversis locis) plures certosque nuntios, ex quibus intelleximus inveniri istic nonnullos, qui apud populum curis vestris concreditum fovere omni ope nituntur omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque ad eam facilius promovendam opiniones disseminant catholicae veritati contrarias, scilicet ipsi, ut accepimus, affirmare audent, catholicos posse libere ac licite matrimonia cum heterodoxis contrahere, non modo non impetratâ Ecclesiae dispensatione (quae iuxta notas regulas in singulis casibus ab hac Apostolicâ Sede imploranda est), sed praetermissis etiam debitis, quas supra memoravimus, cautelis, illâ praesertim quae est de prole universâ catholice educandâ; quin imo eo res devenit, ut iidem mixta illa connubia tunc etiam probanda esse contendant, cum haeretica pars habeat priorem alium coniugem adhuc viventem a quo divortio discesserit; ad haec et graves poenarum minas adhiberi curarunt, quibus inducantur animarum pastores, ut mixtas nuptias in Ecclesiâ coram catholico populo proclament et postea assistant actui quo illae contrahantur, vel saltem contracturis dimissoriales, quemadmodum appellant, literas concedant; denique nec desunt ex ipsorum illorum numero, qui sibi aliisque persuadere conantur non in catholicâ solum Religione salvari hominem, sed eos quoque, qui haeretici sint atque in haeresi moriantur, ad aeternam vitam posse pertingere.

---

(1) Ex Roskovany de Matr. mixt. t. 2, p. 212.

§ 3. Nonnulla tamen sunt, ven. fratres, quae moerorem levant a nobis inde conceptum; constantia videlicet maximae partis Bavarici populi in retinendâ puritate catholicae fidei, atque in sincero erga ecclesiasticam auctoritatem obsequio; itemque firmitas istius cleri fere universi in sui ministerii partibus ad canonum normam obeundis; praesertim vero eximium pastoralis muneris implendi studium, quo vos, ven. fratres, animari novimus, ut quamvis circa rationem, in hoc mixtarum nuptiarum negotio seu in quibusdam eius rei capitibus, tenendam non eadem omnium vestrum sententia sit, cunctis tamen deliberatum fixumque est, observare Apostolicam hanc Sedem, eiusque ductu custodire concreditos vobis greges, nec reformidare pericula, si qua pro salute ovium adeunda fuerint.

§ 4. Adsumus itaque nostris hisce literis, venn. fratres, ad confirmandas pro munere apostolici nostri ministerii fraternitates vestras, ut in re, de qua agitur, irreformabiles praedicare doctrinas fidei et tueri custodiam canonum maiori usque alacritate pergatis, atque ut, nostrâ vobis patefactâ sententiâ, perfectior deinde inter vos omnes et cum S. hac Sede consensio sit. Sed antea abstinere non possumus quin communicemus vobiscum praeconceptam a nobis spem, ut carissimus in Christo filius noster Ludovicus Bavariae Rex illustris, intelligens ex concordi nostrâ vestrumque omnium voce veram praesentis causae indolem, pro avito, quod cum sanguine hausit, catholicae Religionis studio adesse nobis vobisque velit praevalido patrocinio suo, ut mala, quae ex ipsâ illâ causâ rei catholicae imminent, averrucentur, atque adeo sanctissima nostra Religio in toto Bavariae regno sarta tectaque habeatur, catholicique Antistites ac sacrorum ministri in suis gerendis muneribus plenâ libertate fruantur, quemadmodum et in conventione cum hac Sede Apost. an. MDCCCXVII. initâ cautum est.

§ 5. Porro ad rem venientes, initium, ut par est, faciamus ab iis quae fidem spectant, sine qua impossibile est placere Deo, et quam ut supra monuimus nonnulli in discrimen adducere conantur ad libertatem matrimonii mixti latius inducendam. Ignotum vobis non est, ven. fratres, quam impenso constantique studio maiores nostri inculcaverint eum ipsum, quem illi negare audent, fidei articulum, qui est de catholicae fidei atque unitatis necessitate ad consequendam salutem. Quo spectant verba illa celeberrimi Apostolorum discipuli S. Ignatii martyris in epistolâ ad Philadelphios: « Ne erretis, fratres mei, si quis schisma facientem sectatur, regni Dei haereditatem non consequitur. » S. Augustinus autem aliique Africae Episcopi in Cirtensi concilio anno CDXII. congregati id ipsum ita fusius explicabant: « Quisquis ab hac catholicâ Ecclesiâ fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. » Et praetermissis aliis, quae prope innumera sunt antiquorum Patrum locis, laudabimus gloriosum illum praedecessorem nostrum Sanctum Gregorium M. qui expresse testatur, eam ipsam esse catholicae Ecclesiae doctrinam. Ait enim: « Sancta universalis Ecclesia praedicat, Deum veraciter nisi intra se coli non posse, asserens, quod omnes qui extra ipsam sunt, minime salvabuntur. » Extant praeterea solemnes ipsius Ecclesiae actus quibus dogma idem annunciatum est. Ita in decreto fidei, quod edidit noster itidem praedecessor Innocentius III. cum oecumenicâ Synodo Lateranensi IV., haec habentur: « Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. » Denique idem etiam dogma expresse indicatum habetur in fidei professionibus ab Apostolicâ Sede propositis, tum in illâ videlicet qua omnes ecclesiae latinae utuntur, tum in aliis duabus, quarum altera a Graecis, altera a ceteris orientalibus catholicis adhibetur. Haec ex plurimis selecta testimonia non eo recensuimus animo, ven. fratres, ut vos quasi eum fidei articulum ignorantes edoceremus. Absit a nobis ut tam absurdam et contumeliosam de fraternitatibus vestris suspicionem habeamus. Sed tanta nos sollicitudo tenet ob gravissimum iuxta ac exploratissimum dogma tam insigni a quibusdam audaciâ impugnatum, ut continere calamum non potuerimus a veritate illâ pluribus inculcandâ.

§ 6. Eia igitur, fratres venerabiles, assumite gladium spiritus, quod est verbum Dei, totisque animorum viribus gliscentem errorem eradicare contendite. Sic agite, sicque agant ductu vestro ceteri,

qui sub vobis sunt, animarum curatores, ut fidelis Bavariae populus excitetur ad catholicam fidem atque unitatem, tamquam ad unicam salutis viam ardentiori usque studio custodiendam, atque adeo ad omne illius deserendae periculum vitandum. Quae quidem catholicae unitatis tenendae necessitas ubi fuerit impressa in cunctis Bavarorum fidelium animis alteque defixa, haud facile deinceps irrita erunt monita atque adhortationes, quibus ipsos avertere conabimini a nuptiarum foedere cum haereticis coniungendo; aut si aliqua interdum gravis causa interveniat, quae mixtas huiusmodi nuptias suadere videatur, ut illas non aliter contrahant, nisi impetratâ Ecclesiae dispensatione, et conditionibus, quae, ut supra diximus, praescribi ab illâ solent, religiose servatis. Vestrum scilicet officium est, ut fideles mixta illa connubia inire cupientes (uti et eorum genitores, aliive sub quorum curâ sunt) edoceantur sedulo quaenam circa eam rem canonum sententia sit, graviterque moneantur ne eos in perniciem animarum suarum perfringere audeant. Quare si res ita postulet, revocare in illorum memoriam oportebit notissimum illud naturalis divinaeque legis praeceptum, quo non peccata solum, sed pericula etiam ad peccatum proxime inducentia vitare iubemur, uti et praeceptum aliud eiusdem legis, quo parentibus iniungitur, filios educare in disciplinâ et correptione Domini (Ephes. VI. 4), ideoque et erudire ipsos ad verum Dei cultum, qui unice in catholicâ religione est. Hinc adhortabimini fideles illos, ut serio perpendant quantam supremo Numini iniuriam faciant, et quam crudeliter erga se futurosque sibi liberos acturi sint, ubi nuptiis mixtis temere contrahendis se filiosque ipsos perversionis periculo committant. Atque ut gravitas periculi eiusmodi luculentius appareat, commemorabitis iisdem saluberrima illa Apostolorum, Patrum canonumque monita, quae sunt de periculosâ cum haereticis familiari conversatione evitandâ.

§ 7. At vero si nonnunquam contigerit, quod Deus avertat, ut monita et adhortationes huiusmodi in irritum cadant, et catholicus aliquis vir mulierve recedere nolit a perverso suo consilio ineundi mixtas nuptias, non petitâ, seu non impetratâ Ecclesiae dispensatione vel debitis cautionibus seu earum aliquâ praetermissâ, tunc sane sacri pastoris officium erit abstinere, non solum a matrimonio ipso suâ praesentia honestando, sed etiam a praemittendis eidem proclamationibus atque a dimissorialibus literis concedendis. Vestrum autem est, venn. fratres, admonere parochos ac rite ab iisdem exigere, ut ab omni huiusmodi actu se abstineant. Enimvero animarum curator, qui se aliter gereret in praesentibus praesertim Bavariae adiunctis, approbare quodammodo illicitas illas nuptias facto suo videretur, et illarum libertatem animarum saluti, imo et fidei causae perniciosam suâ ipse operâ foveret.

§ 8. Post haec vix est ut aliqua addamus de aliis illis longe gravissimis casibus matrimonii inter catholicos et haereticos contrahendi, in quibus pars acatholica habeat viventem adhuc priorem coniugem, a quo divortio seiuncta fuerit. Nostis, ven. fratres, quanta ex divino iure sit firmitas matrimonialis vinculi, quod separari humanâ auctoritate non potest. Quare matrimonium mixtum in eiusmodi casibus non modo illicite fieret, sed nullum prorsus atque adulterinum foret; praeterquam si priores illae nuptiae, quas haeretica pars divortio dissolutas esse autumat, irritae omnino fuissent propter aliquod, quod illis vere obstiterit, canonicum dirimens impedimentum: porro in postremo hoc casu non solum servanda erunt ea omnia, quae supra dicta sunt, sed cavendum insuper ut novum ipsum matrimonium non permittatur, nisi postquam causa primi connubii ab haereticâ parte iam antea initi cognita fuerit ecclesiastico iudicio ad canonum normam exacto, quo connubium idem fuerit irritum declaratum.

§ 9. Haec sunt, venn. fratres, quae vobis circa rem de qua agitur significanda censuimus. Interea non desistimus Deum O. M. fervidis precibus solicitare, ut vos et inclytum omnem Bavariae clerum virtute induat ex alto, atque una cum fideli isto populo dextrâ suâ tegat et brachio sancto suo defendat. Maximae autem, qua fraternitates vestras in Domino prosequimur, caritatis pignus sit apostolica benedictio, quam memoratis quoque vestrarum dioecesium clericis laicisque fidelibus dispertiendam, vobis peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII. maii MDCCCXXXII. pontificatus nostri anno II.

XXXIII.

Theodorum Giud coptici ritus Episcopum ecclesiae Halyen eligit (1).

Dilecto filio Theodoro Giud Abucanim Coptici Ritus,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, sollicite corde reddimur et solertes, ut, cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplum boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem Ecclesiarum omnium tunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi et provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 2. Postmodum vero episcopali ecclesia Halyen, quae in America Minori sub archiepiscopatu Neocesarien. in partibus infidelium existit, solatio Pastoris destituta, nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt nos certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter nos se potuit seu potest intromittere reservatione et decreto praedictis obsistentibus, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno et sollicito studio intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negociis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te qui legitimo matrimonio procreatus et in legitima etiam aetate constitutus existis, cuius apud nos de morum integritate, doctrina, prudentia et pietate ac christianae Religionis et catholicae fidei zelo, spiritualium providentia ac temporalium circumspectione fide digna perhibentur testimonia, oculos mentis nostrae direximus: quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem episcopalem ecclesiam Halyen de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio, apostolica auctoritate tenore praesentium providemus, teque illi in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen, ed administrationem ipsius ecclesiae Halyen tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur, et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa Religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione complectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praedicta gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praedictam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus et indulgemus. Caeterum ad ea, quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum, favorabiliter respicientes, tibi, ut a quocumque malueris catholico Antistite Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente adcito et in hoc illi adsistentibus duobus aliis Episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri non poterunt, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti Regularibus, similem praedictae huius Sedis gratiam et communionem

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 94.

habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, ac eidem Antistiti, ut receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei iuxta articulos pridem a S. Sede propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento praefatum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, plenam harum literarum serie tribuimus facultatem.

§ 3. Volumus tamen et eadem auctoritate praecipimus, ut nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque ac synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. iunii MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXXIV.

Episcopum Halyen coptum catholicae Coptorum nationis Vic. Apost. eligit (1).

Dilecto filio presbytero Theodoro Giud Abucharim Coptici ritus,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Pastorale officium nobis ex alto commissum nihil nos magis sollicitat, quam Christi fidelibus, ut in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam salutem animarum suarum assequendam opportunis praesidiis adiuventur, omni quo possumus cum Deo studio providere.

§ 2. Nos itaque de tua fide, prudentia, integritate, doctrina, et catholicae religionis zelo quam plurimum in Domino confisi, quod ea, quae tibi committenda duxerimus, cumulate sis expleturus, cum per obitum Maximi Givaid Episcopi Utinensis munus Vicarii Apostolici catholicae Coptorum nationis vacaverit, de ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, in eiusdem catholicae Coptorum nationis Vicarium Apostolicum omnibus iuribus et facultatibus te, quem per similes apostolicas nostras litteras hoc ipso die datas renunciavimus Episcopum Halyen in partibus infidelium, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum tenore praesentium eligimus, deputamus et constituimus, salva tamen semper in praemissis Congregationis eorumdem Cardinalium auctoritate.

§ 3. Mandamus praeterea omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompti pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis et consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis ac innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. iunii MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXXV.

Erigit Vicariatum Apostolicum Madraspatanum in Indiis Orientalibus.

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p 49.

Dilecto filio Ioanni Poulden sacerdoti Monacho Congregationis Anglo-Benedictinae,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium nobis ex alto commissum nihil nos magis solicitat, quam christifidelibus, ut in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam animarum suarum assequendam salutem opportunis praesidiis adiuventur, omni quo cum Deo possumus studio providere.

§ 1. Quum itaque ad catholicae religionis bonum in locis Madraspatanae missioni subiectis stabiliter procurandum statuerimus, memoratae missionis regimen Vicario Apostolico charactere episcopali insignito committendum esse, nos de tuâ pietate, doctrinâ et prudentiâ, itemque catholicae religionis studio quamplurimum in Domino confisi, quod ea, quae tibi committenda decrevimus, cumulate sis expleturus, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio in iisdem locis Madraspatanae missioni subiectis Vicarium Apostolicum te, quem per similes apostolicas literas hac ipsâ die datas renunciavimus Episcopum Hierocaesariensem in part. infid., ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, tenore praesentium eligimus, deputamus et constituimus, praecipientes ut non modo iurisdictionem omnem spiritualem habeas per loca omnia Madraspatanae missioni subiecta, sed etiam temporalia omnia iura, possessiones, hospitia, ecclesiae, quae hactenus fratrum Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum missionis propria erant, Congregationis eorumdem Cardinalium nomine in tuam transeant potestatem, salvâ tamen semper in praemissis ipsius congregationis auctoritate.

§ 2. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat atque spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompte pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibus, aliisque decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium facientibus concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die III. iulii MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXXVI.

Respondet gratulationibus et obsequio Patriarchae Maronitarum nomine totius nationis novo Pontifici praestitis, eumque certiorem reddit, Collegium Maronitarum Romae nondum restitui posse, alumnos tamen, ad quos mittendos eum solicitat, instituendos fore in Collegio Urbano (1).

Venerabili fratri Iosepho Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi dubium nobis non erat quin, provectione istic nuntiatâ humilitatis nostrae, plenas ad nos officii et pietatis significatione literas dedisses, tamen exemplum quod misisti earumdem literarum, quas deperditas arbitramur, gratissimum habuimus. Gavisi enim valde sumus certio-

(1) Ex Reg. Vat. lit. ad Princ. etc.

res facti, te una cum isto fideli populo universo gratias egisse Domino, ac pro nostrâ sanctaeque Ecclesiae incolumitate impense supplicasse; fidei praeterea mentisque nobis ac matri huic et capiti omnium Ecclesiarum penitus devotae testificationem legentes tuam cum iis plane congruentem quae scribit S. Ciprianus: *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata*. Sic animatâ fraternitate tuâ, sic docente, uti confidimus, ac suadente, non dubitamus, omnium, quotquot sunt, pastorali curae tuae crediti lege creditorum semper fore *cor unum et animam unam*, ac nunquam remissam *solicitudinem servandi unitatem spiritus in vinculo pacis*.

Ad nos autem quod attinet, divino inscrutabili iudicio in hanc Cathedram evectos, unde unitas sacerdotalis exorta est, tibi confirmamus, et oves et agnos istius gregis, omni tempore licet in medio nationis pravae vere fidei retinentissimi, maxime semper fore nobis curae, omniaque studia nostra omnem operam pollicemur quacumque ratione tibi illique prodesse, Deo adiuvante, possimus. Atque utinam ea nobis esset facultas ut postulationi tuae de Collegio Maronitarum in hac Urbe restituendo annuere possemus! At multo deterior in dies, ut omnes norunt, conditio facta est rerum nostrarum, quam fuit tempore fel. rec. decessoris nostri, quem tamen ad hoc respondisse scimus, res eius collegii in ea conditione esse, ut nondum restitui posset.

Quod vero ille, et nos adiungimus, locum esse interim in Collegio Propagandae Fidei aliquot adolescentibus clericis nationis tuae. Eos ut mittas cupide expectamus. Urget enim nos cura ecclesiasticae cleri istius institutioni, quoad per nos fieri potest, consulendi, quo fraternitati tuae operarii praesto sint idonei ac fideles, qui tecum studiose utiliterque laborent in messe Domini. Habentes autem pro tuo erga nos officio gratiam, tibi, ven. frater, universaeque dilectissimae nobis genti Maronitarum omnis auspicem gratiae caelestis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. iulii MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXXVII.

Vicario Apost. Tunquini Occidentalis facultatem concedit coadiutorem cum futura successione eligendi (1).

Ven. fratri Episcopo Castoriensi, Tunquini Occidentalis Vicario Apostolico,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum ven. frater Beniaminus Longer Episcopus Gortynensis Tunquini Occidentalis Vicarius Apostolicus ex hac vita migravit, tuque illius coadiutor in eius locum successeris: ne forte, quod absit, vicariatus ipse sine pastore episcopali charactere insignito remaneat, si diutius novi coadiutoris electio retardari contingat, facultates tibi tribuendas censuimus, quarum ope tuum valeas in vicariatu praefato eligere coadiutorem cum futura successione, eumdemque Episcopum consecrare cum titulo episcopali per nos adsignando.

§ 2. Quamobrem pro spirituali bono memorati Vicariatus Apostolici Tunquini Occidentalis, ne in eligenda persona idonea pro huiusmodi coadiutoris officio tibi grata et ad explendum munus apta, quae prius a nobis esset, ut par est, approbanda, tempus frustra labatur, ob nimiam locorum longinquitatem extraordinario modo, tibi, de cuius pietate, prudentia, fide, religione et doctrina summopere in Domino confidimus, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, tibi, vener. frater, necessarias et opportunas facultates tibi eligendi in coadiutorem commemorati officii Vicarii Apostolici Tunquini Occidentalis eum quem dignissimum magisque huic muneri idoneum pro tenore praesentium tribuimus et impertimur, ita tamen ut coadiutor sic per te electus non nisi ea

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 101.

quae hac in re tu illi mandaveris, omnino praestare teneatur. Quando autem munus huiusmodi, quo in praesentia tu fungeris, quomodolibet ex persona tua vacaverit, coadiutorem ut supra a te eligendum, loco tui, Vicarium Apostolicum Tunquini Occidentalis cum omnibus et singulis facultatibus, quae tibi ratione officii huiusmodi a Sede hac Apostolica hactenus quomodolibet concessae sunt, nunc pro tunc auctoritate et tenore praesentis facimus et constituimus, salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 3. Praeterea ut idem coadiutor a te eligendus charactere et titulo episcopali sit insignitus, ex nunc pariter pro tunc illum in Episcopum Ecclesiae Acanthen. actu per obitum ultimi illius Episcopi vacantis, quae sub Archiepiscopo Thessalonicen. in partibus infidelium existit, eadem auctoritate nostra concedas et indulgeas, tibique pariter, ut eidem coadiutori a te eligendo, ac postea in Episcopum Acanthen. auctoritate et tenore praefatis renuntiando, postquam ab eo catholicae fidei professionem iuxta articulos a Sede nostra praescriptos ac nostro et S. R. E. nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum receperis, munus consecrationis auctoritate nostra apostolica impendere licite valeas, accitis et in hoc tibi assistentibus duobus presbyteris saecularibus seu cuiusvis ordinis, congregationis et instituti regularibus huius Sedis gratiam et communionem habentibus, dicta auctoritate plenam et liberam tribuimus facultatem.

§ 4. Volumus tamen, eademque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut, nisi receptis ab illo per te ipsum iuramento et professione fidei huiusmodi, tu consecrationis munus dicto coadiutori impendere, et ille suscipere praesumpseritis, tu a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum eo ipso suspensi sitis. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac pro tempore spectabit, ut illum per te eligendum in coadiutorem ad liberum eiusdem muneris exercitium iuxta tenorem praesentium recipiant et admittant, illique in omnibus, quae ad huiusmodi officium pertinent, praesto sint atque obediant, eiusque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam seu poenam quam in rebelles tulerit seu rite statueris, ratam habebimus, et faciemus Deo auctorante usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXXI. iulii MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXXVIII.

Sanctissimi Domini nostri Gregorii divina provid. Papae XVI. Epistola Encyclica Divina vos *ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos.*

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Mirari vos arbitramur, quod ab imposita nostrae humilitati Ecclesiae universae procuratione nondum literas ad vos dederimus, prout et consuetudo vel a primis temporibus invecta et benevolentia in vos nostra postulasset. Erat id quidem nobis maxime in votis, ut dilataremus illico super vos cor nostrum, atque in communicatione spiritus ea vos adloqueremur voce, qua confirmare fratres in persona beati Petri iussi fuimus (1). Verum probe nostis, quanam malorum aerumnarumque procella primis pontificatus nostri momen-

(1) Luc. 22, 32.

tis in eam subito altitudinem maris acti fuerimus, in qua, nisi dextera Dei fecisset virtutem, ex teterrima impiorum conspiratione nos congemuissetis demersos. Refugit animus tristissima tot discriminum recensione susceptum inde moerorem refricare; patrique potius omnis consolationis benedicimus, qui, disiectis perduellibus, praesenti nos eripuit periculo, atque, turbulentissima sedata tempestate, dedit a metu respirare. Proposuimus illico vobiscum communicare consilia ad sanandas contritiones Israel; sed ingens curarum moles, quibus in concilianda publici ordinis restitutione obruti fuimus, moram tunc nostrae huic obiecit voluntati.

Nova interim accessit causa silentii ob factiosorum insolentiam, qui signa perduellionis iterum attollere conati sunt. Nos quidem tantam hominum pervicaciam, quorum effrenatus furor impunitate diuturna impensaeque nostrae benignitatis indulgentia non deliniri, sed ali potius conspiciebatur, debuimus tandem, ingenti licet cum moerore, ex collata nobis divinitus auctoritate, virga compescere (1); ex quo, prout iam probe coniicere potestis, operosior in dies instantia nostra quotidiana facta est.

Ast cum, quod ipsum iisdem ex causis distuleramus, iam possessionem pontificatus in Lateranensi Basilica ex more institutoque maiorum adiverimus, omni demum abiecta cunctatione, ad vos properamus, venerabiles fratres, testemque nostrae erga vos voluntatis epistolam damus laetissimo hoc die, quo de Virginis Sanctissimae in Coelum Assumptae triumpho sollemnia festa peragimus, ut quam Patronam ac Sospitam inter maximas quasque calamitates persensimus, ipsa et scribentibus ad vos nobis adstet propitia, mentemque nostram coelesti afflatu suo in ea inducat consilia, quae Christiano Gregi futura sint quammaxime salutaria.

Moerentes quidem, animoque tristitia confecto venimus ad vos, quos pro vestro in religionem studio, ex tanta, in qua ipsa versatur, temporum acerbitate maxime anxios novimus. Vere enim dixerimus, horam nunc esse potestatis tenebrarum ad cribrandos, sicut triticum, filios electionis (2). Vere *luxit et defluxit terra . . . infecta ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum* (3).

Loquimur, venerabiles fratres, quae vestris ipsi oculis conspicitis, quae communibus idcirco lacrymis ingemiscimus. Alacris exultat improbitas, scientia impudens, dissoluta licentia. Despicitur sanctitas sacrorum, et quae magnam vim magnamque necessitatem possidet, divini cultus maiestas ab hominibus nequam improbatur, polluitur, habetur ludibrio. Sana hinc pervertitur doctrina, erroresque omnis generis disseminantur audacter. Non leges sacrorum, non iura, non instituta, non sanctiores quaelibet disciplinae tutae sunt ab audacia loquentium iniqua. Vexatur acerrime Romana haec nostra beatissimi Petri Sedes in qua posuit Christus Ecclesiae firmamentum; et vincula unitatis in dies magis labefactantur, abrumpuntur. Divina Ecclesiae auctoritas oppugnatur, ipsiusque iuribus convulsis, substernitur ipsa terrenis rationibus, ac per summam iniuriam odio populorum subiicitur, in turpem redacta servitutem. Debita Episcopis obedientia infringitur, eorumque iura conculcantur. Personant horrendum in modum academiae ac gymnasia novis opinionum monstris, quibus non occulte amplius et cuniculis petitur Catholica fides, sed horrificum ac nefarium ei bellum aperte iam et propalam infertur. Institutis enim exemploque praeceptorum, corruptis adolescentium animis, ingens religionis clades, morumque perversitas teterrima percrebuit. Hinc porro freno religionis sanctissimae proiecto, per quam unam regna consistunt, dominatusque vis ac robur firmatur, conspicimus ordinis publici exitium, labem principatus, omnisque legitimae potestatis conversionem invalescere. Quae quidem tanta calamitatum congeries ex illarum in primis conspiratione societatum est repetenda, in quas quidquid in haeresibus et in sceleratissimis quibusque sectis sacrilegum, flagitiosum ac blasphemum est, quasi in sentinam quamdam, cum omnium sordium concretione, confluxit.

Haec, venerabiles fratres, et alia complura et fortassis etiam graviora, quae in praesens percensere longum esset, ac vos probe nostis, in dolore esse nos iubent, acerbo sane ac diuturno, quos in cathe-

(1) I. Corinth. 4, 21.
(2) Luc. 22, 53.
(3) Isaiae 24, 5.

dra Principis Apostolorum constitutos zelus universae Domus Dei comedat prae caeteris, opus est. Verum cum eo nos loci positos esse agnoscamus, quo deplorare dumtaxat innumera haec mala non sufficiat, nisi et ea convellere pro viribus connitamur; ad opem fidei vestrae confugimus, vestramque pro catholici gregis salute sollicitudinem advocamus, venn. fratres, quorum spectata virtus ac religio et singularis prudentia et sedula adsiduitas animos nobis addit, atque in tanta rerum asperitate afflictos consolatione sustentat periucunda. Nostrarum quippe est partium, vocem tollere omniaque conari, ne aper de silva demoliatur vineam, neve lupi mactent gregem: nostrum est, oves in ea dumtaxat pabula compellere, quae salutaria iisdem sint, nec vel tenui suspicione perniciosa. Absit, charissimi, absit, ut, quando tanta premant mala, tanta impendeant discrimina, suo desint muneri pastores et perculsi metu dimittant oves, vel, abiecta cura gregis, otio torpeant ac desidia. Agamus idcirco in unitate spiritus communem nostram, seu verius Dei, causam, et contra communes hostes pro totius populi salute una omnium sit vigilantia, una contentio.

Id porro apprime praestabitis, si, quod vestri muneris ratio postulat, attendatis vobis et doctrinae, illud assidue revolventes animo, *universalem Ecclesiam quacumque novitate pulsari* (1), atque ex S. Agathonis Pontificis monitu (2) ***nihil de iis, quae sunt regulariter definita, minui debere, nihil mutari, nihil adiici, sed ea et verbis et sensibus illibata esse custodienda***. Immota inde consistet firmitas unitatis, quae hac B. Petri cathedra suo veluti fundamento continetur, ut unde in ecclesias omnes venerandae communionis iura dimanant, ibi ***universis et murus sit, et securitas, et portus expers fluctuum, et bonorum thesaurus innumerabilium*** (3). Ad eorum itaque retundendam audaciam, qui vel iura Sanctae huius Sedis infringere conantur, vel dirimere Ecclesiarum cum ipsa coniunctionem, qua una eaedem nituntur et vigent, maximum fidei in eam ac venerationis sincerae studium inculcate, inclamantes cum S. Cypriano (4), ***falso confidere se esse in Ecclesia, qui cathedram Petri deserat, super quam fundata est Ecclesia.***

In hoc ideo elaborandum vobis est, assidueque vigilandum, ut fidei depositum custodiatur in tanta hominum impiorum conspiratione, quam ad illud diripiendum perdendumque factam lamentamur. Meminerint omnes, iudicium de sana doctrina, qua populi imbuendi sunt, atque Ecclesiae universae regimen et administrationem penes Romanum Pontificem esse, cui ***plena pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam potestas a Christo Domino tradita fuit,*** uti Patres Florentini Concilii diserte declararunt (5). Est autem singulorum Episcoporum cathedrae Petri fidelissime adhaerere, depositum sancte religioseque custodire et pascere, qui in eis est, gregem Dei. Presbyteri vero subiecti sint, oportet, Episcopis, quos ***uti animae parentes suscipiendos ab ipsis esse,*** monet Hieronymus (6): nec unquam obliviscantur, se vetustis etiam canonibus vetari, quidpiam in suscepto ministerio agere, ac docendi et concionandi munus sibi sumere ***sine sententia Episcopi, cuius fidei populus est creditus, et a quo pro animabus ratio exigetur*** (7). Certum denique firmumque sit, eos omnes, qui adversus praestitutum hunc ordinem aliquid moliantur, statum Ecclesiae, quantum in ipsis est, perturbare.

Nefas porro esset, atque ab eo venerationis studio prorsus alienum, qua Ecclesiae leges sunt excipiendae, sancitam ab ipsa disciplinam, qua et sacrorum procuratio, et morum norma et iurium ecclesiae, ministrorumque eius ratio continetur, vesana opinandi libidine improbari, vel ut certis iuris naturae principiis infestam notari, vel mancam dici atque imperfectam, civilique auctoritati subiectam.

Cum autem, ut Tridentinorum Patrum verbis utamur, constet, Ecclesiam ***eruditam fuisse a Christo Iesu, eiusque Apostolis, atque a Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edoceri*** (8), absurdum plane est ac maxime in eam iniuriosum, ***restaurationem*** ac ***regenera-***

(1) S. Celest. PP. ep. 21 ad Episc. Galliar.
(2) S. Agatho PP. ep. ad Imp. apud Labb. tom. II., pag. 235, ed. Mansi.
(3) S. Innocent. PP. ep. 11 apud Coustat.
(4) S. Cypr. de unitate Eccles.
(5) Conc. Flor. sess. 25. In definit. apud Labb. tom. 18, col. 527 edit. Venet.
(6) S. Hieron. ep. 2 ad Nepot. a 1, 24.
(7) Ex Can. Ap. 38, apud Labb. tom. I., pag. 38, edit. Mansi.
(8) Conc. Trid. sess. 13 dec. de euchar. in prooem.

tionem quamdam obtrudi, quasi necessariam, ut eius incolumitati et incremento consulatur, perinde ac si censeri ipsa possit vel defectui, vel obscurationi, vel aliis huiuscemodi incommodis obnoxia; quo quidem molimine eo spectant novatores, ut *recentis humanae institutionis iaciantur fundamenta,* illudque ipsum eveniat, quod detestatur Cyprianus, ut, quae divina res est, *humana fiat Ecclesia* (1). Perpendant vero, qui consilia id genus machinantur, uni Romano Pontifici ex S. Leonis testimonio *canonum dispensationem esse creditam,* ipsiusque dumtaxat esse, non vero privati hominis, *de paternarum regulis sanctionum* quidpiam decernere, atque ita, quemadmodum scribit S. Gelasius (2), *decreta canonum librare, decessorumque praecepta metiri, ut quae necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, temperentur.*

Hic autem vestram volumus excitatam pro religione constantiam adversus foedissimam in clericalem coelibatum coniurationem, quam nostis effervescere in dies latius, connitentibus cum perditissimis nostri aevi philosophis nonnullis etiam ex ipso ecclesiastico ordine, qui personae obliti munerisque sui, ac blanditiis abrepti voluptatum, eo licentiae proruperunt, ut publicas etiam atque iteratas aliquibus in locis ausi sint adhibere Principibus postulationes ad disciplinam illam sanctissimam perfringendam. Sed piget de turpissimis hisce conatibus longo vos sermone distinere, vestraeque potius religioni fidentes committimus, ut legem maximi momenti, in quam lascivientium tela undique sunt intenta, sartam tectam custodiri, vindicari, defendi, ex sacrorum canonum praescripto, omni ope contendatis.

Honorabile deinde christianorum connubium, quod *Sacramentum magnum* nuncupavit Paulus *in Christo et Ecclesia* (3), communes nostras curas efflagitat, ne quid adversus ipsius sanctitatem, ac de indissolubili eiusdem vinculo minus recte sentiatur vel tentetur induci. Impense id iam commendarat suis ad vos litteris felicis recordationis praedecessor noster Pius VIII.; adhuc tamen infesta eidem molimina succrescunt. Docendi itaque sunt sedulo populi, matrimonium semel rite initum dirimi amplius non posse, nexisque connubio Deum indidisse perpetuam vitae societatem, nodumque necessitudinis, qui exsolvi, nisi morte, non possit. Memores, sacris illud rebus adnumerari et Ecclesiae proinde subiici, praestitutas de ipso eiusdem Ecclesiae leges habeant ob oculos, iisque pareant sancte accurateque, ex quarum exequutione omnino pendet eiusdem connubii vis, robur, ac iusta consociatio. Caveant, ne quod sacrorum canonum placitis conciliorumque decretis officiat, ulla ratione admittant, probe gnari, exitus infelices illa habitura esse coniugia, quae vel adversus Ecclesiae disciplinam, vel non propitiato prius Deo, vel solo aestu libidinis iungantur, quin de sacramento ac de mysteriis, quae illo significantur, ulla teneat sponsos cogitatio.

Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in praesens comploramus Ecclesiam, *indifferentismum* scilicet, seu pravam illam opinionem, quae improborum fraude ex omni parte percrebuit, qualibet fidei professione aeternam posse animae salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur. At facili sane negotio in re perspicua planeque evidenti, errorem exitiosissimum a populis vestrae curae concreditis propelletis. Admonente Apostolo (4), *unum esse Deum, unam fidem, unum baptisma,* extimescant, qui e religione qualibet patere ad portum beatitudinis aditum comminiscuntur, reputentque animo ex ipsius Servatoris testimonio, *esse se contra Christum, qui cum Christo non sunt* (5), seque infeliciter dispergere, quia cum ipso non colligunt, ideoque *absque dubio aeternum esse perituros, nisi teneant catholicam fidem, eamque integram inviolatamque servaverint* (6). Hieronymum audiant, qui, cum in tres partes schismate scissa esset Ecclesia narrat, se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitebatur, constanter clamitasse: *Si quis cathedrae Petri iungitur, meus est* (7). Falso autem sibi quis blandiretur, quod et ipse in aqua sit re-

(1) S. Cypr. ep. 52, edit. Baluz.
(2) S. Gelasius PP. in ep. ad episcop. Lucaniae.
(3) Ad Hebr. 13, 4.
(4) Ad Ephes. 4, 5.
(5) Luc. 11, 23.
(6) Symbol. S. Athanas.
(7) S. Hier. ep. 58.

generatus. Opportune enim responderet Augustinus (1): ***Ipsam formam habet etiam sarmentum, quod praecisum est de vite: sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice?***

Atque ex hoc putidissimo ***indifferentismi*** fonte absurda illa fluit ac erronea sententia, seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet ***libertatem conscientiae***. Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa atque immoderata libertas opinionum, quae in sacrae et civilis rei labem late grassatur, dictitantibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in religionem promanare. At ***quae peior mors animae, quam libertas erroris?*** inquiebat Augustinus (2). Freno quippe omni adempto, quo homines contineantur in semitis veritatis, proruente iam in praeceps ipsorum natura ad malum inclinata, vere apertum dicimus ***puteum abyssi*** (3), e quo vidit Ioannes ascendere fumum, quo obscuratus est sol, locustis ex eo prodeuntibus in vastitatem terrae. Inde enim animorum immutationes, inde adolescentium in deteriora corruptio, inde in populo sacrorum rerumque ac legum sanctissimarum contemptus, inde uno verbo pestis rei publicae prae qualibet capitalior, cum experientia teste vel a prima antiquitate notum sit, civitates, quae opibus, imperio, gloria floruere, hoc uno malo concidisse, libertate immoderata opinionum, licentia concionum, rerum novandarum cupiditate.

Huc spectat deterrima illa ac numquam satis exsecranda et detestabilis libertas artis librariae ad scripta quaelibet edenda in vulgus, quam tanto convicio audent nonnulli efflagitare ac promovere. Perhorrescimus, venn. fratres, intuentes, quibus monstris doctrinarum, seu potius quibus errorum portentis obruamur. quae longe ac late ubique disseminantur ingenti librorum multitudine, libellisque et scriptis mole quidem exiguis, malitia tamen permagnis, e quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terrae. Sunt tamen, proh dolor! qui eo impudentiae abripiantur, ut asserant pugnaciter, hanc errorum colluviem inde prorumpentem satis cumulate compensari ex libro aliquo, qui in hac tanta pravitatum tempestate ad religionem ac veritatem propugnandam edatur. Nefas profecto est, omnique iure improbatum, patrari data opera malum certum ac maius, quia spes sit, inde boni aliquid habitum iri. Numquid venena libere spargi ac publice vendi, comportarique, imo et obbibi debere, sanus quis dixerit, quod remedii quidpiam habeatur, quo qui utuntur, eripi eos ex interitu identidem contingat?

Verum longe alia fuit Ecclesiae disciplina in exscindenda malorum librorum peste vel ab Apostolorum aetate, quos legimus grandem librorum vim publice combussisse (4). Satis sit, leges in Concilio Lateranensi V. in eam rem datas perlegere, et Constitutionem, quae deinceps a Leone X. fel. rec. praedecessore nostro fuit edita, ne ***id quod ad fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat*** (5). Id quidem et Tridentinis Patribus maximae curae fuit, qui remedium tanto huic malo adhibuere, edito saluberrimo decreto de Indice librorum, quibus impura doctrina contineretur, conficiendo (6). ***Pugnandum est acriter,*** inquit Clemens XIII. fel. rec. praedecessor noster in suis de noxiorum librorum proscriptione encyclicis litteris (7), ***pugnandum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies: nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis facinorosa elementa in flammis combusta depereant.*** Ex hac itaque constanti omnium aetatum solicitudine, qua semper Sancta haec Apostolica Sedes suspectos et noxios libros damnare, et de hominum manibus extorquere enisa est, patet luculentissime, quantopere falsa, temeraria, eidemque Apostolicae Sedi iniuriosa et fecunda malorum in christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum veluti gravem nimis et onerosam reiiciunt, sed eo etiam improbitatis

(1) S. Aug. in psal. contra part. Donat.
(2) S. Aug. ep. 166.
(3) Apocalyps. 9, 3.
(4) Act. Apost. 19.
(5) Act. Conc. Lateran. V., sess. 10, ubi refertur const. Leonis X. Legenda est anterior constitutio Alexandri VI. *Inter multiplices*, in qua multa ad rem.
(6) Conc. Trid. sess. 18 et 25.
(7) Lit. Clem. XIII. *Christianae* XXV. novembris MDCCLXVI.

progrediuntur, ut eam praedicent a recti iuris principiis abhorrere, iusque illius decernendae, habendaeque audeant Ecclesiae denegare.

Cum autem circumlatis in vulgus scriptis doctrinas quasdam promulgari acceperimus, quibus debita erga Principes fides atque submissio labefactatur, facesque perduellionis ubique incenduntur: cavendum maxime erit, ne populi inde decepti a recti semita abducantur. Animadvertant omnes, *non esse*, iuxta Apostoli monitum, *potestatem nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, et qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (1). Quocirca et divina et humana iura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditionumque machinationibus a fide in Principes desciscere, ipsosque ab imperio deturbare connituntur.

Atque hac plane ex causa, ne tanta se turpitudine foedarent veteres christiani, soevientibus licet persecutionibus, optime tamen eos de Imperatoribus ac de Imperii incolumitate meritos fuisse constat, idque nedum fide in iis, quae sibi mandabantur religioni non contraria, accurate prompteque perficiendis, sed et constantia et effuso etiam in praeliis sanguine luculentissime comprobasse. *Milites christiani*, ait S. Augustinus (2), *servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in coelis erat. Distinguebant Dominum aeternum a Domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum aeternum etiam Domino temporali.* Haec quidem sibi ob oculos proposuerat S. Mauritius martyr invictus, legionis Thebanae Primicerius, quando, uti S. Eucherius refert, haec respondit Imperatori (3): *Milites sumus, Imperator, tui, sed tamen servi, quod libere confitemur, Dei . . . . Et nunc non nos haec ultima vitae necessitas in rebellionem coegit: tenemus ecce arma, et non resistimus, quia mori, quam occidere, satius volumus.* Quae quidem veterum christianorum in Principes fides eo etiam illustrior effulget, si perpendatur cum Tertulliano (4), tunc temporis christianis *non defuisse vim numerorum et copiarum, si hostes exertos agere voluissent. Esterni sumus*, inquit ipse, *et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum . . . . . Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? . . . Si tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset utique pudore dominationem vestram tot qualiumcumque amissio civium, immo et ipsa destitutione punisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram . . . . . quaesissetis, quibus imperaretis: plures hostes, quam cives vobis remansissent: nunc autem pauciores hostes habetis prae multitudine christianorum.*

Praeclara haec immobilis subiectionis in Principes exempla, quae ex sanctissimis christianae religionis praeceptis necessario proficiscebantur, detestandam illorum insolentiam et improbitatem condemnant, qui proiecta effrenataque procacis libertatis cupiditate aestuantes, toti in eo sunt, ut iura quaeque Principatuum labefactent, atque convellant, servitutem sub libertatis specie populis illaturi. Huc sane scelestissima deliramenta consiliaque conspirarunt Waldensium, Beguardorum, Wiclefistarum aliorumque huiusmodi filiorum Belial, qui humani generis sordes ac dedecora fuere, merito idcirco ab Apostolica hac Sede toties anathemate confixi. Nec alia profecto ex causa omnes vires intendunt veteratores isti, nisi ut cum Luthero ovantes gratulari sibi possint, *liberos se esse ab omnibus*, quod ut facilius celeriusque assequantur, flagitiosora quaelibet audacissime aggrediuntur.

Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque Imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta extitit ac salutaris.

At ad ceteras acerbissimas causas, quibus soliciti sumus, et in communi discrimine dolore quodam praecipuo angimur,

(1) Ad Rom. 13, 2.
(2) S. Aug. in psalt. 124, n. 7.
(3) S. Eucher. apud Ruinart. Act. SS. MM. de SS. Maurit. et Soc. n. 4.
(4) Tertul. in Apologet. cap. 37.

accessere consociationes quaedam, statique coetus, quibus, quasi agmine facto cum cuiuscumque etiam falsae religionis ac cultus sectatoribus, simulata quidem in religionem pietate, vere tamen novitatis seditionumque ubique promovendarum cupidine, libertas omnis generis praedicatur, perturbationes in sacram et civilem rem exscitantur, sanctior quaelibet auctoritas discerpitur.

Haec perdolenti sane animo, fidentes tamen in Eo, qui imperat ventis et facit tranquillitatem, scribimus ad vos, venerabiles fratres, ut induti scutum fidei contendatis praeliari strenue praelia Domini. Ad vos potissimum pertinet, stare pro muro contra omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei, habeantque a vobis panem, qui esuriunt iustitiam. Adsciti, ut sitis cultores navi in vinea Domini, id unum agite, in hoc simul laborate, ut radix quaelibet amaritudinis ex agro vobis commisso evellatur, omnique enecato semine vitiorum convalescat ibi seges laeta virtutum. Eos in primis affectu paterno complexi, qui ad sacras praesertim disciplinas, et ad philosophicas quaestiones animum appulere, hortatores auctoresque iisdem sitis, ne solius ingenii sui viribus freti imprudenter a veritatis semita in viam abeant impiorum. Meminerint, Deum esse *sapientiae ducem, emendatoremque sapientium* (1), ac fieri non posse, ut sine Deo Deum discamus, qui per verbum docet homines scire Deum (2). Superbi, seu potius insipientis, hominis est, fidei mysteria, quae exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus, nostraeque mentis rationi confidere, quae naturae humanae conditione debilis est et infirma.

Ceterum communibus hisce votis pro rei et sacrae et publicae incolumitate carissimi in Christo filii nostri Viri Principes sua faveant ope et auctoritate, quam sibi collatam considerent non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium. Animadvertant sedulo, pro illorum imperio et quiete geri, quidquid pro Ecclesiae salute laboratur; imo pluris sibi suadeant fidei causam esse debere, quam regni, magnumque sibi esse perpendant, dicimus cum S. Leone Pontifice, *si ipsorum diademati de manu Domini etiam fidei addatur corona.* Positi quasi parentes et tutores populorum, veram, constantem, opulentam iis quietem parient et tranquillitatem, si in eam potissimum curam incumbant, ut incolumis sit religio et pietas in Deum, qui habet scriptum in femore: *Rex regum, et Dominus dominantium.*

Sed ut omnia haec prospere ac feliciter eveniant, levemus oculos manusque ad Sanctissimam Virginem Mariam, quae sola universas haereses interemit, nostraque maxima fiducia, imo tota ratio est spei nostrae (3). Suo ipsa patrocinio in tanta dominici gregis necessitate studiis, consiliis actionibusque nostris exitus secundissimos imploret. Id et ab Apostolorum Principe Petro et ab eius Coapostolo Paulo humili prece efflagitemus, ut stetis omnes pro muro, ne fundamentum aliud ponatur praeter id, quod positum est. Hac iucunda spe freti, confidimus, auctorem et consummatorem fidei Iesum Christum consolaturum tandem fore nos omnes in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis, coelestisque auxilii auspicem apostolicam benedictionem vobis, venerabiles fratres, et ovibus vestrae curae traditis peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem XVIII. kalendas septembris die sollemni Assumptionis eiusdem B. V. Mariae anno dominicae incarnationis MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XXXIX.

Confirmatio privilegiorum et indultorum iam concessorum congregationi Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum.

GREGORIUS PP. XVI.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Paterna qua nitimur sollicitudine, universi dominici gregis curam gerentibus, nobis cordi vel maxime ii habendi sunt viri, qui mundo mortui, et de domo et cognatione sua egressi in domo Dei perpetuo famulari constituunt, ac magno

---

(1) Sap. 7, 15.
(2) S. Ireneus lib. 14, cap. 10.
(3) Ex S. Bernardo Serm. de Nat. B. M. V., § 7.

sunt tum christianae, tum civili reipublicae usui et ornamento. Quod quidem si semper alias, nunc potissimum, quum in catholicam religionem gravia in dies vulnera summo cum animi nostri moerore inferri conspicimus a corruptoribus fidei et morum, ab iis praesertim qui antiqua maiorum instituta fastidientes novis rebus student, novasque religionis formas inducunt. Certa itaque spe freti dilectos filios sacrae familiae, quae Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum vocatur, alumnos parentum suorum vestigiis propius insistentes, documenta perficientes, omnibus virtutum exemplo futuros, alacri libentique animo eorum votis annuimus.

Expositio precum.

§ 2. Demissis enim precibus totius sacrae familiae nomine procurator generalis dilectus filius Petrus Crespo a nobis postulavit, ut singula quaeque privilegia, indulta, aliasque facultates a fel. rec. Innocentio XII. praedecessore nostro illi concessas similibus apostolicis literis, datis die vigesima septima iunii anno millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, quarum initium *Salvatoris Domini Nostri Iesu Christi,* et quas hic pro expressis et insertis haberi volumus, benigne confirmare velimus:

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur omnes in eamdem sacram familiam Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum cooptatos peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, commemoratas apostolicas literas Innocentii praedecessoris nostri cum omnibus et singulis inibi contentis et expressis, dummodo non fuerint revocata, plena auctoritate nostra approbamus et confirmamus, illisque apostolicae nostrae firmitatis inviolabile robur adiicimus.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 4. Decernentes hasce literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ad eorumdem privilegiorum et facultatum omnium firmitatem ac robur plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae idem Innocentius praedecessor in suis praefatis literis voluit non obstare, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis etiam peculiari mentione ac derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XI. sept. MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XL.

Deputatio visitatoris apostolici pro curanda catholicae religionis procuratione et conservatione in dioecesibus Peruvianis.

Venerabili fratri Iosepho Sebastiano Episcopo de Arequipa,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Charitas illa, quae nec multis aquis extingui, nec fluminibus obrui potest, quaeque virtutum omnium fecunda parens, expultrixque vitiorum, patiens atque benigna, nullis circumscripta limitibus nunquam excidit, sed omnia suffert, omnia sustinet, quo a solis ortu usque ad occasum ab omnibus quibusque gentibus atque nationibus laudetur nomen Domini, nostrum animum ita excitat atque inflammat, ut ad universam, quae sub coelo est, gentium multitudinem, mentis nostrae oculos diu noctuque circumferentes, ad remotissimas etiam ab hac Apostolica Sede regiones pastoralis nostrae vigilantiae curam extendamus, et spirituali fidelium omnium bono et commodo, quantum in nobis est, omni quidem cura, studio, consilio, labore prospicere conemur. Vix ineffabili Dei voluntate, nullis certe nostris promeritis, in sublimi principis Apostolorum cathedra collocati, gravissima ecclesiarum omnium sollicitudine districti, totius christianae reipublicae gubernacula tractanda suscepimus, clare aperteque significavimus, nihil nobis po-

tius, nihil iucundius, optabilius nihil esse posse quam ut aeternae fidelium omnium saluti omnimode consulamus, quos quidem omnes et singulos, licet a nobis vel disiunctissimis terris seiunctos, tamquam carissimos in Christo filios paterno verae charitatis sensu peramanter complectimur, et non diligimus solum, verum etiam in sinu atque oculis gestamus.

Exponitur status ecclesiarum in regionibus Americae.

§ 2. Equidem illud in primis nobis in animo fuit, mentem cogitationemque nostram ad tot florentissimas olim in amplissimis Americae regionibus ecclesias suis viduatas pastoribus convertere, eisque nulla interposita mora dignos praeficere Episcopos, qui commissam illorum fidelium curam alacri libentique animo suscipientes, continenter vigilarent, excubarent ne grex eorum fidei concreditus luporum esset praeda rapacium, sed omni ope et opera illum ab venenatis pascuis abducentes ad salutaria propellerent, pascerent in montibus Israel, atque edocerent in viis Domini ambulare, eiusque servare mandata, et crescere in gratia et cognitione Domini Nostri et Salvatoris Iesu Christi. Verum in eiusdem Americae ecclesias nostros coniicientes oculos, maximo ac pene incredibili animi nostri dolore perspeximus, eas, quae Peruvianae ditionis limitibus continentur, magna ex parte suis orbatas esse pastoribus, et gregem absque duce desertum vepres inter et spinas misere vagantem venenatas etiam depascere herbas, et aquas non iam de fontibus Salvatoris, sed super flumina Babylonis, haurientem, praecipitem ad interitum ruere. Vidimus et vehementer ingemuimus sacros deesse administros, religiosas familias pene intermortuas, ecclesiasticae disciplinae splendorem extinctum, pia quaeque instituta collapsa, et fideles omnes in maximo aeternae salutis discrimine continenter versari, cum rari sint, qui illos verbi Dei praeconio ac divinae legis praeceptionibus instruant, sacramentorum administratione et paternis monitis ac salutaribus exhortationibus adiuvent, divinis auxiliis roborent, ut apprime addiscant legem Domini, mandata eius observent, et salutis iter insistant. Quod autem amantissimi nostri animi dolorem vehementius auxit, illud profecto fuit nullum nobis aditum patere ad ea ineunda consilia, quae iamdiu suscipere votis omnibus optabamus, ut afflictis atque prostratis illorum fidelium rebus consulere, eosque ab tot tantisque malis vindicare possemus. Etsi enim aliquos interdum nuntios accepimus, qui damna omnia quae misere iam invaluerant, ad nos detulerunt, nostrumque praesens auxilium efflagitarunt; tamen huiusmodi nuncii vel serius, quam par erat, ad nos pervenerunt, ac propterea timendum fuit ne nostra consilia ob aliquam rerum novitatem minime essent accommodata, vel iidem ipsi nuncii non satis accurate nobis significarunt, quae potissimum essent salutaria adhibenda remedia, vel graviori etiam molestia ac sollicitudine nos exagitarunt. Namque ex iis cognovimus tantam rerum novitatem atque perturbationem in istas irrepsisse regiones, ut plurima ab sanctissimis Ecclesiae legibus sint prorsus aliena, iis etiam conniventibus, qui utpote ecclesiastica auctoritate pollentes nihil inausum nihilque inexpertum relinquere debuissent, ut, opponentes murum pro domo Israel, pro viribus religionis causam defenderent, ecclesiasticam disciplinam incolumem inviolatamque servarent, et spirituali fidelium bono prospicerent. Hinc profecto iure meritoque nobis dubitandum fuit eorum fidei et curae nostrae concredere consilia, quae ad tot gravissima mala evellenda spectarent.

Ratio concessionis.

§ 3. Cum itaque res ita se habeant, acerbo sane dolore vel moerore potius conficimur, videntes tot fidelium animas aeterni pastoris sanguine respersas atque redemptas miserandum in modum ab iustitiae semita aberrantes, praecipites ruere, ad terram vere tenebrosam et perpetuae opertam mortis caligine. Quamobrem apostolici nostri ministerii muneri deesse videremur, si omni ope et conatu tantam animarum perniciem, maiori, qua possumus, cura et studio non amovendam curaremus. Et quamquam ubi sese nobis obtulit occasio, nihil certe omisimus, ut aliqua ex parte ea spiritualia praeberemus auxilia, quae a nobis requirebantur; tamen peculiares huiusmodi providentiae nostrae rationes tranquillo nos animo esse omnino non sinunt, cum istis in regionibus religiosissima quaeque instituta in tanta tamque tristi conversione ac perturbatione versentur. Quaedam autem vox nostras pervenit ad aures, atque in eam spem nos adduxit fore, ut qui civili Peruvianae ditionis regimini praesunt, probe noscentes quantum pro mortalis etiam huiusce vitae felicitate et civilis societa-

tis bono intersit, catholicam religionem in populis eiusdem Peruvianae ditionis integram inviolatamque tueri, ipsi nobis occasionem praeberent, et viam quasi munirent ad ea omnia peragenda, quae spirituali eorumdem populorum utilitati et commodo vel maxime accommodata fuissent. At vero non sine gravi animi nostri aegritudine huiusmodi nostras spes fallaces, cogitationes inanes et irrita vota fuisse perspeximus, propterea quod nullam postulationem ab iis accepimus, qui Peruvianam istam ditionem regunt ac moderantur. Quae cum ita sint, et apostolici nostri ministerii sollicitudo illud unum vel maxime efflagitet, ut in catholicae fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitatem atque integritatem procurandam et conservandam summopere incumbamus, quo Christi fideles non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis filii Dei in virum perfectum, ac divina gratia adiutrice aeternam consequantur salutem, haud possumus ferre et pati florentissimas istas regiones earumque fideles tot obrui malis, ac diutius vivere in tanta earum rerum conversione, quae ad catholicam religionem, Ecclesiae instituta, morum probitatem ac spiritualem utilitatem pertinent. Itaque cum venerabiles fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales negociis ecclesiasticis praepositos in consilium adhibuerimus, ut rebus omnibus maturo examine perpensis nobis significarent, quanam praesertim ratione huic gravissimo negotio esset occurrendum, nostram in mentem venit, te, venerabilis frater, singulari pietate, doctrina, prudentia, integritate, et apostolica fortitudine ornatum, auxiliariam nobis operam posse praebere.

Tenor concessionis.

§ 4. Quapropter ex eorumdem venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, nostram in te, venerabilis frater, fidem atque spem collocandam censuimus, ut nos primum vel diligentissime certiores facias, quonam in statu sint res ecclesiasticae dioecesium omnium peruvianae ditionis, damna omnia et detrimenta, quae in eis contra sanctissimas Ecclesiae leges dominantur, nobis exponenda cures, atque demonstres quaenam praecipue salutaria remedia magis in Domino expedire censueris. Ne igitur diutius ea differamus, quae gravioribus in rebus peragenda esse cognoscimus, interim, te, venerabilis frater, ad nostrum et huius Sanctae Sedis arbitrium, auctoritate nostra apostolica, hisce literis delegatum et visitatorem apostolicum eligimus, constituimus et deputamus ecclesiarum omnium ac dioecesium, quae in Peruviana ditione suis carent Episcopis, et omnium utriusque sexus regularium, qui in commemorata ditione morantur. Huiusmodi vero delegatio seu apostolica visitatio in praefatis ecclesiis et dioecesibus tibi erit gerenda, donec ipsae ecclesiae et dioeceses suos non habuerint pastores, proptereaque si id evenerit, tui muneris tantum erit delegationem et apostolicam visitationem in regulares dumtaxat earum dioecesium exercere, quoties a nobis hac etiam in re secus statutum non fuerit. Hac igitur de causa, ut delegationem seu apostolicam visitationem in omnibus ecclesiis et dioecesibus Peruvianae ditionis prospere feliciterque geras, facultatem tibi tribuimus, qua non solum cognoscere et investigare possis, quomodo res ecclesiasticae in illis se habeant, verum etiam quoties ecclesiastica auctoritate pollentes, seu vicarii capitulares rite et recte electi non fuerint, quodcumque vitium auferre valeas, quod in illis eligendis evenerit, sive ex defectu iurisdictionis in electoribus, aut canonicae formae in ipsa electione, eosque auctoritate nostra apostolica confirmes, si tamen dignos et meritos existimaveris. Potestatem quoque tibi facimus, ut eadem auctoritate nostra apostolica canonicam institutionem iis omnibus ecclesiasticis viris impertias, qui ad canonicatus templi metroplitani, vel ecclesiarum cathedralium et collegialium, vel etiam ad alia beneficia, vel simplicia, vel animarum curae obnoxia, valide designati non fuerint, dummodo iis praefulgeant dotibus, quas sacri canones requirunt, et animarum curatores, doctrinae suae facto periculo, idonei reperiantur, ex sacrosancti Concilii Tridentini decretis; itemque ut fructus omnes eorumdem beneficiorum indebite perceptos eis omnino condones atque remittas. Cum autem venerabilis frater Episcopus de Cusco adversae valetudinis conflictatus incommodis iamdiu ab sua absit ecclesia, et supplex ad nos confugerit, ut sui episcopatus abdicationem accipere velimus, probe noscens et aperte declarans, se eiusdem

ecclesiae regimini imparem omnino iam evasisse.

Concessio facultatum.

§ 5. Nos idcirco ipsum commemoratae ecclesiae titulo (si adhuc vitam agat) ornatum esse volentes, te eiusdem etiam ecclesiae Vicarium Apostolicum renunciamus, tibique non modo facultates omnes quae ordinariae appellantur, verum illas etiam conferimus quas pro aliis ecclesiis, quae suis carent pastoribus, tribuimus. Praeterea tibi auctoritatem damus praeficiendi eidem dioecesi de Cusco unum vel plures vicarios generales, prout magis opportunum censueris, qui quidem vicarii huiusmodi fungentur munere, quamvis Episcopus debitum naturae reddat, quod si contigerit, illi canonicorum collegio omnem facultatem penitus sublatam esse volumus eligendi vicarium capitularem. Si vero laudatus Episcopus diem iam supremum obierit, eaque propterea ecclesia suo sit destituta pastore, antequam tu, venerabilis frater, Apostolicus Vicarius fueris constitutus, et illud canonicorum collegium vicarium capitularem elegerit, volumus atque praecipimus, te iis tantum facultatibus uti, quibus uti potes in aliis ecclesiis, quae in Peruviana ditione suis extant orbatae pastoribus. Plenam quoque facultatem tibi largimur, cuius praesidio ecclesiasticae militiae adscribere, ac sacris ordinibus etiam sacerdotio inaugurare possis eos omnes, quos ex tua conscientia atque sententia tam in ecclesia de Cusco, quam in aliis Episcopos non habentibus, utiles atque necessarios esse existimaveris, etiamsi ipsi literis proprii Ordinarii quae dimissoriales vocantur careant, vel huiusmodi literae anno ecclesiae luctus confectae fuerint, vel ad sacrorum canonum normam minime exaratae, si tamen illi eas praeseferant dotes, quibus illos fulgere oportet, qui in sortem Domini vocati, divino se ministerio mancipare exoptant, et tibi ecclesiae utilitas aut necessitas constiterit. Tua etiam in potestate erit praelatorum negligentiae mederi in ecclesiis absque pastore, donec iisdem ab hac Apostolica Sede praeficiantur Episcopi, vel alia ratione consultum fuerit. Iam vero cum apostolica delegatio seu visitatio in omnes utriusque sexus regulares tibi sit peragenda, in primis te ea facultate praeditum esse volumus, cuius vi singulas quasque utriusque sexus religiosas familias visites, et earum omnia coenobia, hospitia, collegia, conventus, eremos, domos intra Peruviani regiminis limites existentes, in quibus vel domicilium habeant, vel perbrevi etiam anni tempore morentur viri religiosi cuiusque ordinis et congregationis, quamvis eremitarum vel oblatorum nomine appellentur, qui regularem vitam quomodolibet profiteantur, et habitu utantur regulari. Atque idcirco eadem auctoritate nostra apostolica omnem exemptionem, uti vocant, penitus auferimus, quae ab huius Apostolicae Sedis privilegio seu a conciliorum decretis et constitutionibus ac peculiaribus cuiusque instituti regulis originem ducens, religiosis ipsis favere posset: quae quidem exemptio nullius roboris erit, quoad huiusmodi visitatio, et apostolica delegatio erit duratura; ac propterea prohibemus, atque vetamus a quoquam in medium proferri posse quascumque exemptiones et privilegia quae vel imminuere vel quavis ratione impedire possent, quominus hae literae suum obtineant effectum.

Praeceptum de parendo.

§ 6. Nos enim eadem auctoritate nostra apostolica omnibus et singulis regularibus qui Peruviana in ditione existunt, etiam superioribus eorumque officialibus, ministris non exemptis, syndacis apostolicis ordinis mendicantium, in virtute sanctae obedientiae praecipimus atque iubemus, te, in nostrum delegatum et visitatorem apostolicum agnoscere, excipere et vereri, tibique debitum praebere obsequium, sublata cuilibet ex superioribus cuiusque regularis ordinis generalibus potestate quidpiam per se vel per alios sive in scriptis sive voce mandandi, consulendi, decernendi, quod retardare, imminuere, vel directe aut indirecte tenuare possit huius delegationis et apostolicae visitationis effectum. Quare tibi, venerabilis frater, in regulares commemoratae Peruvianae ditionis eam omnem facultatem tribuimus, qua supremi moderatores seu generales cuiusque regularis instituti fruuntur; proindeque tibi fas erit licite et valide tam pro exteriori, quam interiori conscientiae foro in illos eam adhibere iurisdictionem, quae ad ipsos superiores seu Ordinarios pertinebat. Peculiari autem te facultate munimus, qua confirmes omnia et singula acta comitiorum seu capitulorum provincialium, quae habita fuerint etiam quoad graduum collationem, dummodo in his celebrandis conficiendisque saltem substantialia sint ser-

vata, quae sacri canones et cuiusque regularis instituti constitutiones praecipiunt. Nam, si secus actum fuerit, ea nulla et neutiquam valida tibi declaranda erunt, et ad sacrorum canonum atque earumdem constitutionum normam reducenda, et praesertim iuxta decretum a sacrosancto Concilio Tridentino editum sessione xxv. Quod vero ad moniales pertinet, volumus, te, in illas, quae a regularibus superioribus pendent, huius delegationis et apostolicae visitationis iurisdictionem tamdiu exercere, quamdiu ipsa apostolica delegatio et visitatio durabit; nam in eas, quae ordinaria Episcoporum auctoritate reguntur, omnis tua facultas tum primum cessabit, cum proprius dioecesis Episcopus ab hac Apostolica Sede canonice fuerit institutus.

Ampliatio facultatum.

§ 7. Ut autem, venerabilis frater, salutaria possis adhibere remedia malis, quae apud regulares inveneris, tibi eadem auctoritate nostra apostolica potestatem tribuimus, qua regulares professiones non rite emissas, electiones a provincialibus, et cuiusque coenobii seu domi moderatoribus, non legitime factas confirmes, missarum onera etiam manualium minime impleta per condonationem seu compositionem, prout magis in Domino expedire putaveris, remittas, ac iustis gravibusque de causis, iisque permanentibus, cuiusque pii legati et cappellaniae onera futuris temporibus, servato modo et forma a fel. rec. Benedicto XIV. praedecessore nostro in opere de Synodo Dioecesana libro xiii., capitulo xxiii. tradita, reducas et imminuas atque a censuris absolvas, quas regulares ob ipsa missarum onera contraxerint, itemque eos a censuris expedias, quibus devincti fuerint tum si donarint, vendiderint, permutarint, et quocumque modo res ad regulares domos vel ipsos religiosos pertinentes alienarint, tam si simoniaca labe infecti fuerint, vel in superioribus eligendis, vel in aliis rebus peragendis. Ex quibus quidem omnibus, venerabilis frater, profecto intelligis huiusmodi gravissimum sane munus tibi a nobis ea mente et consilio concreditum fuisse, ut commemoratis in regionibus regularem disciplinam instaures, damnaque omnia, si quae irrepserint, pro viribus amovenda cures. Hoc vero quo facilius atque commodius consequi possis, potestatem tibi facimus eligendi viros religiosos morum probitate, doctrina, prudentia et rerum gerendarum peritia spectatos, quorum vicaria utaris opera vel in omnibus agendis, vel alia tantum in re gerenda apud eas regulares domos seu conventus, quo locorum longinquitate, aliove impedimento, tu, venerabilis frater, pergere minime poteris. Tibi igitur fas erit tam per te, quam per eosdem vicarios, visitare cum in spiritualibus, tum in temporalibus seu oeconomicis omnia et singula coenobia, conventus, monasteria, hospitia, collegia, eremos et quascumque alias domos cuiusque regularis instituti, quae in Peruviana ditione existunt. Facultates vero, de quibus habita mentio est, poteris vel per te ipsum exercere, vel eas praefatis vicariis conferre, cum in singulis casibus, in quibus opus fuerit, tum universim, brevi tamen temporis spatio, tuo arbitrio praefiniendo. Id tamen ea lege concessum volumus, ut ipsi vicarii de earumdem facultatum usu rationem reddere tibi debeant, idque delegationis seu apostolicae visitationis actis erit consignandum. Volumus autem, te tuosque vicarios seu subdelegatos in huiusmodi actis et facultatum usu atque exercitio declarare auctoritate apostolica omnia semper egisse. Non dubitamus profecto, quin tu, venerabilis frater, nostrae voluntati nostrisque desideriis quam diligentissime et cumulatissime respondeas, tuamque in mentem revocamus, ab ultima antiquitate ad hanc usque diem omnes Episcopos atque fideles vel ab disiunctissimis etiam regionibus semper consuevisse ad hanc Petri Cathedram, ecclesiarum omnium caput et omnium matrem ac magistram atque catholicae unitatis centrum, supplices confugere, ut in dubiis trepidisque rebus Romani Pontificis, qui Christi vicarius et Petri successor, iudicia quaererent, auxilia implorarent et decreta susciperent. Omnia igitur coneris oportet, ut nos omnibus de rebus summa cura et diligentia certiores facias, et gravioribus in negotiis ex more institutoque maiorum hanc Apostolicam Sedem consulas, eiusque sententiam expectes. Tibi autem districte praecipimus atque mandamus, ut unoquoque triennio eamdem Apostolicam Sedem diligenter edoceas, quomodo se res habeant, atque ad eam apostolicae visitationis seu delegationis tuae acta mittenda cures, iis cum animadversionibus, quas pro tua prudentia existimaveris.

Monitum speciale.

§ 8. Denique, venerabilis frater, te vehementer in Domino hortamur atque excitamus, ut omni cura, solertia, vigilantia, prudentia gravissimum huiusmodi munus obire studeas, quo haec apostolica delegatio seu visitatio Peruvianae ditionis regionibus earumque populis prospere feliciterque eveniat. Nos certe in humilitate cordis nostri, patrem misericordiarum et Deum totius consolationis rogare non desinemus, ut det tibi spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiae et pietatis, quo omni alacritate, consilio atque labore ea omnia perficere possis, quae ad spiritualem istorum fidelium salutem procurandam et regularem atque ecclesiasticam disciplinam instaurandam pertinere posse videntur. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictarum ecclesiarum et ordinum, monasteriorum domorumque regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium literarum exemplis etiam impressis, manu tua tamen subscriptis ac signo munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce nostris literis ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. nov. MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XLI.

Deputatio visitatoris coenobii et collegii fratrum minorum Sancti Francisci Reformatorum in Sancto Petro in Montorio Urbis.

Dilecto filio nostro Aloisio Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero Cardinali Lambruschini nuncupato,

GREGORIUS PP. XVI.

**Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Ratio et tenor concessionis.

§ 1. Volentes nos sacrae visitationis inquisitione statum coenobii et collegii fratrum minorum Sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum in Sancto Petro in Montorio urbis perspicere, per similes apostolicas literas die trigesima augusti anno millesimo octingentesimo trigesimo primo datas dilecto filio nostro Iacobo Philippo Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero Cardinali Fransoni nuncupato huiusmodi munus tribuendum censuimus. Nunc vero cum alium amplissimum virum in eius locum sufficere velimus, tua prudentia, doctrina, religione, pietate, rerum usu, aliisque egregiis animi ingeniique dotibus plurimum in Domino confisi, te, dilecte filii noster, visitatorem apostolicum coenobii et collegii praedictorum, cum omnibus et singulis facultatibus, iuribus et indultis cum hoc munere coniunctis, auctoritate apostolica hisce literis, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum eligimus, constituimus et deputamus.

Praeceptum de parendo.

§ 2. Quamobrem universis et singulis eorumdem coenobii et collegii superioribus, fratribus aliisque ad quos spectat et quomodolibet spectabit, in virtute sanctae obedientiae praecipimus atque mandamus,

ut te in visitatorem apostolicum a nobis harum literarum vi adlectum et constitutum omni cum obsequio excipiant, tibique pareant, faveant ac praesto sint.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non dictorum coenobii et collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVII. nov. MDCCCXXXII., pontificatus nostri anno II.

XLII.

Deputatio visitatoris apostolici collegii a Sancto Antonio in Urbe fratrum Minorum S. Francisci Conventualium.

Dilecto filio nostro Augustino S. R. E. diacono Cardinali Rivarola,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§ 1. Cum nos summopere optemus sacrae visitationis inquisitione statum collegii, cui a S. Antonio nomen, hic in urbe existentis missionum fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum perspicere, probe noscentes te, dilecte fili noster, eximia prudentia, doctrina, pietate, religione, integritate, rerum gerendarum peritia, aliisque egregiis animi ingeniique dotibus fulgere, idcirco huiusmodi munus tibi committendum existimavimus.

Tenor concessionis.

§ 2. Quamobrem hisce literis te, dilecte fili noster, visitatorem apostolicum collegii praedicti cum omnibus et singulis facultatibus, iuribus, indultis, cum huiusmodi munere coniunctis, auctoritate apostolica, ad nostrum et huius Sanctae Sedis arbitrium eligimus, constituimus ac renuntiamus.

Praeceptum de parendo.

§ 3. Itaque universis et singulis eiusdem collegii superioribus, fratribus aliisque ad quos spectat et quomodolibet spectabit, in virtute sanctae obedientiae praecipimus atque mandamus, ut te in visitatorem apostolicum a nobis harum literarum vi adlectum et constitutum omni cum obsequio excipiant tibique pareant, faveant ac praesto sint.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, atque ipsius collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XV. ianuarii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno II.

XLIII.

Reintegratio dioecesis Modrusiensis cum suis privilegiis.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Apostolici nostri ministerii vigilans cura ac suprema nobis licet immerentibus divinitus tradita potestas id postulat, ut sedium episcopalium, quas noscimus rite constitutas, et catholicae religionis incremento ecclesiarumque regimini valde accommodatas, integritatem ac iura conservemus et novo apostolicae confirmationis robore communiamus.

Vicissitudines quibus mensa Modrusiensis subiecit.

§ 2. Sane ex vetustis monumentis accepimus, cathedram episcopalem, quae Corbaviae in Illyrico primitus erecta fuerat, Modrusiam deinde, auctorante Apostolica Sede, fuisse translatam, ibique Corbavienses seu Modrusienses antistites suam duxisse moram, donec Modrusia quoque a Turcis capta, et solo igne ac ferro aequata, Episcopus et capitulum in castrum Novi in Vinodol prope oram maritimam, sed intra Corbaviensis seu Modrusiensis dioecesis confinia sibi duxerint commigrandum. Et quamvis Romani Pontifices praedecessores nostri exeunte iam saeculo decimo quinto praefatam Corbaviensem seu Modrusiensem dioecesim in spiritualibus ac temporalibus adeo turbatam, suoque etiam viduatam pastore, administrandam commiserint Episcopis pro tempore finitimae dioecesis Segnensis, illam nihilominus ab Apostolica Sede, cuius est novas erigere cathedrales ecclesias, erectasque dividere, transferre aut supprimere, nunquam constat fuisse suppressione de-

structam, aut Segnensi ecclesiae extinctiva unione incorporatam. Segnenses imo praesules peculiari administrationis titulo ex pontificiis bullis quaesito Modrusiensem ecclesiam ad haec usque tempora gubernandam susceperunt: suos utraque dioecesis certos distinctosque iugiter servavit limites: duos Episcopi Segnenses constituere consueverunt officiales seu Vicarios generales, quorum alter Segnensem, alter Modrusiensem seu Corbaviensem administraret dioecesim: duos itidem, occurrente Segnensis Ecclesiae vacatione, electos fuisse patet Vicarios capitulares, unum a capitulo Segnensi, alterum a capitulo Modrusiensi, ut suam quisque independenter ab altero, usquedum perduraret viduitas, regeret dioecesim.

Novissima illius unio ex errore facta ecclesiae episcopali Segnensi.

§ 3. Nuperrime autem sive rerum inscitia sive cupidine latius explicandi propriam iurisdictionem non defuere, qui Modrusiensem seu Corbaviensem dioecesim dudum extinctam ac Segnensi Ecclesiae ita unitam arbitrarentur, ut una dumtaxat evaserit dioecesis, solumque nomen ac titulus Modrusiensis Ecclesiae superfuerit ad vetustae episcopalis sedis conservandam memoriam, ac propterea tempore vacationis cathedralis Ecclesiae Segnensis unum tantummodo, atque istum a capitulo Segnensi eligendum, esse vicarium capitularem, qui tum Segnensem, tum Modrusiensem gubernet dioecesim.

Iurgia quae ex hac indebita unione excitata sunt.

§ 4. Cumque gravia exinde iurgia inter utriusque dioecesis clerum iacturas in spirituali animarum regimine et noxia scandala in populo essent pertimescenda, nisi huius Sanctae Sedis supremo iudicio oborta dubitatio dirimeretur, idcirco charissimus in Christo filius noster Franciscus primus Austriae Imperator et Bohemiae atque Hungariae rex apostolicus id a nobis studiosissime suis literis efflagitavit, ut memoratas dioeceses Segnensem et Modrusiensem inter se vere ac realiter esse distinctas, ac eveniente decessu Episcopi pro tempore Segnensis et administratoris Modrusiensis, utrumque capitulum seorsim procedere debere ad electionem Vicarii capitularis pro unaquaque dioecesi gubernanda declararemus et praeciperemus.

Reintegratio singularum dioecesium.

§ 5. Nos igitur, qui earumdem dioecesium statum et antiquitatem utilitatemque perpendimus, rationum momenta ab utriusque dioecesis clero allata mature consideravimus, sententiamque venerabilium fratrum Petri Klobusiczki Archiepiscopi Colovensis et Bachiensis ac metropolitani ecclesiarum Modrusiensis et Segnensis, nec non bo. me. Ioannis Baptistae Iesich dum viveret Episcopi Segnensis et administratoris Modrusiensis libravimus, eximium eiusdem Francisci primi imperatoris zelum pro bono et tranquillitate populorum suorum, eiusque in hanc Apostolicam Sedem venerationem meritis laudibus efferentes, piisque eius postulationibus libenter morem gerentes, ac etiam motu proprio, certa scientia et matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine ac praesentium literarum tenore declaramus, dioecesim Modrusiensem seu Corbaviensem ab Episcopo pro tempore Segnensi tamquam eius administratore procuratam ab dioecesi Segnensi esse vere ac realiter separatam et omnino distinctam, et, quatenus opus sit, de novo separamus, distinguimus atque secernimus.

Concessio nominandi in casu vacationis.

§ 6. Similiter iisdem motu, scientia ac potestatis plenitudine edicimus, declaramus atque mandamus, ut tempore vacationis tam sedis Segnensis, quam administrationis dioecesis Modrusiensis seu Corbaviensis ius eligendi Vicarium capitularem pro sua quaque dioecesi ad utrumque capitulum spectet, nimirum ad capitulum Segnense Vicarium pro dioecesi Segnensi, et ad capitulum Modrusiense seu Corbaviense pro dioecesi Modrusiensi, ut unusquisque Vicarius capitularis iurisdictionem suam independenter ab altero exercere possit ac debeat.

Reservatio specialis.

§ 7. Volumus tamen atque praecipimus, ut in electione vicarii capitularis sacri canones ac praesertim decreta sacrosancti Concilii Tridentini, ab utroque capitulo adamussim et inviolabiliter observentur atque custodiantur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 8. Praesentes quoque literas semper et perpetuo validas et efficaces esse ac fore, nec ullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae, aliove quovis defectu, etiam ex eo quod ii, quorum interest, aut interesse posset in futurum cuiusvis status, ordinis, praeeminentiae et dignitatis sint, etiam specifica mentione digni, illis non consenserint, aut minime vocati et auditi fuerint, tametsi suorum indultorum aut privilegiorum vigore vocari aut audiri debuissent, aut ex eo quod solemnitates, aut quaecumque alia forsan

servanda minime servata fuerint, impugnari, aut in controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel iustitiae remedium impetrari posse; sed tamquam ex pontificiae providentiae officio et motu proprio factas omnimoda firmitate existere, suosque integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus ac declaramus.

Deputatio executoris apostolici.

§ 9. Quocirca supradictum venerabilem fratrem Petrum Klobusiczki Archiepiscopum Colovensem et Bachiensem in exequutorem praesentium literarum apostolica auctoritate constituimus, ut ipse per se vel alium virum ecclesiastica dignitate insignitum ab eo subdelegandum praesentes nostras literas, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorum, quorum interest, aut alicuius eorum, fuerit requisitus, solemniter publicet, ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate nostra statuat atque decernat, et a cunctis inviolabiliter servari praecipiat. Atque ut tam ipse, quam persona ab eo subdeleganda super quacumque oppositione in actu exequutionis quomodolibet oritura etiam definitive et quacumque appellatione remota pronunciare libere et licite possit ac valeat, omnimodam etiam facultatem concedimus et impertimur. Eidem vero Archiepiscopo praecipimus, ut singulorum actorum in praesentium literarum exequutione conficiendorum exemplar authentica forma exaratum intra quadrimestre ab expleta ipsarum exequutione ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in archivo congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservari mandamus.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus nostris et cancellariae apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, aut in contrarium praemissorum quomodolibet editis, aliisque apostolicis quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictarum ecclesiarum Segnensis ac Modrusiensis seu Corbaviensis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem continentes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat has paginas nostrae declarationis, confirmationis, separationis, divisionis, constitutionis, decreti, mandati, voluntatis, intentionis, deputationis ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo tertio, pontificatus nostri anno tertio.

XLIV.

Facultas sumendi reliquias corporis S. Augustini doctoris et Episcopi, data Episcopo Papiensi cum legibus servandis pro aperienda arca marmorea, in qua corporis reliquiae asservantur (1).

(1) Etsi de particulari concessione Ep. Papiensi de D. Augustini reliquiis agatur; tamen utile referre existimavimus, cum instructionem contineat servandam in aperitione sepulcri et reliquiarum sanctorum in alteram arcam translatione, quod aliquando in locis missionum accidere potest.

Venerabili fratri Episcopo Papiensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§ 1. Literis pridie nonas decembris ad nos datis referebas, venerabilis frater, de arca marmorea, in qua corpus praestantissimi Ecclesiae doctoris S. Augustini asservatur, nuper tuis curis et studio ac opera Papiensium cuiusque ordinis civium instaurata, ac translata pie solemniterque ad novum sacellum in isto cathedrali templo splendido opere extructum. Addebas autem; tibi, ad devotionem istius populi erga S. Doctorem magis magisque excitandam intento, consilium esse, ut capsulae interiori sacras illas exuvias continenti, et iam pene dilapsae, substituas aliam nobiliorem, atque in anteriori parte crystallinam; cuius quidem rei perficiendae occasione optas insuper nonnihil sumere ex fragmentis ossium quodam peculiari sacculo clausis, quo illud in varias thecas rite dispertitum quibusdam dono tribuas, qui de aucta sacri corporis veneratione optime meriti sunt. Quum autem consilio et desiderio eidem tuo literae obstent Benedicti XIII. gl. me. decessoris nostri haec et similia de S. Augustini corpore sub poena excommunicationis eo ipso incurrenda prohibentes, suppliciter nobis postulas, ut tibi benignam ad ea gerenda veniam tribuamus.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos itaque tuam istam pietatem summopere commendantes, et propensam ad tua studia voluntatem nostram libenter tibi hac oblata opportunitate confirmantes, auctoritate nostra apostolica concedimus et impertimur, ut idem S. Augustini corpus in memoratam novam capsulam transferre, et ex praedictis sacrorum ossium fragmentis partem aliquam, in peculiaribus thecis includendam, iis qui bene de sacris iisdem exuviis meriti sunt, aliisque, quibus tibi opportunum in Domino visum fuerit, donare libere ac licite valeas: scilicet pro hac vice dumtaxat, atque ita ut in re peragenda serves in omnibus instructionem iussu nostro exaratam, ut moris est, a dilecto filio magistro Virgilio Pescetelli fidei promotore, quam hisce literis inserendam mandavimus.

Instructio

Forma servanda in concessione reliquiarum.

§ 3. Pro Rmo Episcopo Papiensi, ut sepulchrum in quo sacrum corpus et aliae reliquiae Sancti Augustini Episcopi et Ecclesiae Doctoris servantur, aperiat, et deinde in aliam arcam easdem reliquias transferre possit et valeat, nec non aliquas reliquias dono ei dare liceat.

Quum Sanctissimus Dominus noster Gregorius XVI. Pontifex maximus reverendissimi Episcopi Papiensis postulationibus adhaerens eidem facultatem impertierit, ut in capsulam nobiliorem, anteriusque cristallinam, corpus S. Augustini Episcopi Hypponensis et Ecclesiae Doctoris inferat, quo publica devotio magis excitetur, et ex fustulis ossium in sacculo clausis aliquot reliquias pro hac tantum vice concedat nonnullis de restituto Sancti Doctoris cultu optime meritis, non obstante prohibitione a s. m. Benedicto XIII. facta in sua constitutione, quae incipit *Ad summi Dei gloriam,* data apud S. Petrum decimo kalendas octobris millesimo septingentesimo vicesimo octavo, (1) quae

(1) Confirmat iudicium episcopale Ticini habitum de corpore S. Augustini (*).

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad summi Dei gloriam in sanctis eius amplificandam mirabile nuper factum est in oculis nostris, dum exuviae S. Augustini, Hipponensis Episcopi et praestantissimi Ecclesiae Doctoris, quarum venerationem antiquus Dei et sanctorum hostis aliquandiu perturbare tentaverat, tandem omnium christifidelium cultui pristinaeque honorificentiae, universâ Ecclesiâ plaudente, restitutae fuerunt.

Corpus S. August. Hipponâ in Sardiniam, atque hinc Ticinum translatum, multos post annos repertum est.

§ 1. Probatissimis litterarum monumentis constat, Vandalorum persecutione in Africanam Ecclesiam excitatâ, sanctissimos illarum partium Episcopos et fidei catholicae confessores, in Sardiniam exilio damnatos, corpus eximii doctoris sub finem saeculi v. secum in eamdem insulam transtulisse, ibique usque ad initium saeculi VIII. christianâ, idest maximâ, religione custoditum. Tunc enim, Saracenis, qui in Sardiniam irruerant, loca sacra impie foedantibus, Liutprandus Longobardorum rex, sanctarum Augustini reliquiarum pietate motus, per legatos ab se illuc transmissos, magno eas pretio redimendas, et Ticinum, quae alias Papia dicitur, sacra pompâ transferendas curavit: ubi confessione aedis S. Petri in Coelo Aureo tunc primum ad hoc unum iussu regis exstructâ, Augustiniani

(*) *Constitutio, qua controversiam de corpore S. Augustini iudicio episcopali dirimi hic Pontifex iussit, edita est* MDCCXXVIII., *die* XXIII. *ianuarii, pontif.* IV.

confirmata fuit a s. m. Pio PP. VI. in brevi sub annulo Piscatoris die tertia octobris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, mei muneris est hanc bre-

corporis thesaurus debito tanto patri honore depositus fuit, populisque devotionis causâ usque ad nostram aetatem illuc undique confluentibus, in eiusdem confessionis cryptâ, inter puteum aquâ salutari manantem et altare inferius, piissimo studio servatus est. Tandem vero die I. octobris anni dominici MDCXCV., albus marmoreus sarcophagus sub mausoleo lateritio ibidem loci detectus, inque eo sanctissimae Augustini exuviae in arcâ argenteâ clausae repertae fuerunt: quae omnia coram plurimis testibus canonice comprobata per curiae episcopalis ministros et actuarios in processus et commentarios, publicâ auctoritate munitos, summâ fide conscriptos, tunc digesta, perque totum quinquennium adversus quorumdam dubitationes, non segniter agentibus fratribus eremitis Ordinis S. Augustini, qui in eâdem S. Petri basilicâ aeque ac canonici regulares congregationis Lateranensis alternis mensibus divina officia persolvunt, disceptata fuerunt, donec unus et triginta sacrae paginae et decretorum doctores pro iisdem Augustini reliquiis sententiam suam, mirâ consensione firmatam, scripto ediderunt.

Summus Pontifex iudicium episcopale de eodem corpore peragi iubet.

§ 2. Quum vero ad audientiam nostram pervenisset, ob non extinctas et abolitas iudicio episcopali Ticinensium praesulum eiusmodi dubitationes, venerandos tanti doctoris cineres, quasi incertos, sine debito honore habitos: nos, rei gravitate perculsi, litteras nostras sub annulo Piscatoris die XXIII. ianuarii huiusce anni ad venerabilem fratrem Episcopum Ticinensem dedimus, ei serio iniungentes, ut iudicium de invento illic S. Augustini corpore, ulteriori dilatione sublatâ, secundum Deum et veritatem, ceteris quaestionibus de alio corpore inveniendo remotis, ad finem perducere (*); illi praeterea mandantes ut cavillationibus eorum, qui decisionem ac definitionem huiusce causae impedire tentassent, etiam per ecclesiasticas censuras occurrere deberet, utque illis, a quibus causa cognoscenda esset, iisdem adhibitis, si opus esset, remediis, ediceret ne ullis officiis, commendationibus, aut partium studiis obsequerentur, sed solum Deum veritatis prae oculis haberent. Et ne in re tantâ definiendâ novis procrastinationibus locus esse posset, bimestre tempus huic iudicio conficiendo praefiximus. Has vero litteras dilectus filius Fulgentius Bellelus, prior generalis fratrum eremitarum totius Ordinis S. Augustini, in coenobio iuxta praedictam aedem sancti doctoris, aliâs S. Petri in caelo aureo, Ticini constitutus, ipsi Episcopo per dilectos filios Iosephum de Gregoriis a S. Elpidio et Aloysium de Bellagente, Ticinensem, fratres eremitas eiusdem Ordinis, tamquam speciales procuratores in hac causâ a se deputatos, praesentari curavit.

Ad canonicas Ecclesiae regulas idem iudicium episcopale peragitur.

§ 3. Episcopus Ticinensis, acceptis litteris nostris et iuridice vocatis vocandis, qui olim pro identitate sacri corporis declarandâ, nomine eorumdem fratrum eremitarum in memorato coenobio degentium, vocati fuerant, inspectisque actis in eâdem causâ a mense octobris anni MDCXCV. usque ad mensem martium anni MDCXCIX. confectis, unâ cum visitationibus ipsius corporis S. Augustini, annis MDCXCV., MDCXCVI. et MDCXCVII., pariter factis, necnon iuribus, documentis, testium depositionibus, aliisque monumentis et scripturis tunc et subsequentibus annis publicâ auctoritate exaratis: compluries etiam theologis sacrorumque canonum interpretibus coram se congregatis, quos ex piis doctisque viris ad praescripta sacrosancti Concilii Tridentini in consilium sibi adhibendos delegerat, quibus poenas, in iisdem litteris nostris expressas, indixit, singula causae momenta attente discussa et mature considerata fuerunt. Tandem vero idem Episcopus die XXV. iunii, unâ cum iisdem suis hac in causâ consiliariis ab se delectis, coram fratribus eremitis Augustinianis et canonicis regularibus Lateranensibus sacrum corpus in confessione repertum anno MDCXCV., post recitatum ad aram maximam hymnum *Veni creator Spiritus*, ex confessione in capsâ clausum in eamdem aram per sex presbyteros inter accensa fanalia reverenter perlatum, exacte et sedulo visitavit diebus XXV. et XXVI. iunii, adhibitis tribus ex peritioribus civitatis anatomes professoribus, iureiurando de veritate dicendâ obstrictis, qui singulas sacri corporis partes studiose recognoscentes, *os brachii sinistri* ab humero ad cubitum, atque aliud quod *atlas* vocatur, deesse animadverterunt: quorum primum Ticini a felicis memoriae decessore nostro Benedicto Papa VIII. B. Egelnotho primati Cantuariensi dono traditum fuerat; alterum vero in Dalmatiâ servatur in thesauro sacrarum reliquiarum metropolitanae Ecclesiae Rausinae. His peractis, sacroque deposito in pristinum confessionis locum eâdem caeremoniâ restituto, idem Episcopus Ticinensis solemnes supplicationes aliasque publicas et assiduas preces ad divinam opem pro recto iudicio secundum Deum et veritatem ferendo impetrandam indixit, quibus devote cum utroque clero et populo civitatis interfuit; visisque tandem omnibus videndis et consideratis considerandis, congregatisque iterum coram se sacrae theologiae magistris et canonum professoribus, quos, uti iam diximus, ad sanctiones Concilii Tridentini, antea in consilium vocaverat, quique decem et septem numero pro veritate atque identitate reliquiarum S. Augustini unanimem sententiam tulisse memorantur, ipse coram dilectis filiis priore generali totius Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini in praeposito canonicorum regularium Congregationis Lateranensis, atque aliorum complurium qui illuc supremum hac de re episcopale iudicium audituri convenerant, post missae sacrificium de Spiritu Sancto celebratum, solum Deum veritatis prae oculis habens, hoc eodem anno MDCCXXVIII., indictione VI., feriâ VI., die XVI. mensis iunii, horâ tertiarum, in episcopio pro tribunali sedens, hoc decretum cum plenâ causae cognitione pronunciavit:

Decretum Episcopi Ticinensis de corpore S. Augustini.

Christi nomine repetito, per hanc nostram definitivam sententiam dicimus, pronunciamus et declaramus, satis constare corpus inventum in confessione templi S. Petri in coelo aureo huius civitatis die I. *octobris anni* MDCXCV., *et nuper per nos recognitum ac sigillo nostro munitum, esse corpus S. Augustini Ecclesiae doctoris, ideoque pro tali esse colendum, et publicae fidelium venerationi exponendum.*

D. FRANCISCUS Episcopus Papiensis.

Summi Pontificis et Ecclesiae gaudium ob vindicatas Augustini reliquias.

§ 4. Nuncio tam sancti, tam gravis et maturi iudicii episcopalis ad nos perlato, prae gaudio exsiliit cor nostrum, summâque laetitiâ perfusi gratias Deo egimus, quod suam gloriam in S. Augustini exuviis canonice vindicatis augere voluerit, quem, ob sanctimoniam atque intemeratam doctrinae excellentiam, ut fulgentissimum Ecclesiae lumen Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Caelestinus, Gelasius, Hormisdas, aliique decessores nostri Romani Pontifices magno semper in honore habuerunt, nosque ipsi ut parentem aeque ac magistrum veneramur, utpote cuius regulam et doctrinam in nostro Praedicatorum Ordine a primis adolescen-

(*) *Forsan legendum* perduceret.

vem instructionem dare, ut omnia rite fiant (1).

In primis reverendissimus Episcopus, sive, eo legitime impedito, eius Vicarius generalis cum promotore fiscali, suaeque curiae notario seu cancellario, accedat ad ecclesiam cathedralem, immo ad sacellum, ubi arca marmorea, in qua servantur ossa Sancti Augustini, veneratur et colitur; tunc significabit ex gratia Sanctissimi aperiendum esse hoc sepulcrum; poterit etiam ad id invitare aliquot ecclesiasticos viros, aliosque sibi benevisos, ut huic actui praesentes sint, cum moderamine tamen; namque actus debet esse secretus, et secreto immo etiam clausis ianuis, et (si commode fieri possit) noctu est peragendus.

Antequam vero ad actum aperitionis perveniat, ex suo cancellario instrumentum seu instrumenta aperitionis urnae

---

tiae annis professi sumus, et favente Deo profitemur. Ut autem nostrum iuxta ac totius Ecclesiae gaudium ubique diffunderetur, per litteras nostras universis christifidelibus inscriptas die VI. augusti, omnibus et singulis utriusque sexus vere poenitentibus et confessis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum quam sororum Ordinis eremitarum S. Augustini ubicumque existentem, die per Ordinarios locorum designando, visitassent, atque ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem concessimus; dieque subsequenti alias litteras dedimus ad Episcopum Ticinensem, ipsius pietatem et fidem laudantes, quod omnem dubitationis nebulam de veritate corporis S. Augustini tam accurato examine dissipare studuisset; districte interdicentes, sub poenâ excommunicationis latae sententiae, ne quis auferre, asportare aut distrahere quamlibet sacratissimi eius depositi particulam auderet. Subinde in die festo eiusdem Ecclesiae doctoris XXVIII. augusti ad eiusdem titulum et coenobium fratrum eremitarum nos ipsi accedentes, in illius honorem sacrosanctum missae sacrificium ritu pontificali celebravimus, adsistentibus nobis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, et post peracta divina mysteria, in gratiarum actionem pro sancto eius corpore luculente et canonice comprobato hymnum *Te Deum*, christianae laetitiae praenuncium, solemni caeremonia praecinentes, in trinis Personis unum Deum collaudavimus.

Iudicium episcopale de corpore S. Augustini a Summo Pontifice confirmatur.

§ 5. Ne vero ex pastoralis officii debito erga sanctarum Augustini reliquiarum conservationem et venerationem a nobis quidquam praetermittatur, quascumque dubitationes, controversias, causas et lites de corpore S. Augustini quomodolibet exortas sive introductas, illarumque iura, scripturas et titulos omnes praesentibus pro plene expressis habentes, et, quatenus opus sit, ad nos avocantes, prorsus extinguimus et abolemus, et perpetuum silentium super illis imponimus. Et ne unquam futuris temporibus de praedicto episcopali iudicio, ad sanctiores Ecclesiae regulas absoluto, possit quomodolibet haesitari, ad submissas preces dilecti filii Felicis Leons, totius Ordinis eorumdem fratrum eremitarum procuratoris generalis, eius libello supplici nobis porrectas, piae recordationis antecessoris nostri Martini PP. V. vestigiis inhaerentes, qui translationem corporis B. Monicae, venerabilis Augustini matris, ex civitate nostrâ Ostiensi ad hanc eamdem ecclesiam domus fratrum dicti Ordinis eremitarum S. Augustini factam, suis apostolicis litteris incipientibus *Pia charitas*, adprobavit; nos quoque iudicium Episcopi Ticinensis de veritate corporis Sancti Doctoris, ut apud christifideles notius et manifestius evadat, ac devotio erga Augustinum magis inflammetur, tenore praesentium ratum et gratum habentes, ex certâ scientiâ, atque etiam motu proprio, apostolicâ auctoritate, undequaque adprobamus et confirmamus, et perpetuis futuris temporibus firmum semper et validum esse ac fore decernimus: non obstantibus quibuscumque.

Nemo has literas infringere audeat.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, avocationis, extinctionis, abolitionis, silentii impositionis, decreti adprobationis, confirmationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Patri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCCXXVIII., x. kalendas octobris, pontificatus nostri anno V.

(1) Praescripta a Ben. XIII. Pius PP. VI. confirmavit in donatione alicuius partis corporis S. Augustini Ferdinando regio Hispaniarum infanti seq. lit. in forma brevis.

Dilectissimo in Christo filio nostro Ferdinando regio Hispaniarum infanti,

PIUS PAPA VI.

Dilectissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Multo gaudio mens nostra exultat in Domino, et magna est nobis ratio gratulandi, cum eximiam tuam in Deum et in sanctos suos pietatem et religionem augeri per omnia dono gratiae coelestis agnoscimus, et incrementa tuae in hanc Sanctam Sedem apostolicam devotionis et observantiae experimur.

Ratio concessionis.

§ 2. Itaque ut magis magisque qua benevolentia quove animi studio et paternae charitatis affectu quotidie simus te amplexi, tibi innotescat, scientes speciali observantia ac honore te colere et revereri Sanctum Augustinum, quamvis dudum Romani Pontifices praedecessores nostri quamcumque sacri corporis et aliarum reliquiarum Sancti Augustini, quae, ut pie creditur, in ecclesia Sancti Augustini civitatis Ticinensis ordinis nunc fratrum Praedicatorum asservantur, portionem extrahi vel asportari prohibuerint; nihilominus aliquam dicti sacri corporis particulam tibi donare constituimus.

Tenor concessionis.

§ 3. Quocirca motu proprio, ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine venerabili fratri Bartholomaeo Archiepiscopo Episcopo Papiensi per praesentes committimus et mandamus, ut in actu asportationis dicti corporis Sancti Augustini a dicta ecclesia Sancti Augustini nunc fratrum ordinis Praedicatorum ad ecclesiam fratrum eremitarum Sancti Augustini civitatis Ticinensis aliquam, neque maximam neque exiguam, venerabilis dicti corporis partem auctoritate nostra apostolica pro hac una tantum vice extrahet et asportet; tibique concedat et impertiatur.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque effica-

auctoritate Pii PP. VI. peractae, nec non translationis in ecclesiam cathedralem, sibi exhibere faciat Episcopus, vel, eo impedito, Vicarius generalis, ut diligenter recognoscere valeat arcam et signa, ne dubium ullum remaneat de corporis identitate.

Deinde a fabris murariis vel aliis ad hoc opus accitis extrahere faciat hanc urnam seu arcam, et denuo vel primum signa recognoscat. Quum ad actum aperitionis devenerit, rmus Episcopus aut eius vicarius generalis poenam excommunicationis latae sententiae summo Pontifici reservatam indicet contra quoscumque quidquam e sepulchro, seu arca, linteaminibus, aut huiusmodi auferentes, vel quidquam in arcam praedictam inferentes, etiam devotionis gratia.

Mox hanc urnam, si commode fieri possit, idem rmus Episcopus vel eius vicarius generalis asportari mandabit ad cubiculum aliquod ecclesiae vel sacrario contiguum et praeparatum prius a rmo Episcopo aut Vicario generali recognitum curando, ut ad illud ex ostio tantum aditus pateat, et si ad fenestram vel fenestras crates ferrea non adsit, curet illam vel illas claudi, ac sigillis obsignari posse. Urnam associabunt reverendissimus Episcopus vel eius Vicarius generalis, promotor fiscalis, notarius, seu cancellarius, aliique omnes, qui extractioni praefatae interfuere. Ecclesiastici viri superpelliceo sint induti, intortitia accensa deferant et psalmos de Communi Confessorum Pontificum recitent una cum antiphon. *O doctor optime,* cum oratione huius sancti doctoris, quam dicet rmus Episcopus, vel e clero dignior, statim ac perventum fuerit ad cubiculum, ubi ossium extractio et repositio fieri debet.

Deposita urna in dicto loco praeparato, illoque descripto, quatenus immediate, vel ob tarditatem horae, vel alia de causa ad illius aperitionem, non sit deveniendum, claudetur cubiculum et in plurimis locis obsignabitur sigillis rmi Episcopi, quod faciendum quoque est in fenestra seu fenestris, dummodo in illa vel in illis non habeatur ferrea crates: clausurae et absignationis actus enunciabitur a notario in instrumento huius translationis, clavesque secum deferat et retineat notarius, idque toties fiet, quoties, re nondum perfecta, abire cogatur ad idem rursus cubiculum accessurus.

Die autem sequenti, aut alia designanda, reverendissimus Episcopus vel eius Vicarius generalis una cum supradictis accedit ad praefatum cubiculum, factaque recognitione sigillorum in ianua appositorum, illisque integris et illaesis repertis, aperiri illam mandabit, tunc eadem recognitio fiat sigillorum, si in fenestra aut fenestris apposita fuerint. Aperietur deinde arca, in qua reposita sunt ossa Sancti Augustini, reiterata prius comminatione excommunicationis, ut supra: mox conferetur vetus instrumentum aperitionis arcae cum his quae ibi invenientur, et distincte describentur ossa, praecordia, linteamina quibus teguntur, et quidquid intus repertum fuerit.

Ossa aliaque ex arca eruta collocabuntur super mensam aliquam ibidem decenter paratam et a pulvere aliisque sordibus recte purgata, opera et ministerio alicuius idoneae personae specialiter designatae suo apte loco disponuntur, et in nova arca nobiliori, anteriusque cristallo ornata, deponuntur. Reverendissimus Episcopus vel eius Vicarius generalis aliquem anatomiae peritum seligat, ut describere possit quae sint ossa, aliaque in arca inventa, et opera alicuius personae ecclesiasticae, vel alterius idoneae, assistente et opem ferente ecclesiastico viro, in nova arca haec ossa ita aptentur, ut magis devotio excitetur; ideoque nec fictitia effigies, vulgo maschera, nec alia apponantur, quibus plebs in errorem induci possit integrum et incorruptum adhuc servari hoc venerandum corpus.

---

cioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum post extractionem et asportationem huiusmodi quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum prohibitiones in omnibus et per omnia innovamus, ac in posterum quamcumque etiam minimae dicti corporis vel aliarum reliquiarum praedictarum particulae asportationem et extractionem sub iisdem poenis in literis praedecessorum nostrorum expressis, auctoritate praedicta, tenore praesentium districte prohibemus et interdicimus, ac per praesentes literas non intendimus supradictas reliquias in aliquo approbare.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die III. octobris MDCCLXXXVI., pontificatus nostri anno XII.

Antequam haec nova arca signis claudatur, reverendissimus Episcopus vel eius Vicarius generalis aliquam ex frustulis ossium in sacculo positis partem, nec maximam nec minimam, extrahat, ut ex illis aliquot reliquias conflet distribuendas illis, qui de restituto sancti doctoris cultu optime meriti sunt. Sed in literis patentibus seu authenticis harum reliquiarum fiat mentio de hac speciali concessione, nec non de prohibitione arcam iterum aperiendi.

Omnibus ita dispositis ad actus complementum arcam suis signis obsignabit reverendissimus Episcopus, et die et hora sibi benevisa hanc arcam in ecclesiam transferre faciat eodem modo, quo supra dictum fuit, ut publicae venerationi exponatur.

De omnibus et singulis ita peractis publicum instrumentum conficiatur, in quo omnia et singula diligentissime sint descripta, cuius exemplar ad sacrorum Rituum congregationem mittere curabit reverendissimus Episcopus.

Caetera, si qua desiderari videantur, commendantur arbitrio, religioni et prudentiae reverendissimi Episcopi, de cuius doctrina, integritate et fide Sanctissimus Dominus noster plurimum in Domino confidit.

V. Pescetelli fidei promotor J.

G. Fatati S. R. C. secretarius

Haec concedimus atque indulgemus, praecipimus, et mandamus, non obstantibus praefatis Benedicti XIII literis, aliisque quibuslibet aliorum etiam praedecessorum nostrorum interdictis, caeterisque omnibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XIII. febr. MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

XLV.

Episcopo Antifellensi et Bombaini Vicario Apostolico committit interini Vicarii Apostolici Madraspatani munus.

Venerabili fratri Petro de Alcantera Episcopo Antifellensi Ordinis Carmelitarum Excalceatorum et Bombaini Vicario apostolico,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Pastorale officium nobis ex alto commissum nihil nos magis sollicitat, quam christifidelibus, ut in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam salutem animarum suarum assequendam opportunis praesidiis adiuventur, omni quo cum Deo possumus studio providere. Quum igitur ad Catholicae religionis bonum in locis Madraspatanae missioni subiectis stabiliter procurandum, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum consilio, memoratae missionis regimen Vicario apostolico charactere episcopali insignito committendum censuerimus, nos de tua fide, prudentia, integritate, doctrina, et Catholicae religionis zelo quamplurimum in Domino confisi, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum consilio, huiusmodi munus tibi conferendum existimavimus, ea spe freti, ut singulari tua diligentia, cura, studio et rerum ad illam missionem pertinentium peritia, qua es praeditus, ea omnia sapienter comparare possis, quae ad proprium Madraspatanae missionis vicarium apostolicum statuendum necessaria et opportuna videbantur. Quamobrem hisce literis te venerabilem fratrem Vicarium apostolicum interinum eiusdem Madraspatanae missionis cum omnibus iuribus et facultatibus ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum eligimus, constituimus et deputamus, et expresse praecipimus, ut non modo, quoad aliter a S. Sede statuatur, iurisdictionem omnem spiritualem habeas per loca omnia missioni Madraspatanae subiecta, sed etiam temporalia omnia iura, possessiones, hospitia, ecclesiae, quae hactenus patrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum missionis propria erant, sacrae Congregationis de Propaganda Fide nomine in tuam transeant potestatem, salva tamen semper in praemissis congregationis eorumdem Cardinalium auctoritate. Mandamus propterea omnibus et singulis ad

Ratio et tenor concessionis.

quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompte pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter excipiant, et efficaciter adimplenda curent; alioquin sententiam, seu poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis etiam consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die v. martii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

XLVI.

Erigit sedem episcopalem in civitate Detroit Americae Septemtrionalis, qui comprehendat provincias Michigan et Nost-West, ab Archiepiscopo Baltimorensi iure metropolitico dependentem (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Maximas inter gravissimasque curas ac sollicitudines, quibus in universa Ecclesia nobis divinitus concredita regenda ac moderanda continenter distinemur et angimur, illa profecto in primis no-

---

(1) Huiusmodi novae sedis Fridericum Rese in Episcopum elegit.

Dilecto Filio presbytero Friderico Rese,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, sollicite corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quum igitur per alias nostras similes literas hoc ipso die datas, quarum tenores pro expressis haberi volumus, novus episcopatus in America Septemtrionali ex provinciis Michigan et Nord-West fuerit erectus, qui dioecesi suae praedictas provincias, quae hactenus Episcopo Cincinnatensi veluti administratori apostolico fuere subiectae, comprehendat, et cuius sedes esse debeat in civitate Detroit, ex qua urbe episcopalis eius titulus proficiscitur, et qui caeteroquin quoad ius metropoliticum Archiepiscopo pro tempore Baltimoren. debeat esse immediate subiectus, nos ad huiusmodi novae episcopalis ecclesiae provisionem celerem atque felicem, in qua nemo praeter nos se potuit seu poterit intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te qui ex legitimo matrimonio natus, et in aetate etiam legitima constitutus existis, cuius apud nos de morum integritate, doctrina, pietate, prudentia, rerum ad illas regiones pertinentium peritia, et in primis catholicae religionis propagandae studio fide digna accepimus testimonia, oculos mentis nostrae direximus: quibus omnibus maturo examine perpensis, ad eamdem novam episcopalem ecclesiam ex provinciis Michigan et Nord-West, cuius episcopalis sedes esse debet in civitate Detroit, de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorumdem fratrum consilio, auctoritate apostolica providere volentes etc. Te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, illi ecclesiae in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam, et largitur dona confisi, quod, dirigente Domino actus tuos, praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione complectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Caeterum ad ea quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum favorabiliter respicientes, tibi ut a quocumque malueris catholico Antistite sanctae nostrae sedis gratiam et communionem habente, adcitis et in hoc illi adsistentibus duobus aliis Episcopis, vel, quatenus hi reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saeculari-

strum animum solet urgere, quae dioecesium omnium per totum terrarum orbem respicit statum. Supremae enim nostrae potestatis nostrique iudicii est illas moderari, earumque limites constituere vel immutare, prout rerum ac temporum ratio et spirituale praesertim christifidelium bonum ac commodum postulare videntur.

Ratio concessionis.

§ 2. Quum itaque ex acceptis plurium venerabilium fratrum Americae Septemtrionalis Episcoporum aliorumque gravissimis testimoniis acceperimus opportunissimum esse ad religionem Catholicam in provinciis Michigan et Nord-West Americae Septemtrionalis amplificandam confirmandamque, ex iisdem provinciis, quibus hactenus Episcopus Cincinnatensis veluti administrator apostolicus praefuit, peculiarem propriamque dioecesim erigere et constituere, cuius sedes sit in civitate Detroit, nos rem tanti momenti Congregationi venerabilium fratrum nostrorum negociis Propagandae Fidei praepositorum examinandam commisimus.

Tenor concessionis.

§ 3. Rebus itaque omnibus maturo examine perpensis, et habita praesertim ratione spiritualis boni, quod in populos earum regionum redundat, de eorumdem fratrum sententia atque consilio, eiusdem dioecesis et episcopatus erectionem perutilem esse cognovimus. Motu igitur proprio, ex certa scientia, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, provincias Michigan et Nord-West, quae hactenus Episcopo Cincinnatensi uti administratori apostolico subiectae fuere, in peculiarem episcopatum, qui caeteroquin quoad ius metropoliticum subiectus esse debeat Archiepiscopo pro tempore Baltimorensi, eiusque episcopalis sedes sit in civitate Detroit, ex qua derivetur episcopatus eiusdem titulus, et qui comprehendat in dioecesi sua provincias Michigan et Nord-West, harum literarum vi erigimus atque statuimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et omnia iuxta praemissa accurate adimpleri; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die VIII. martii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

XLVII.

Confirmat nominationem ab Imperatore Austriae factam pro ecclesia Archiepiscopali Leopolien. armeni ritus (1).

Dilecto filio presbytero Samueli Stefanowicz praeposito metropolitane ecclesiae Leopolien. Armeni Ritus,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, dum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis

---

bus, vel cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem praefatae huius sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, atque eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a S. Sede propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, praefatum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, plenam harum literarum serie tribuimus facultatem. Volumus autem, eademque auctoritate praecipimus, ut nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die VIII. martii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 76.

informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et gubernare.

Approbat nominationem.

§ 1. Dudum siquidem ecclesiarum omnium tunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi et provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum vero archiepiscopali ecclesia Leopolien. armeni ritus, ad quam apostolicis litteris fel. rec. Pii VIII. praedecessoris nostri datis die XXIX. septembris MDCCCXXIX. S. C. I. et R. Maiestati apostolicae Imperatoris Austriae titulo dotationis ius nominandi fuit concessum, salva tamen in reliquis auctoritate VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, quibus nihil inde detrimentum voluit illatum; et cui bo. me. Caietanus Warteresievicz ultimus illius Archiepiscopus dum viveret praesidebat, per obitum dicti Caietani Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit supremum, solatio Pastoris destituta:

Electum designat et conditiones apponit.

§ 2. Nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt nos certiores, provisionem celerem et felicem, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum iisdem VV. FF. habuimus diligentem, demum ad te qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate etiam legitima constitutus et praepositus huius metropolitanae ecclesiae Armenae existis, quemque praedictus Imperator nobis ad hoc per suas literas nominavit, et apud nos de vitae munditia, morum integritate, doctrina, prudentia et pietate ac christianae Religionis et catholicae fidei zelo, ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione fide digna perhibentur testimonia, oculos mentis nostrae direximus. Quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem archiepiscopalem ecclesiam Leopolien. armeni ritus de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, et de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica tenore praesentium providemus, teque illi in Archiepiscopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Leopolien. si in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praedicta ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigetur, grataque in spiritualibus et temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praedicta gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, et tu, praeter aeternae retributionis praemium, nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Caeterum ad ea quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum favorabiliter respicientes, tibi ut a quocumque quem malueris catholico Antistite S. N. Ecclesiae gratiam et communionem habente, accitis, et in hoc ei assistentibus duobus aliis Episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri non poterunt, duobus eorum loco presbyteris saecularibus, vel cuiusvis ordinis, Congregationis et Instituti Regularibus similem huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus Consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, ac eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a Sede nostra propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, praedictum munus tibi impendere auctoritate nostra licite valeat, eadem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem.

§ 3. Volumus tamen eademque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut, nisi receptis a te prius per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo

ipso. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XIII. martii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

XLVIII.

Deputatio legati apostolici extraordinarii apud totius Haitarum reipublicae praesidem, ut cum eo ecclesiastica negotia componet (1).

Venerabili fratri Ioanni England Caropolitano in foederatis Americae Septemtrionalis provinciis Episcopo,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. In supremo catholicae ecclesiae culmine, meritis licet impares, ineffabili Dei voluntate collocati, ad pastoralis officii nostri debitum quam maxime pertinet, spirituali christifidelium saluti summa cura et studio prospicere, eosque omnes disiunctissimis etiam terris a nobis dissitos paterna sollicitudine atque amore ita complecti, ut vinea Domini, quae est Ecclesia, quam ipse plantavit dextera sua, et sui sanguinis pretio redemptam nobis custodiendam tradidit, palmites suos usque ad mare, et ultra eius terminos, ac propagines suas latius in dies atque felicius extendat.

Ratio concessionis. § 2. Quum itaque non mediocri animi nostri dolore acceperimus, varias ob rerum vicissitudines catholicam religionem in insula Haitarum, olim S. Dominici, magnum passam esse detrimentum ita, ut fideles pastoribus ac necessariis ecclesiae praesidiis sint destituti; quumque nec melius, neque expeditius illorum curae et spiritualibus necessitatibus prospici nunc posse videatur, quam si huius Sanctae Sedis nomine idoneus vir omnibus facultatibus necessariis et opportunis instititus ad praedictam insulam mittatur, qui cum excellentissimo Boyer totius Haitarum reipublicae praeside catholicae religionis causam agat, eiusque consulat necessitatibus: nos adhibito quorumdam venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, huiusmodi gravissimum munus tibi committendum censuimus, cuius prudentia, probitas, religionis zelus, et in rebus ecclesiasticis gerendis solertia atque peritia nobis satis est probata.

§ 3. Quamobrem egregiis tuis animi ingeniique dotibus summopere in Domino fidentes, hisce literis te, venerabilis frater, auctoritate nostra apostolica, in nostrum et huius Sanctae Sedis legatum apud laudatum totius Haitarum reipublicae praesidem cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis eligimus, constituimus ac deputamus, ut penes ipsum catholicae religionis causam suscipere atque agere possis, eiusque bono ac commodo pro viribus consulere valeas. Te vero in Domino hortamur, ut singulari cura, studio ac diligentia, ea omnia provide scienterque peragenda cures, quae ad spiritualem illorum fidelium salutem procurandam et religionis bonum augendum pertinere posse videntur. Nos interim in humilitate cordis nostri patrem misericordiarum et Deum totius consolationis rogare non desinemus, ut det tibi spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, quo omnia a te hac super re perficienda optatum exitum assequantur. Tenor concessionis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XV. martii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

XLIX.

Peracta Visitatione Apostolicâ Coenobii et Collegii missionum S. Petri in Montorio, ex mente Visitatoris Apostolici statuit: 1. Coenobium et Collegium subiiciendum esse immediate ministro generali Ordinis, dependenter tamen a sacra Congregatione; 2. removendum esse

---

(1) Favorem Praesidis Reipublicae Haiti invocat pro legato lit. *Constanti*. Bul. de P. F. p. 96.

ab eo studium philosophiae; 3. servandam in eo esse vitam communem perfectam; 4. instaurandam esse observantiam Brevis Crediti nobis *Clementis IX.*

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Pastoralis officii impellente solicitudine et studio ad ovile Christi alias oves adducendi, Romani Pontifices praedecessores nostri consilium susceperunt nonnulla in Urbe Collegia erigendi, quae patere voluerunt iis iuvenibus professis religiosorum Ordinum, qui ad munus missionarii fungendum vocatos se dicerent, ut ibidem per statutum tempus periculum suae vocationis facerent, et impensius orationi vacantes, ceteraque pietatis et sui instituti officia sedulo persequentes, tum denique congruis studiis theologicarum disciplinarum et linguarum orientalium operam dantes, ad illud munus apte riteque exequendum se disponerent. Quod profecto consilium eo magis servare et tueri nos convenit, quo salubrius sanctiusque institutum invenitur.

§ 1. Quocirca cum per S. Congregationem de Propagandâ Fide ad nos perlatum fuerit, Collegium, quod a Clemente IX. praedecessore nostro per Breve quod incipit *Crediti nobis* in conventu Minorum Reformatorum in Monte Aureo posito erectum fuit, a suâ institutione ita excidisse, ut rebus in eo sic permanentibus vix emolumenti aliquid ad bonum et incrementum religionis sperare amplius ex eo possit, propter eaque eadem S. C. a nobis postulaverit, ut tam dictum conventum quam Collegium in eo erectum Apostolicae Visitationi subiiceremus; nos haud morati sumus huic petitioni morem gerere. Quapropter animum statim applicuimus ad aliquem praestantem virum eligendum, cui Visitatoris munus committeremus, dignumque duximus, ut illud alicui ex Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis commendaretur. Cardinalem itaque Aloisium Lambruschinium tituli S. Callisti, fide, integritate, prudentiâ, catholicaeque Religionis zelo valde commendatum selegimus, et ad praedictum Conventum et Collegium visitandum apostolicâ nostrâ auctoritate munivimus eo fine, ut de obortis in eo Conventu et Collegio abusibus inquireret, causas illorum cognosceret, insuper quid factu opus esset nos certiores diligentissime redderet.

§ 2. Hoc igitur ille munere functus eâ, qua uti solet, in gravissimis rebus diligentiâ, studio prudentiâque, peractae a se Visitationis deinde nobis narrationem fecit. Ex eâ porro apparet, Collegium S. Petri in Monte Aureo nec formam nec speciem eius institutionis habere, quam iuxta Breve Clementis IX. *Crediti nobis* praeseferre debet. Numerus siquidem iuvenum, quos saltem decem iubet esse, adeo exiguus est, ut quatuor non excedat. Porro ii ingenio parvi, doctrinâ rudes, ut vix a limine theologicas disciplinas salutaverint, nec eo studio pietatis et religionis incensi, quo praeditos esse oporteret, qui sacris missionibus daturi sunt operam, vix aliquid spei relinquunt, ut missionarii munere sint congrue et cum Dei gloriâ perfuncturi. Studio controversiarum orientalium et linguae Arabicae omnino praetermisso, deest religiosus concionator, qui iuvenibus studentibus coram aliis religiosis singulis mensibus concionem habeat de missionarii muneris praestantiâ, deque peculiaribus dotibus, quibus pollere oportet quisquis in vineâ Domini excolendâ utilem et egregiam operam navare cupit. Ad extremum ea omnia, quae sive ad illius Collegii disciplinam, sive ad studia, sive ad profectum pietatis sapienter ab eo Pontifice ordinata sunt atque instituta, omnia pene desiderantur in eo.

§ 3. Hac teterrimâ Collegii in Monte Aureo positi renuntiatâ nobis conditione, de ratione deinde ineundâ, qua illud e tantâ calamitate abduci, et ad formam per Breve *Crediti nobis* statutam reduci queat, sententiam suam Emus Visitator aperuit. Optimum factu videri sibi dicit, primo si Conventus S. Petri in Monte Aureo, qui nunc ad Romanam provinciam pertinet et provinciali huius provinciae obsequitur, ab eâ separetur, et uni subdatur patri moderatori generali totius Ordinis, ut eius tantum consilio et imperio deinceps administretur. Incongruum enim et absonum putat, ut conventus excipiendis iuvenibus destinatus ex omnibus provinciis totius Ordinis confluentibus qui sacris missionibus se devovere cupiunt, ut in eo ad rite et congrue missionarii munus fungendum instituantur, uni provinciae addicatur; congruum vero ut totius Ordinis conven-

tus habeatur, et uni generali subdatur, cuius est totum Ordinem moderari. Ipse autem pater generalis meminisse debebit, conventum cum Collegio, utpote alumnis tantum iuvenibus religiosis instituendis ad missionarii munus obeundum destinatum, S. Congregationi de Propagandâ Fide subdi. Quapropter cum de novo eligendo Guardiano casus incidet, negotium hoc cum eâdem S. Congregatione aget et talem curabit virum praeficere, qualem S. C. requiret. Insuper tum ipse pater generalis, tum pater guardianus de omnibus, quae ad rite et congrue alumnos Collegii instituendos, vel ad ipsos quoquo modo pertinere poterunt, sive demum ad disciplinam illius Conventus ordinandam tuendamque spectabunt, ad S. C. diligentissime referent. Alterum, quod Eminentissimus Visitator proponit, est ut removeatur ab eo Conventu studium philosophiae, quod per plura decreta alias praescriptum fuerat a S. C., in cuius locum pater generalis subrogandos curabit optimae et spectatae vitae religiosos sex, qui eorum exemplo et studio regularis observantiae iuvenibus studentibus praeeant. Postremum est, ut forma vitae communis inducatur perfectior, quam fieri potest, in eum Conventum, cui vitae rationi persequendae idem Conventus, in quo reditus ex eleemosynis quaesiti singulis annis superant, par esse potest. Duo enim dicit magni momenti emolumenta, eâdem inductâ, sequutura: alterum, quod iuvenes, omnibus sibi a Conventu suppeditatis ad victum vestitumque necessariis, omni abiectâ solicitudine cogitationes suas curasque ad pietatem exercendam studiaque excolenda convertent; alterum, quod in eâ vitae ratione per biennium exerciti a temporalium rerum cupiditate, quae multos missionarios perdit, assuescent animum alienum habere, atque ita expeditiores alacrioresque ad vineam Domini excolendam evadent. Hisce praeiactis fundamentis, urgendum magnopere dicit, ut Breve Clementis *Crediti nobis* adamussim observetur, quod sibi persuadet tum illorum fundamentorum subsidio, tum vigili illorum curâ et diligentia, quorum est de eo Conventu et Collegio curam et solicitudinem habere, observatum iri, fructumque uberrimum, idest bene moratos et institutos religiosos ad gloriam Dei et ad augendam Ecclesiam accensos inde evasuros.

§ 4. Nos igitur ad ea attendentes, quae Emus Visitator de statu Collegii S. Petri in Monte Aureo fideliter et diligenter, pro more suo, exposuit, diu etiam et mature a nobis eâ ratione perpensâ, quam ipse ad illud Collegium ex eâ calamitate excitandum erigendumque adoptandam esse putat, in id tandem consilii devenimus, ut, quod nostrum officium pastorale exigit, ei Collegio opitulari statueremus modo et ratione ab Emo Visitatore propositis. Quocirca per praesentes nostras literas decernimus atque iubemus, ut Conventus S. Petri in Monte Aureo, qui hactenus provinciae Romanae Min. Reformatorum addictus fuit et eius provinciali paruit, ad eamdem amplius non pertineat, a qua idcirco eum per praesentes perpetuo seiungimus, eumque statuimus sub immediatâ patris generalis Ordinis iurisdictione, ut eius in posterum semper consilio et imperio administretur, eâ tamen adiecta lege, ut quoties de novo guardiano eligendo casus incidat, agat primum negotium hoc cum S. Congregatione de Propagandâ Fide, ut eius cum acceptatione et consensu novus guardianus eidem Conventui praeficiatur. Praeterea in omnibus, quae tum Conventus tum Collegii disciplinam et negotia spectare poterunt, ad eamdem S. C. se referet, ut eiusdem cum sententiâ et consensu omnia definiantur. Cum autem is nobis propositus sit finis, ut Conventus S. Petri in Monte Aureo per Collegium in eo a praedecessore nostro Clemente IX. erectum, iuvenibus religiosis ad munus missionum informandis instituendisque inservire tantum debeat, ut omnis causa absit, qua finis iste vel intercipi vel retardari possit, praecipimus et iniungimus eidem patri generali ut, quamprimum fieri possit, studium philosophiae ab eo Conventu removeat, in eiusque locum religiosos nonnullos spectatae vitae subrogandos curet, qui ad studium pietatis iuvenes suo exemplo incendant. Cumque maxime intersit, ut qui sacris missionibus operam navare volunt, animum gerant ab omni cupiditate rerum temporalium alienum, quod pestis ulla deterior sacris missionibus obvenire non possit, quam si missionarii eo inficiantur veneno, volumus et iubemus, ut in Conventu S. Petri in Monte Aureo perpetuo vita communis perfecta servetur. Hac enim vitae ratione servatâ, discent iuvenes animum avertere a rebus tempora-

libus et ad Deum totum convertere, cui uni in sacris missionibus inservire et famulari debebunt. Cetera vero quae a praedecessore nostro Clemente IX. per Breve *Crediti nobis* congrue sapienterque ad illius Collegii regimen disciplinamque spectantia ordinata sunt, ea omnia sarta tecta esse, et in perpetuum et adamussim servari omnino praecipimus, mandantes iis, quibus id curae et solicitudinis esse debet, ut eadem omni studio quo poterunt servare faciant.

§ 5. Decernentes, has praesentes literas, et quae in iis continentur, de nullo defectu impugnari ac redargui posse, sed omnimodâ firmitate validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, plenissime suffragari, et ab iis omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus fel. record. Benedicti PP. XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, ac nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis ac ab universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non praedicti Conventus et Collegii S. Petri in Monte Aureo et memorati Ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXII. martii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

L.

Privilegia concessa sororibus Caritatis nuncupatis a Sancto Vincentio a Paulo (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. § 1. Caritatis viscera induentes, ad illius exemplum, cuius vices, divinae providentiae consilio, quamquam immeriti, hic in terris gerimus, haud profecto possumus non peculiari benevolentia eas prosequi feminas, quae S. Vincentii a Paulo instituta sectantes, spretis mundi illecebris, aegrotis omni ope iuvandis se devovent, infantium expositorum curam habent, adolescentularum institutioni operam impendunt, egenis denique atque inopibus praesto esse contendunt. Hoc tam pium, tam salutare, atque opportunum ministerium, quod hisce feminis filiarum Caritatis nomen comparavit, non solum in Galliis, ubi conditum, sed et in aliis Europae regionibus, ac praesertim in Hispania, summa cum animi Nostri voluptate vigere novimus, uti ipsis regibus patronis atque praesidibus multum in dies ponderis ac stabilitatis adipiscitur, ac non levi populi commodo et spirituali animarum saluti esse conspicitur.

§ 2. Hinc nos maiori illarum bono prospicere pro viribus satagentes, benigne excipimus preces dilecti filii Fortunati Feu presbyteri congregationis Missionis, et rectoris generalis filiarum Caritatis in ditione catholici regis degentium, dum a nobis demisse postulavit, ut facultatem concedere velimus, qua in earum domesticis sacellis divina hostia possit asservari, sacrum peragi, Eucharistia excipi; in earum privatis aediculis die decimanona iulii missa S. Vincentii a Paulo ritu duplici primae classis, ac die vicesima septima septembris missa propria eiusdem fundatoris a sacerdotibus earum moderatoribus possit celebrari; publicis autem in ecclesiis eadem die vicesima septima septembris praeter missam etiam officium, a caeteris vero presbyteris missa tantum; liceat insuper earum unicuique sacras indulgentias ecclesiis quibusque concessas propriis in templis et sacellis lucrari. Quin immo ad excitandum magis magisque huiusmodi mulierum studium, quo de re catholica et civili quam optime merentur, pontificiae nostrae beneficentiae munera universae filiarum Caritatis familiae conferre statuimus. Expositio precum.

§ 3. Omnes ergo, quibus hae literae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incur- Tenor concessionis.

(1) Cum istae in locis missionum plurimas habeant domus, privilegia huc earum referre existimavimus.

rerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, volentes lubentesque, seu motu proprio, ac certa scientia, matura deliberatione, atque apostolicae potestatis plenitudine concedimus et indulgemus, ut in aedibus filiarum Caritatis ubique positis, dummodo inibi saltem numero quinque sint contubernales, vel secus plures puellae institutionis causa penes eas degant, sacellum possit haberi, decenter tamen ornatum, et ab omnibus domesticis usibus liberum, atque ab Episcopo prius de more invisendum, ibique super ara, quae necessaria supellectili pro dignitate sit instructa, libere liciteque sanctissimum Eucharistiae sacramentum possit asservari; cum lege quidem ut ante tabernaculum, quo divina hostia continetur, diu noctuque lampas alatur; utque eius tabernaculi clavis maneat penes sacristam, sive aedituum, qui fida illam custodia tueatur. Concedimus praeterea, ut eo in sacello, quatenus in una eademque domo simile privilegium nequaquam vigeat, ea Episcopi venia et arbitrio, in singulos dies, etiam solemniores, a quocumque presbytero rite probato sacrificium fieri possit; cui quidem non modo ipsae Caritatis filiae, sed et puellae ab eis exceptae, aliaeque mulieres domui addictae, pietate illa qua decet, adstantes, ecclesiastico praecepto, quod est diebus festis de assistendo divinis, omnino satisfaciant. Licebit autem Caritatis filiabus ac puellis in commemorato sacello animae sordes per sacram confessionem abluere, et Eucharistiae sacramentum excipere, ac paschali quoque tempore ecclesiasticum praeceptum obire. Ad haec auctoritate pariter Nostra facultatem facimus, ut in privatis aediculis quarumcumque domorum, quae filiabus Caritatis commissae sunt, quaeque publica carent ecclesia, die decimanona mensis iunii cuiuslibet anni missa propria sancti Vincentii a Paulo earum conditoris ritu duplici primae classis a presbyteris tantummodo spirituali filiarum regimini constitutis possit peragi. Itemque ut die vigesima septima septembris, anniversaria ipsius sancti Vincentii obitus, in publicis dumtaxat earum ecclesiis a presbyteris ipsis missa et officium proprium illius sancti conditoris, a caeteris vero presbyteris missa tantum possit celebrari; uti aeque missa huiusmodi fieri poterit in privato earum aedium sacello a presbyteris, qui aliquam operam eis impendunt. Postremo quum hae mulieres ex instituti legibus e domo egredi nequeant, nisi ulla eiusdem instituti urgeat necessitas, ne iis spiritualibus careant subsidiis, quae ad animarum salutem magnopere conducunt, auctoritate nostra elargimur, ut Caritatis sorores et puellae una cum ipsis degentes, quae in suis ecclesiis vel sacellis domesticis praescriptas ad Deum preces effuderint, easdem indulgentias tum plenarias, tum alias quasque christifidelibus hanc vel alteram ecclesiam adeuntibus, ibique orantibus, a Romanis pontificibus praedecessoribus nostris concessas, possint lucrari.

§ 4. Haec in perpetuum concedimus et indulgemus non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum literarum exemplis etiam impressis, manuque publici notarii subscriptis, et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem adhibeatur fides, quae nostrae voluntatis significationi, ipso hoc diplomate ostenso, haberetur. Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta maii millesimo octingentesimo trigesimo tertio, pontificatus nostri anno tertio.

LI.

Deputatio delegati Sedis apostolicae ad obeunda negocia ecclesiarum orientalium.

Venerabili fratri Archiepiscopo Iconiensi,

GREGORIUS PP. XVI.

**Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.**

§ 1. In sublimi principis Apostolorum cathedra, nullis certe nostris promeritis, sed ineffabili Dei voluntate collocati illud unum vel maxime spectamus, ut ecclesiastica praesertim negotia singulari cura, Prooemium.

studio, ac vigilantia in universo terrarum orbe tractentur ac dirigantur pro maiore Catholicae Ecclesiae utilitate, et christifidelium bono ac commodo, quibus nihil nobis potius, nihil iucundius atque optabilius esse potest.

Ratio et tenor concessionis.

§ 2. Cum itaque venerabilis frater Ioannes Petrus Losanna Episcopus Abidensis, atque huius apostolicae Sedis delegatus pro ecclesiasticis orientalium negotiis, ad alia obeunda munera ab hac ipsa apostolica Sede fuerit designatus, ideoque praefata apostolica delegatio vacaverit, nos tua singulari pietete, zelo, doctrina atque prudentia summopere in Domino fidentes quod huiusmodi munus naviter scienterque sis peracturus, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio te a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis auctoritate nostra apostolica in delegatum apostolicum pro ecclesiasticis orientalium negotiis, cum omnibus et singulis necessariis atque opportunis facultatibus quibus commemoratus venerabilis frater Episcopus Abidensis huius muneris ratione fruebatur, te eligimus, constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac in tempore spectabit, ut in virtute sanctae obedientiae tibi in praemissis pareant atque obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter implenda curent, alioquin sententiam seu poenam quam rite tuleris in rebelles seu statueris, ratam habebimus, et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis etiam consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die VII. iunii MDCCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

LII.

***Descripta extensione missionum Congregationi SS. Cordis Iesu et Mariae in Oceania commissarum, Vicarium Apostolicum ad eas regendas constituit charactere episcopali decorandum, cui subsint etiam Praefecti Apostolici earumdem missionum, et munus illud confert Stephano Rouchouze presbytero eiusdem Congregationis* (1).**

(1) Seq. literis, ex Reg. Brev. transcriptis, nominabat Pontifex Stephanum Rouchouze Vic. Apost.

Dilecto filio Stephano Rouchouze presbytero congregationis in Galliis Sanctissimorum Cordium Iesu et Mariae,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere, et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium quaeque in posterum vacaturae ordinationi et provisioni nostrae reservavimus decernentes, ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum vero episcopalis Ecclesia Nilopolitan in partibus infidelium existens cum solatio Pastoris fuerit destituta, nos ad eiusdem Ecclesiae de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt nos certiores provisionem celerem atque felicem

Dilecto filio Stephano Rouchouze presbytero Congregationis SS. Cordium Iesu et Mariae in Galiis,

GREGORIUS PP. XVI.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

In sublimi Princicipis Apostolorum Cathedra nullis certe nostris pro meritis sed ineffabili divinae providentiae consilio collocati, ac propterea gravissima Ecclesiarum omnium solicitudine continenter districti, ad universarum, quae sub coelo sunt, gentium solicitudinem mentis nostrae oculos circumferre solemus, atque ad remotissimas etiam ab hac Apostolica Sede regiones pastoralis nostrae vigilantiae curam extendimus, ut christiana Religio et catholica fides magis magisque in dies augeatur, et christifideles in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam assequendam salutem opportunis praesidiis adiuventur.

§ 1. Cum itaque instituta certisque limitibus circumscripta nuper Missione in ea Oceaniae parte, quae Insulas omnes Oceani Pacifici tum septentrionalis, tum australis complectitur, ab Insula Paschatis inclusive usque ad Insulas Archipelagi dicti Roggewein pariter inclusive, et ab Insulis Sandvichianis inclusive usque ad Tropicum Antarticum, eiusque Missionis cura spiritualis demandata Sacerdotibus Congregationis in Galliis sic dictae SS. Cordium Iesu et Mariae et Adorationis perpetuae SSmi Sacramenti Altaris, ad rectius eiusdem missionis regimen, atque ad spiritualem tot populorum, qui in idololatriae tenebris sedent, salutem maxime conducere videatur, ut Apostolicus Vicarius cum charactere episcopali in tam remotis ac inter se dissitis regionibus instituatur, cum iurisdictione in praefectos apostolicos praedictarum Insularum, qui ipsi obedire teneantur; virum aliquem morum integritate, doctrina ac prudentia praestantem eligendum censuimus, qui huiusmodi gravissimo sane munere naviter scienterque fungatur.

§ 2. Nos igitur singulari tua fide, probitate, prudentia doctos et Catholicae Religionis zelo quamplurimum in Domino fidentes, quod ea, quae tibi committenda duxerimus, cumulate sit expleturus, de

---

in qua nullus praeter nos se potuit seu potest intromittere reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te qui ex legitimo matrimonio natus et in aetate legitima constitutus existis, cuius apud nos de morum integritate, doctrina, prudentia, pietate, christianae religionis et catholicae fidei zelo, ac spiritualibus et temporalibus providentia, fide digna perhibentur testimonia, oculos mentis nostrae direximus; quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem episcopalem Ecclesiam Nilopolitan de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tua merita accepta de eorumdem VV. FF. consilio auctoritate apostolica hisce literis providemus, teque illi in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur dona confisi, quod, dirigente Domino ac us tuos, praedicta Ecclesia tua industria, cura et studio utiliter et prospere dirigatur, grataque in spiritualibus et temporalibus Orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens, curam et administrationem ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut Ecclesia praedicta gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, et tu, praeter aeternae retributionis praemium, nostram quoque et Apostolicae Sedis uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Praeterea tibi ut ad Ecclesiam praefatam quamdiu ab infidelibus detinebitur accedere, et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus atque indulgemus. Caeterum ad ea quae in tuae possunt cedere commoditatis augmentum favorabiliter respicientes, tibi ut a quocumque quem malueris catholico Antistite S. N. Sedis gratiam et communionem habente, accitis et in hoc loco ei adsistentibus duobus aliis Episcopis, et, quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis, et instituti regularibus similem praefatae Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, ac eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a S. Sede propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, praefatum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat plenam tribuimus facultatem. Volumus tamen, eadem auctoritate praecipimus, ut nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII. iunii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

vener. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te quem per similes apostolicas Litteras hoc ipso die datas Episcopum Nilopolitanum in partibus infid. renunciavimus, commemoratae missionis in praefata Oceaniae parte, quae Insulas omnes Oceani Pacifici tum septentrionalis tum Australis complectitur, ab Insula Paschatis inclusive usque ad Insulas Archipelagi dicti de Roggewein pariter inclusive, et ab Insulis Sandvichianis inclusive usque ad Tropicum Antarticum cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, et cum iurisdictione etiam in Praefectos apostolicos praedictarum Insularum, Vicarium Apostolicum ad nostrum et Apostolicae Sedis arbitrium auctoritate nostra apostolica hisce litteris eligimus, constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit in posterum, nec non praefatis praefectis Apostolicis earum Insularum, ut tibi in praemissis prompti pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata etc. inviolabiliter observari.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quisbusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIV. iunii MDCCCXXXIII., Pontificatus nostri anno III.

LIII.

Honores et privilegia tributa sodalitio seu confraternitati tertii ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo civitatis sancti Salvatoris in Brasilia.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Pietatem ac religionem eorum hominum, qui in peculiaria quaedam collegia coacti divinum promovent cultum, et christianae charitatis opera exercent, Romani pontifices excitare pro viribus student, vel spiritualia privilegia illis concedendo, vel ea, quae ad maiorem Dei gloriam ad propositum assequendum finem aliqua possint ratione conducere. Prooemium.

§ 2. Expositum nobis est a dilectis filiis moderatoribus, aliisque sodalitatis seu confraternitatis tertii ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo civitatis S. Salvatoris in Brasilia, eorum societatem sub regimine fratrum Carmelitarum eiusdem civitatis amplius centenos annos rite institutam, nunquam ab eis recessisse, quamvis ex similibus apostolicis literis fel: rec: Clementis XII. praedecessoris nostri die decimasexta maii anno millesimo septingentesimo trigesimo octavo editis id sibi liceret. Ille enim pontifex quum prospiceret eosdem inter sodales de hac sacra familia tam optime meritos et ipsius alumnos nonnulla exorta fuisse dissidia cum divini cultus detrimento, ac multos e sodalitate discedere, opportunum esse duxit, sodalitatem ipsam a iurisdictione eorumdem religiosorum virorum avocare, eamque Episcopis in tempore S. Salvatoris subiicere, quin tamen aliquid e privilegiis, indulgentiis aliisque indultis, quibus Carmelitarum ordini adiuncta perfruebatur, omnino amitteret. Nunc vero quum videant oratores religiosorum virorum numerum in dies imminuere, propterea quod nemo alius in eorum sacram familiam inibi excipitur, ac brevi tempore eos ita paucos futuros, ut in Expositio precum.

sodalitii templo, eo quo decet splendore, sacra ministeria haud possent peragi, supplices ad nos confugerunt, ut a memoratis religiosis viris disiunctionem a praedecessore nostro Clemente XII. iam praescriptam sancire velimus; privilegia Carmelitarum ordinis eis confirmare; S. Salvatoris Episcoporum iurisdictioni eos subiicere, presbyterum a clero saeculari in eorum spiritualem moderatorem sibi adlegendi facultatem impertiri, itemque concedere; eorum leges seu statuta emendari, sodalitatis veste condi; huiusmodi privilegia ad nosocomium quod ab ipsis extruitur protendi; indulgentiam plenariam diebus Deiparae a Carmelo ac S. Theresiae sacris in eorum ecclesia lucrifieri, altare demum sanctae Theresiae dicatum privilegio apostolico donari.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur oratores, nec non alios, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, rationum omnium momentis, quae hisce in precibus exposita fuere, diligenter perpensis, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et regularium praepositorum consilio, eorum votis benigne annuere existimavimus, certa spe freti, fore ut a Carmelitis alumnis etiam distracti non solum in sacris peragendis caeremoniis nihil remittant, sed maiori semper studio proximis adiuvandis operam impendant. Quapropter plena auctoritate Nostra apostolica harum literarum vi, ex consensu venerabilis fratris ecclesiae istius Episcopi, sodalitatem seu confraternitatem tertii ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo in civitate sancti Salvatoris in Brasilia rite iamdiu institutam, eiusque sodales tam adscriptos, quam in posterum adscribendos, a regimine, cura et omnimoda iurisdictione fratrum ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo perpetuo auferimus atque amovemus; illamque sodalitatem ac sodales curae, regimini et iurisdictioni Episcopi in tempore sancti Salvatoris omnino subiicimus atque committimus. Omnia ergo et singula privilegia, indulta, sacras indulgentias aliaque beneficia, quibus sodalitas ipsa ex privilegiis et concessionibus per Romanos Pontifices praedecessores nostros eidem ordini beatae Mariae Virginis tributis, ei addicta utebatur ac potiebatur, atque uti et perfrui deinceps poterat, conferimus atque communicamus, dummodo ab omnibus quibusque in eam societatem cooptatis eius leges plane serventur. Iisdem praeterea sodalibus facultatem facimus presbyterum a clero saeculari adlegendi, qui ab Episcopo adprobatus spiritualis eorum moderatoris personam sustineat, quin tamen a parochi iurisdictione minime immunis censeatur, sacras ex more peragat functiones, vestibus benedicat et professiones excipiat. Heteriarchis autem aliisque sodalitatis primoribus (Lusitano idiomate mesa ou iunta) liceat eorum leges seu statuta, quum opus fuerit vel temporis ac rerum ratio postulet, annuente et approbante Episcopo, emendare atque immutare.

Declaratio specialis.

§ 4. Neque aliquid praetermittere cupientes quod sodalitatis huiusmodi amplificationi possit consulere, eadem auctoritate nostra concedimus, ut quilibet ex utroque sexu in sodalitatem relatus, prius etiam quam a fratribus Carmelitis disiunctio conficiatur, humari possit vestibus, quibus sodales ipsi utuntur, quemadmodum aliis sodalibus tertii ordinis datum est. Iam vero quum sodalitas, de qua agitur, nosocomium proprio aere e fundamentis excitandum curaverit prope eorum ecclesiam sodalibus infirmis excipiendis omnique ope iuvandis, atque impense adlaboret, ut opus procedat, auctoritate pariter nostra indulgemus, ut omnia quaeque privilegia atque indulta sodalibus iisdem concessa ad nosoconium protendantur et amplientur, utque ab eorum moderatore inibi sacramenta possint administrari. Beneficia demum beneficiis addere volentes, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui eorum ecclesiam die decima sexta mensis iulii, ac decima quinta octobris, utraque eorum patronis sacra, pie visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum remissionem impertimur. Itemque auctoritate nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apo-

stolorum eius auctoritate confisi, concesimus et indulgemus, ut quandocumque sacerdos aliquis secularis, vel cuiusvis ordinis, congregationis, et instituti regularis, missam defunctorum pro anima cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, eadem in ecclesia ad altare Sanctae Theresiae celebraverit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut eiusdem Domini nostri Iesu Christi, ac beatissimae Mariae Virginis, sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Haec statuimus atque elargimur, decernentes hasce literas et in eis contenta quaecumque quovis praetextu, colore et ingenio de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quovis alio defectu notari, impugnari, aut in controversiam deduci non posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et eorum causa quae expressa sunt, tum ob imminutum fratrum Carmelitarum numerum, tum ob dissidia inter eos et sodales praefatos exorta, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, confraternitatis et ordinis, de quibus habita est mentio etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXI. iunii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

LIV.

Imminutio festorum in dioecesi de Buenos Ayres in Indiis Occidentalibus.

Venerabili fratri Mariano Medrano Episcopo de Buenos-Ayres in Indiis Occidentalibus,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§ 1. Exponendum nobis curasti ex dierum festorum multitudine, licet eo sane consilio instituta, ut omnipotentis Dei gloria et cultus augeatur, Ecclesiae honor excitetur, animarum salus procuretur et christifideles ab omni servili opere abstinentes ea qua par est pietate et religionis sensu sacras adeant aedes, quae sunt domus Dei et aula coeli, atque in sacramentorum usum et coelestium rerum commentationem magis magisque incumbant, ac precibus fundendis, aliisque piis instent operibus, multa tamen eaque gravia incommoda in amplissimis istis regionibus originem habuisse non sine gravi religionis detrimento. Ex humanae enim conditionis et corruptae naturae vitio contigit, ut, multorum fidelium caritate atque pietate miserrime extincta, dies Deo sacri impune violentur et contemnantur, nec pauci sint, qui eos ipsos dies turpiter terunt vel in ludis vel in commessationibus vel in otio, quodque etiam peius in ebrietatibus, cubilibus, aliisque quae inter christifideles ne nominari quidem ex Apostoli monito deberent. Addis praeterea ex nimio festorum dierum numero non leve in pauperes homines et humilis conditionis detrimentum redundare, qui manuum labore victum sibi suisque familiis comparare coguntur, quique praesertim agris excolendis vel negotiationi exercendae operam navant. Itaque iis ipsis, qui summam imperii tenent, summopere efflagitantibus, a nobis postulasti, ut his

omnibus, festorum dierum numerum quoad utramque obligationem sacri audiendi, et operibus servilibus non vacandi apostolica nostra auctoritate minuendo, benigne consulere velimus.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur, rebus omnibus maturo ac diligenti examine perpensis, etsi magno quidem animi nostri dolore vel moerore potius accepimus tot tantaque mala istis in regionibus in dierum festorum contemptum invaluisse, ac vehementer doluimus christifidelium caritatem et pietatem in dies defervescere, tamen memoria repetentes, quod rec. mem. Benedictus XIV. praedecessor noster eadem de re ab Episcopo Calaguritano rogatus animadverterat, et a S. Leone magno praedecessore pariter nostro hauserat, multa scilicet esse, quae rerum ac temporum ratione habita temperari oporteat, satius atque opportunius existimavimus commemoratis malis salutare afferre remedium, atque egenis calamitosisque hominibus faciliorem ad vitam sustendandam munire viam, quam severiore ecclesiasticae disciplinae ratione fideles ipsos in aeternae salutis discrimen adducere. Quamobrem de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis ecclesiasticis praepositorum consilio, tibi, venerabilis frater, apostolica nostra auctoritate, deque supremae nostrae potestatis plenitudine committimus atque mandamus, ut, si res ita se habeant, prout expositae, exceptis omnibus diebus dominicis, Natalis Domini nostri Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis Domini, Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, commemorationis Omnium Sanctorum, ac praeterea quinque B. Mariae Virgini dicatis, Purificationis nempe, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, nec non sancti patroni seu tutelaris provinciae, vel cuiuslibet civitatis, aut oppidi, in quibus volumus integram omnino manere obligationem tum sacri audiendi, tum a laboriosis servilibusque operibus abstinendi, exceptoque etiam die S. Iosepho beatae Mariae Virginis sponso sacro, quo fas quidem erit laboriosis operosisque exercitationibus etiam servilibus operam dare, sed missae sacrificio assistendi praeceptum urgebit, in reliquis quibusque festis diebus, sive ab hac Apostolica Sede praeceptis, sive a synodalibus constitutionibus vel alio quocumque modo praescriptis, omnes et singulos universae tuae dioecesis fideles ab utraque sive sacri audiendi, sive a laboriosis et servilibus operibus, quaecumque ea sint, abstinendi obligatione, eadem auctoritate nostra apostolica pro tua conscientia atque prudentia solvas, et solutos declares.

Conditiones adiectae.

§ 3. Committimus praeterea tibi atque mandamus, venerabilis frater, ut eadem auctoritate nostra apostolica omnes tuae dioecesis fideles ab ieiuniis, quae in pervigiliis festorum dierum imminuendorum hactenus observare consueverunt, expedias, subrogatis tamen eorum loco singulis feriis sextis et sabbatis tempore adventus Domini nostri Iesu Christi, quibus ieiunare oportebit, ita tamen, ut fas sit lacte et ovis uti. Huiusmodi vero indulto nihil novi in sacra liturgia tum quoad chori servitium, tum quoad divinorum officiorum celebrationem, aliasque ecclesiasticas functiones fieri volumus atque mandamus.

Clausula sublata, decretum irritans et derogatio contrariorum.

§ 4. Haec concedimus atque indulgemus, non obstantibus constitutione rec. me. Urbani VIII. praedecessoris nostri, quae incipit *Universa,* aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem dioecesis, provinciae, locorum, terrarum, oppidorumque etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis superioribus et personis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die IX. iulii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

LV.

Erectio in sodalitatem tertii ***Ordinis Sancti Francisci de Paula confraternitatis erectae in ecclesia beatae Mariae Virginis Bonae Mortis oppidi S. Salvatoris dioecesis Fluminis Ianuarii.***

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. § 1. Incendendis ad pietatem animis quum nihil opportunius nihilque utilius esse possit, quam inexhaustos Ecclesiae thesauros ex infinitis Christi meritis sanctorumque satisfactionibus conflatos christifidelibus reserare, aliaque spiritualia munera eis conferre, Romani idcirco Pontifices praedecessores nostri pro supremae potestatis ministerio sibi in Ecclesia universa tradito, huiusmodi donis eas praesertim cumularunt hominum societates, qui sub tutela alicuius caelitis non exiguam curarum partem in Dei honorem propagandum, atque in proximos iuvandos alacriter impendunt.

Expositio precum. § 2. Exponendum nobis curarunt dilecti filii moderatores aliique a sodalitate, quae in ecclesia Mariae Virginis Bonae Mortis in oppido Sancti Salvatoris vulgo « Campos de Gortacares » istius Fluminis Ianuarii dioecesis est constituta, se impense cupere, eorum sodalitatem tertio Ordini Sancti Francisci de Paula adscribi, eiusque ordinis privilegiis atque indultis perfrui; itemque veste alba, trabea, seu cappa et scapulari caerulei coloris et nigro funiculo uti, quemadmodum aliis sodalitatibus concessum est.

Tenor concessionis. § 3. Nos igitur omnes quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, votis quoque venerabilis fratris Iosephi Caietani Episcopi Fluminis Ianuarii hac super re porrectis obsequuti, quo sodalitas, de qua agitur, magis magisque de re christiana et civili optime mereatur, auctoritate nostra apostolica eiusdem Episcopi arbitrio et prudentiae committimus, ut servatis iis, quae servari opus est, sodalitas ipsa in ecclesia, cui titulus beatae Mariae Virginis Bonae Mortis oppidi Sancti Salvatoris vulgo « Campo de Goitacares » istius dioecesis Fluminis Ianuarii rite constituta ad sodalitatem tertii Ordinis Sancti Francisci de Paula evehatur, eiusque ordinis indulgentiis tum plenariis, tum aliis quibusque, itemque privilegiis, honoribus, indultis quocumque nomine nuncupandis omnino perfruatur. Concedimus deinde atque indulgemus, ut ex ipsius Episcopi prudentia et arbitrio sodales in eam societatem cooptati vestem albam trabeamque, seu cappam et scapulare caerulei coloris possint induere ac nigro funiculo praecingi, iisque omnibus insigniis in sodalitatis aede vel alibi, quum sodales universi solemni ritu procedunt, ornari.

§ 4. Haec concedimus, atque elargimur, decernentes has literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XII. iulii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

LVI.

In patrocinium suum recipit monasterium Ordinis S. Benedicti Cannington in Anglia; S. R. E. Card. Weld visitatorem monasterii constituit, suspensa ceterorum iurisdictione etc. (1).

---

(1) Vide infra *Accepimus literas.*

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§ 1. Inter sacras virgines, quae a saeculi illecebris declinantes in claustralibus septis divino se famulatui manciparunt, piae sunt moniales insignis Ordinis Sancti Benedicti sub titulo Sanctae Mariae Bonae Spei, quae, sicut intelleximus, turbolentissimis Galliae motibus in Angliam migrare coactae, in occidentalibus eius regni plagis domum Courta-hoûse appellatam in pago Cannington subierunt, ubi sacrarum fama virtutum iamdiu florent. Hodie vero quum inter eas aliquae subortae sint aliorum opera contentiones ac discordiarum germina, quae pacem ac disciplinae ordinem perturbarunt, gemebunda prior caeteraeque sorores apostolicae Sedi, quae afflictorum mater est atque praesidium, supplices obtulere preces postulantes, ut ad avertenda mala, quae monasterii cladem minantur pacemque restituendam, illud sub immediata Apostolicae Sedis tutela, opportunis adhibitis providentiis, recipiatur.

Tenor declarationis.

§ 2. Quoniam igitur claustralem vitam agentibus nimis congruum est, ut apostolicum praesto sit adiumentum, nos audito ven. fratre nostro Carolo Maria Episcopo Praenestino S. R. E. Cardinali Pedicino nuncupato et Congregationis de Propaganda Fide praefecto, documentisque perspectis, nostram erga sacras virgines benevolentiam ostendere cupientes, easque omnes a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, de plenitudine potestatis praedictum monasterium totamque eius familiam sub directo et immediato nostro et sanctae huius Apostolicae Sedis patrocinio ponimus, et alterius cuiuscumque spiritualem iurisdictionem suspendentes, decernimus nemini licere praedictum monasterium perturbare, iura eius regulasve infringere vel ipsi qualibet auctoritate aut praetextu molestiam creare. Ut autem quispiam ad res monasterii componendas peculialiter incumbat, nos protectorem eius, nostrumque in eodem Vicarium, constituimus ac deputamus dilectum filium nostrum Thomam S. R. E. presbyterum Cardinalem Weld nuncupatum, nobili magnae Britanniae genere natum, ac praecipuo erga illud monasterium studio affectum, qui, rite comperto eiusdem monasterii statu ac necessitatibus, impense curet pacem mutuamque concordiam ibi restituere, legumque observantiam custodire. Et quia praedictus dilectus filius noster Thomas ex alma urbe non potest recedere, potestatem ei concedimus, ut alium, prout sibi libuerit, deputet, vel Episcopum si fieri poterit, vel certe spectabilem aliquem sacerdotem pietate ac prudentia praeditum, qui suas in Anglia vices gerat, quatenus scilicet illud monasterium invisat, res eius ordinet et protectori a nobis deputato in omnibus diligenter referat. Nominatim vero ipsi protectori, vel eius delegato, facultatem elargimur quemlibet idoneum moratumque presbyterum, et sibi in Domino benevisum, deligendi approbandique ad excipiendas praedictarum monialium confessiones, ipsarumque conscientias secundum legem Dei propriique instituti normam regendas. Mandamus idcirco dilectis in Christo filiabus priori, caeterisque monialibus commemoratis, aliisque ad quos spectat, ut eumdem dilectum filium nostrum Thomam in protectorem et Vicarium nostrum harum literarum vi excipiant et admittant, eique vel eius delegato omnino pareant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non earumdem monialium earumque instituti etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum deroga-

toriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVI. iulii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

LVII.

Mittit ad Archiepiscopum Primatem Constantinopolitanum Armenorum responsiones S. Congregationis auctoritate pontificiâ confirmatas ad dubia ab eo proposita, dilatâ responsione quoad Ritualem librum, eique animos addit ad difficultates, quibus in ministerio sacro premitur, divinâ ope imploratâ superandas (1).

Venerabili fratri Antonio Archiepiscopo Primati Armeno Constantinopolitano,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Literas in tempore accepimus, quas die X. mensis aprilis ad nos dederas, ut super nonnullis controversiis istic exortis nostram implorares auctoritatem. Et delectati sane fuimus recenti hoc tuae in S. hanc Sedem observantiae documento, quod magis ac magis confirmat sequi te instituta maiorum, omniaque, quae possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput atque ad apicem Epi-

---

(1) Ex Reg. Vat. epist. Ex Reg. vero lit. S. Cong. de P. F. MDCCCXXXIII., p. 598, desumimus eiusdem Cong. responsiones ad dubia Archiepiscopi.

Illme. ac Rme. Domine,

Epistolam, quam amplitudo tua ad Sanctissimum Dominum Pontificem Maximum misit, eadem Sanctitas Sacrae Congregationi de Propaganda Fide remisit, ut, perpensis dubiorum et postulationum momentis, idonea responsio fieret. Sacra igitur Congregatio laudat in primis obsequium tuum erga Apostolicam Sedem, teque magnopere hortatur, ut unde habuisti dignitatis et auctoritatis initium, indidem semper gerendarum rerum regulam petas. Id cum Sanctae Orthodoxiae et tui cleri populique disciplinae ac moribus unice proderit, tum etiam tibi honorificum commodumque erit, qui in immobili Petri base contra omnes adversitatum ventos consistes.

Primum igitur Sacra Congregatio te monet, ut capita illa, quae tu ipse dicis notas esse seu characteres, quibus catholici Armeni e schismaticis haereticisque distinguuntur, seque cum Ecclesia Romana consentire demonstrant, prorsus retineas. Sunt autem haec:

I. Professio in symbolo, quod Spiritus Sânctus non solum a Patre, verum etiam a Filio procedat. Et quidem cave, ne vocabulum ullum varies vel multiplices; sed uno eodemque vocabulo processionem a Patre Filioque declares et confitearis. Neque tamen dogmatis huius confessio intra symboli fines continenda est, sed in aliis quoque ecclesiasticis libris libere constanterque faciendam curabis.

II. Commemoratio Romani Pontificis, utpote Christi Vicarii et capitis universalis, in sacra liturgia omitti non debet.

III. Aqua sacro calici sub districto praecepto miscenda est.

IV. Trisagii additamentum *qui crucifixus es pro nobis* etc. minime fiat aut recitetur.

V. Natale Domini die XXV. decembris seorsum celebretur a festo Epiphaniae, quod in diem VI. ianuarii incidit. Circumcisio Domini die I. ianuarii, Beatae Mariae purificatio die II. februarii, Annunciatio eiusdem die XXV. martii celebretur.

VI. Missarum lectarum (praeter sollemnem) pia utilisque consuetudo nequaquam aboleatur: quare et idoneus Altarium numerus in templis statuendus est.

His ab amplitudine tua propositis catholicae fidei communionisque apud Armenos notis, alias Sacra Congregatio accensendas censet. Nempe

I. Duarum in Christo naturarum publica et non ambigua professio: ita ut Christus dicatur atque credatur non solum ex duabus, verum etiam in duabus et cum duabus impermixtis naturis, divina atque humana, subsistere.

II. Synodus Chalcedonensis et reliquae a Romanis Pontificibus comprobata synodi oecumenicae, tamquam fidei regula, publice privatimque admittantur.

III. Iudicium animarum particulare statim post obitum hominis fieri credatur, id est prompta remuneratio ac destinatio sive ad gloriam sive ad poenam. Paradisus autem non terrestris aliquis locus, sed omnino caelestis, in quo Dei visio intuitiva est, credatur. Purgatorium insuper et ius concedendi indulgentias extra omnem dubitationem sit.

IV. Sacramentum extremae unctionis in numero septenario habeatur, debitoque cum ritu administretur.

V. S. Petrus Apostolorum caput et huius successor Romanus Pontifex, cum plenaria potestate, praedicetur; et Romana Ecclesia tamquam omnium ecclesiarum mater atque magistra, in qua claves caelorum resident, habeatur.

Nunc ut ad reliqua epistolae tuae postulata veniamus; I. usus quidem omittendi missae sacrificium nonnullis ante septuagesimam diebus, et praeterea determinatis quibusdam intra quadragesimam, per se vituperandus non videtur, nisi forte graviores querelae eorum, qui iamdiu aliter agere solent, pertimescendae sunt.

II. Velorum usum in Altari, cum missa sollemnis peragitur, nemo recte improbare potest.

III. Anathematismus contra Arianos ac Macedonianos, si in Missa sollemni fiat, satis est.

scopatus referre (quibus verbis laudabat olim S. Innocentius I. Felicem Episcopum Nucerianum). Iam vero memoratas tuas literas diligenter, ut moris est, expendi iussimus a nostrâ Congregatione de Propagandâ Fide, quae, sicut postulaveras, festinavit ad dubia respondere in iisdem proposita; quod tamen perfici tam brevi tempore non potuit circa Ritualem librum atque alia eiusmodi quae longius examem exposcunt. Ceterum super hoc etiam libro responsum dabitur paulo post. Accipies interea complicatam cum nostris hisce literis epistolam memoratae Congregationis, qua aliae illae responsiones continentur. Et, quod nostri muneris est, hortamur te in Domino vehementer ut, quae in iisdem auctoritate nostrâ per memoratam Congregationem declarata decretaque sunt, sedulo et constanter exequaris.

Quod autem ad difficultates attinet, quibus te in pastorali officio gerendo premi significas, cave, ven. frater, ne illas expavescas propriis quasi viribus superandas, « quum (ut verbis utamur S. Leonis M.) et consilium nostrum et fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus. » Age itaque, implorato humilibus assiduisque precibus omnipotenti eiusdem Domini Redemptoris nostri praesidio, in opus incumbe ministerii tui, atque in mediis laboribus, quibus te defungi oportebit, immarcescibilem recogita gloriae coronam tibi ab eodem pastorum Principe reddendam in caelis. Nos interea te, ven. frater, et creditum vigilantiae tuae Armenum clerum populumque fidelem effuso caritatis studio complectimur, eiusque pignus adiungimus apostolicam benedictionem; quam communem quidem illis omnibus esse volumus, sed singularem ac praecipuum in modum fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVII. iulii MDCCCXXXIII., pontific. nostri anno III.

LVIII.

Privilegia concessa confraternitati beatae Mariae Virginis de Mercede in templo Deiparae Puerperae dicato civitatis Fluminis Ianuarii.

IV. Instrumentorum, de quibus loqueris, in missa, sonitus a nemine improbatur. Sacrae tamen Congregationi valde displicet, quod cantores haereticos ad choros admittis: quae res neque catholicam fidem neque tui ipsius dignitatem decet.

V. Armenorum veneratio erga oblata (id est materiam Eucharistiae conficiendae praeparatam) praematura videtur atque intempestiva, ceteroquin diversarum gentium consuetudines tolerandae saepe sunt; praesertim quia populus satis novit oblata illa nondum esse consecrata; ideoque periculum falsi cultus abest.

VI. Nihil obstat quominus in templo populus pacem invicem impertiatur; quandoquidem viros seorsum a mulieribus id facere affirmas.

VII. Sacra laicorum sub utraque specie communio, propter usum inveteratum, non interdicitur. Verum tamen modus, quem narras, mergendi SS. hostiam in calicem, et mox eam manu sacerdotali in os populi ingerendi, cave admodum ne cui periculo obnoxius sit. Quod autem ais de benedicendo cum SS. hostia populo, recte se habet. Attamen eulogiae rectius post missam, quam in sacerdotis communione, distribuentur; ne forte symbolum cum vera re confundatur.

VIII. Sane constat, Eucharistiam aeque posse adorari per dorsi et capitis inclinationem, quam per genuum flexionem. Quamobrem nihil obstat quominus in missa sollemni priorem illam consuetudinem usurpetis. Signum item crucis in eadem missa pro vestro more adhibete.

IX. De clericorum armenorum coniugio nihil interloqui sacra vult Congregatio. Causa tamen, quam dicis quod orientales homines, praesertim mulieres, nolunt nisi uxoratis sacerdotibus confiteri, haud satis nobis persuadetur: neque oportet ob hanc vel alias causas frivolas sacri caelibatus laudem utilitatemque minuere.

X. Si quotidianus canendi in templo psalmos usus apud schismaticos necessarius creditur, cavendum est ne catholicum templum quotidiano choro cum heterodoxorum scandalo careat. Quare tuos sacerdotes vel in duas vel in plures partes posses distribuere, ut alternatim et successive per dies hebdomadasve canant. Vestes autem chorales pro vestra consuetudine retinete.

XI. Quod ieiunium serotino tempore in pervigilio SS. Natalis et Paschatis per lacticinia solvitis, id sacrae antiquitatis apud vos consuetudini concedendum est.

XII. Ritum, quem ab Ecclesia Romana habetis, benedicendi aquam lustralem, cineres quadragesimales, palmasque paschales, recte retinebitis, propter rei piam utilitatem, et morem apud vos iam communem.

XIII. Quamquam hymni vestri Natale simul Domini et Epiphaniam memorant, haud idcirco coniungendae sunt sollemnitates istae; sed separatis diebus agendae, ut iam supra diximus. Praecursoris tamen festum, si vobis placet, statim post Epiphaniam agite.

XIV. Postremo quod rogas de missarum in festis SS. Vardanensium et SS. Regum introitibus, id pertinet ad latiorem responsionem, quae circa libros liturgicos postea danda erit.

XV. De rituali item quod praecipue rogas paulo post respondebitur.

Haec interim Sacra Congregatio ad amplitudinem tuam scribenda censuit; speratque admodum ea te adamussim exequuturum.

Precor Deum interea, ut amplitudinem tuam diu sospitem ac felicem servet.

Amplitudinis tuae

Datum Romae, ex Aed. Sac. Congregationis de Propaganda Fide, die IV. iulii MDCCCXXXIII.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ad supremum apostolicae dignitatis fastigium, nullis certe nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio evecti, ac propterea in universi dominici gregis salutem omni sacrorum ope procurandam summopere intenti, ut christifideles, in fide stabiles atque fundati, pietatis ac religionis amore inflammati ambulent in viis Domini, eiusque mandata rite diligenterque servent, singulari sane benignitate pias eorum hominum preces excipere solemus, qui in peculiaria quaedam collegia coacti divinum cultum promovere, maiorem Dei gloriam amplificare, atque iis praesertim operibus, quae caritatem vel in Deum vel in proximum praeseferunt, insistere vel maxime student atque gloriantur.

Expositio precum.

§ 2. Exponendum nobis curarunt dilecti filii moderatores, aliique sodalitatis seu confraternitatis, quae a Deipara de Mercede titulum adepta in aede beatae Mariae Virgini Puerperae sacra, ubi proprium habent altare, in civitate Fluminis Ianuarii nunc constituta, se impense cupere eorum sodalitatem tertio beatae Mariae Virginis de Mercede ordini adscribi, eiusque ordinis privilegiis et indultis perfrui, aliaque omnia indulta eidem sodalitati iam antea tributa confirmari, leges seu statuta emendari, altare in aede Deiparae Puerperae sacra apostolico privilegio donari, atque eiusmodi privilegium ad aliud etiam templum protendi, quoties sodalitas ipsa in illud esset transferenda. Quamobrem supplices ad nos confugerunt, ac sollicita prece exorarunt, ut haec omnia eidem sodalitati ex nostra indulgentia tribuere velimus.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur omnes et singulos quibus hae literae favent, peculiari benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, rebus omnibus maturo examine perpensis, ea spe freti, ut sodales ipsi acriori quodam impulsi stimulo, vehementius ad pietatis et religionis studium excitentur atque inflammentur, eorum votis benigne annuendum existimavimus. Itaque plena nostra auctoritate apostolica harum literarum vi sodalitatem seu confraternitatem beatae Mariae Virginis de Mercede in templo Deiparae Puerperae dicato civitatis Fluminis Ianuarii ad sodalitatem tertii Ordinis beatae Mariae Virginis de Mercede evehimus, et omnes eius ordinis indulgentias tum plenarias, tum alias quascumque, et privilegia, honores, indulta quocumque nomine appellanda sodalitati eidem perpetuo conferimus, atque elargimur. Praeterea concedimus atque indulgemus, ut sodalitas ipsa omnibus quibusque indultis et privilegiis frui et uti possit, quibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris iam fuit ea donata, atque iccirco eiusmodi privilegia omnem vim habere declaramus. Praeterea iisdem sodalibus facultatem facimus, cuius vi, quum opus fuerit, ac temporis et rerum ratio postularit, annuente tamen ac approbante ven. fratre Episcopo Fluminis Ianuarii pro tempore, eorum leges seu statuta emendare vel immutare libere et licite possint et valeant. Itemque auctoritate nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi concedimus et indulgemus, ut quandocumque aliquis sacerdos secularis vel cuiusvis ordinis, congregationis et instituti regularis missam defunctorum pro anima cuiuscumque christifidelis, quae Dei in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, commemorata in ecclesia, vel in alia, in quam sodalitas ipsa rite transferri poterit, ad altare eiusmodi sodalitatis celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut eiusdem Domini nostri Iesu Christi ac beatissimae Mariae Virginis, sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Haec concedimus, statuimus, atque indulgemus, decernentes has praesentes literas, et in eis contenta quaecumque quovis praetextu, colore et ingenio de subreptionis vel obreptionis vitio, vel intentionis nostrae aut alio quocumque defectu notari, impugnari, aut in controversiam deduci non posse, sed semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et eorum causa, quae expressa sunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in

praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non, quoties opus fuerit, confraternitatis et ordinis, de quibus habita mentio est, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXIV. iulii MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

LIX.

Confirmat constitutiones instituti sororum Caritatis Dublini.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Inter praeclara, quae saepenumero per Hiberniam allata sunt, religionis amplificandae et animarum salutis procurandae subsidia, illud numerandum iure censemus, quod in consilio continetur a pientissimis Hibernis mulieribus suscepto de societate quadam statuenda, quae sororum caritatis appellaretur, quaeque pauperum utilitati et commodo praesertim spirituali se totam devoveret. Factum idcirco est, ut ubi primum fel. rec. Pius VII. praedecessor noster ab Archiepiscopo Dublinensi Thoma Troy societatis illius canonice erigendae facultatem rogatus est, eiusdem Archiepiscopi commendata sollicitudine, copiam fundationis curandae libenter fuerit impertitus.

Ratio concessionis.

§ 2. Eadem animi benignitate item rec. mem. praedecessores nostri Leo XII. ac Pius VIII. ven. fratris Danielis Murray in praesentiarum Dublinensis Archiepiscopi impensum religionis studium laudaverunt cum pluries de absolvendo quanto citius posset regularum ac constitutionum eiusdem societatis examine Sedem Apostolicam flagitavit. Multo luculentius nos potuimus de memoratae societatis utilitate ac meritis efformare iudicium, longo illo tempore, quo antequam, licet immerentes, ad divi Petri cathedram proveheremur, sacri consilii christiano nomine propagando praefecturam gessimus. In quotidiana enim rerum ad Hiberniae catholicam gentem pertinentium pertractatione, saepissime nobis occasio oblata est, ut persuaderemur animo, societatem illam optime prorsus de religione mereri et dignam omnino esse, quae Sedis Apostolicae benevolentia cumularetur. Huic tam diuturno tot annorum de societatis sororum Charitatis Dublinensis meritis experimento accessit singulare illud virtutis et christianae fortitudinis testimonium, quod religiosissimae feminae instituto illi addictae tota Hibernia Deo gratias referente exhibuerunt, cum teterrimus morbus anno praeterito illam regionem invasit, et in extremum vitae periculum permagnam incolarum copiam adduxit, atque ingentem hominum stragem edidit. Accepimus enim quanta constantia, quantis laboribus mulieres illae nullo mortis ubique impendentis discrimine retardatae opem eo morbo correptis tulerint, omne remedii genus suppeditaverint, morientibus adfuerint, id in primis adnitentes, ut religionis auxilia nemini deessent, et ad divinum tribunal animae peccatis expiatae pervenirent. Quamobrem quod iamdiu statueramus, id sine longiori mora implendum esse decrevimus, ut toties petita constitutionum ac regularum societatis sororum Caritatis Dublinensis confirmatio apostolica auctoritate nostra tribueretur.

Tenor concessionis.

§ 3. De consilio igitur venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum matura etiam consideratione et deliberatione nostra regulas et constitutiones so-

rorum Caritatis Dublini auctoritate apostolica confirmamus, et servandas iubemus. Pientissimas vero mulieres, quae societatem illam constituunt, in Domino hortantes, ut in sancto proposito persistant, atque alacriori semper studio operibus iis fungantur, quae ad proximi salutem prosequendam adeo opportuna sunt, apostolicam benedictionem iisdem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die xxx. augusti MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

LX.

Plaudet laboribus a Praefecto et Missionariis Congregationis Gallicanae SS. Cordium Iesu et Mariae in Insulis Sandwichianis exantlatis, eos hortatur ad pergendum, et Praefecto nunciat, concessisse per S. Congregationem facultates requisitas.

Dilecto filio J. A. Alexio Bachelot presbytero Congregationis SS. Cordium Iesu et Mariae, ac Praefecto Apostolico Missionum Oceaniae Septemtrionalis ab Insulis Sandwichianis ad Aequatorem,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Literas tuas ex altâ Californiâ ad nos scriptas libentissime accepimus, teque cum tuis sodalibus, qui tot aerumnas pro Christi nomine toleravistis, paterno atque amantissimo animo complexi sumus. Vestros autem in Insulis Sandwichianis labores, fidei christianae propagationem, neophytorum virtutem, persecutiones et demum exilium, novosque constantiae vestrae conatus, ut in Insulas illas pedem referatis, ex amplioribus literis quas ad S. C. de Propagandâ Fide misistis, iamdiu cognovimus. Hortamur itaque in Domino, ut coeptam operam strenue prudenterque urgeatis, tenero neophytorum gregi pro viribus subveniatis, et animarum Deique causam nunquam deseratis. Porro facultates, quas a nostrâ auctoritate impertiri tibi tuisque rogas, iampridem vobis per literas S. Congregationis de Propagandâ Fide concessimus. Interim apostolicam benedictionem peramanter tibi tuisque sodalibus impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariae Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. septem. MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

LXI.

Patriarchae Armenorum Ciliciae de rebus eius ecclesiam respicientibus respondet.

Venerabili fratri Gregorio Petro sexto Patriarchae Ciciliae Armenorum,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Gratum nobis accidit officium tuum quo nuper de statu patriarchatus tui diligentes literas perscripsisti, eiusque initia et progressus, praedecessorum tuorum seriem, Episcoporum numerum, sacerdotum et monachorum, alumnorumque coetus varios et occupationes, adversitates etiam et labores recensuisti. Quod autem attinet ad tuas de iurisdictione querelas, iamdiu nos apostolicis literis fines cuique suos et munera demonstravisse putamus. Quare miramur cur adhuc aliqua controversiarum ansa supersit. Ceteroquin prudentia tua et longanimitas ac moderatio molestias omnes paulatim diluet et christianam pacem restituet. Denique laudamus pietatem tuam, qui praescriptas ab hac Sancta Sede regulas in omni liturgia retinere te ac profiteri testaris. Literas vero tuas ac postulationes ad Congregationem Cardinalium de Propaganda Fide transmisimus (1). Nos interim apostolicam tibi peramanter impertimur benedictionem.

Datum Romae, apud S. Petrum kalendis decembris MDCCCXXXIII., pontificatus nostri anno III.

---

(1) S. Cong. responsum ad Patriarchae postulationes in Tabulario Cong. non invenimus.

LXII.

Imminutio festorum in dioecesi Novae Granatae in America Meridionali.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopo et Episcopis aliisque ordinariis praesulibus ditionis Novae Granatae in America Meridionali,

GREGORIUS EPISCOPUS

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Aeterno rerum conditori beneficiorum eius solemnioribus festis et diebus praescriptis dicamus sacramusque memoriam, ne ad humana quaeque negotia animum continenter intendentes illius a quo omne nobis bonum derivat, volumine temporum ingrata subrepat oblivio. Hinc nos qui arcano divinae providentiae consilio totius catholici gregis cura urgemur, omnem curam omnemque sollicitudinem adhibere debemus in praescribendis festis, earumque celebratione, ita tamen ut dum spirituali populorum utilitati prospicimus, temporalibus eorum necessitatibus opportune ac salubriter, pro temporum et locorum ratione, providere curemus.

Expositio precum. § 2. Expositum nobis nuper est eorum nomine, qui summam imperii tenent in ditione, quam vocant Novam Granatam in America Meridionali, ex multiplici dierum festorum numero incommoda quamplurima, ne dum in rerum temporalium detrimentum, sed in ipsarum fidelium animarum perniciem exoriri. Immensa enim illius regionis amplitudo et parvus incolarum numerus efficiunt, ut maior agricolarum pars in peramplis latifundiis dispersa a civitatibus et oppidis, ubi ecclesiae reperiuntur parochiales, distet quam maxime, et nonnulli ex iis, in quibus fides languescit, ab itineris difficultate distracti ad ecclesiam nequaquam pergant, diesque festos absumant in comessationibus, in impudicitiis et in iurgiis, e quibus aliquando emergunt etiam homicidia; caeteri vero fide ferventes, ut festivitates iuxta Ecclesiae praecepta sanctificent, dies impendunt integros in itinere. Quare quum breve ipsis pro agris colendis interdum tempus supersit, terra inculta remanet, et eorum familiae miseriis et aerumnis premuntur. In civitatibus autem et oppidis, ubi commercio et artibus sunt cives addicti, ex nimia festorum frequentia zelus religionis vilescit, otium eos allicit, et iocis, contentionibus, ebrietatibus et luxuriis se devovent, ita ut vel a paucis dies festi iuxta ecclesiasticum praeceptum agantur. Ad perniciosa haec porro scandala et incommoda praecavenda enixis precibus a nobis petiere, ut dierum festorum numerum in dioecesibus praefatae ditionis, quam Novam Granatam appellant, imminuere velimus.

Tenor concessionis. § 3. Nos itaque, rebus omnibus mature perpensis praedecessorum nostrorum ac praesertim fel. rec. Benedicti XIV., Pii VI. Pii VII. et Leonis XII. Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, huiusmodi precibus benigne annuere existimavimus, vehementer in Domino sperantes, hanc ecclesiasticae disciplinae relaxationem salutare remedium aeternae saluti comparandae et humanae vitae honeste sustentandae allaturam. Omnes ergo et singulos praefatae ditionis incolas peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, venerabilibus fratribus Archiepiscopo et Episcopis, aliisque ordinariis eiusdem ditionis in America Meridionali harum literarum vi committimus et mandamus, ut, si ita se res habent, prout expositae, auctoritate nostra apostolica dies festos in quibus obligatio sacrum audiendi, et a servilibus laboriosisque operibus vacandi iniuncta est, contrahant, et reducant ad sequentes tantum, nimirum ad omnes dies dominicos infra annum, ad dies festos Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, sacratissimi Corporis Christi et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi; ad quinque festa beatae Virginis Mariae nempe Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, ac demum ad festa sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum. Dies autem dicatus sanctis patronis uniuscuiusque provinciae, aut civitatis, vel oppidi transferatur ad diem dominicam proxime sequentem, nisi contingat in una ex enunciatis festis diebus ut supra servatis. In die vero S. Iosepho beatae Mariae Virginis sponso sacra adim-

pleto per fideles praecepto audiendi sacrosanctum missae sacrificium liceat laboribus servilibusque operibus incumbere.

Lenes concessio adiectae.

§ 4. In caeteris autem festis diebus quibuscumque sive ab hac Apostolica Sede praeceptis, sive a synodis provincialibus, aut dioecesanis, sive a consuetudinibus vel alia quacumque causa praescriptis, christifideles ab obligatione sive sacrum tantum audiendi, sive a servilibus operibus abstinendi ipsi venerabiles fratres aliiqui ordinarii praesules adimant, ademptosque pro eorum prudentia et conscientia declarent. Volumus praeterea, ut praefati antistites eadem apostolica auctoritate omnes incolas absolvant ab obligatione, si qua ea sit, ieiunandi in pervigiliis dierum festorum, sic ut supra ablatorum, adiecta vero lege hanc ieiunii obligationem transferendi in singulas sextas ferias et sabbatos adventus Domini nostri Iesu Christi, in quibus tamen ipsis vesci liceat lacticiniis et ovis.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Haec concedimus atque mandamus, declarantes ex hac dierum festorum imminutione nihil innovatum censeri circa ea omnia, quae respiciunt sacram liturgiam in ecclesiis servandam, ac propterea in memoratis diebus tum servitium chori, tum missarum celebrationes, atque aliae ecclesiasticae functiones ut antea erunt peragendae; itemque decernentes hasce literas vim omnem habere.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac praesertim constitutione sanctae memoriae Urbani PP. VIII. praedecessoris nostri, quae incipit *Universa,* nec non ditionis praefatae eiusque dioecesium etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque speciali mentione dignis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXXI. ian. MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno III.

LXIII.

Imminutio festorum in variis dioecesibus Americae Meridionalis.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Etsi praeceptum de observatione festorum frequenter in lege reperiatur, ut homo id diligenter observet et veram requiem adipisci laboret, nihilotamen minus Romani Pontifices praedecessores nostri, et nos ipsi, qui nunc in terris vicariam Christi gerimus operam, iustis gravibusque causis adducti illud ipsum temperari opportunum aliquando censemus. Ea enim, quae ad maius divini cultus incrementum praescripta sunt, quum per frigescentem in cordibus caritatem ad otium luxuriamque convertantur, aut ex rerum ad vitam sibi comparandam inopia non sine conscientiae stimulo praetermittantur, satius profecto esse ducimus in sanctificandis diebus festis novum ordinem praescribere, vel iamdiu susceptum aliqua ex parte immutare, ut pro re et tempore, pro locorum ac populorum conditione, quantum fieri potest, spirituali animarum bono et civili gentium commodo consulamus.

Expositio precum.

§ 2. Qui summam imperii tenent in ditionibus S. Ioannis de Cuyo, Mendozae et Sancti Aloisii de la Punta in America Meridionali, exponendum curarunt venerabili fratri Justo de Sancta Maria Episcopo Thaumacensi, atque illis in provinciis Vicario apostolica auctoritate designato, ex pluralitate festorum gravia ibidem in religionem et rem privatam ac publicam redundare incommoda. Incolae siquidem ob regionum amplitudinem et ecclesiarum distantiam dies integros terere compelluntur, ut festa sanctificent; nonnulli autem capta occasione crapulis et ebrietatibus se devovent, adeo ut vix ipsis supersint tres ex quinque partibus dierum anni, quibus operi manuum sua-

rum incumbant. Reliqui vero dies labori dicati non parum imminuuntur ob pluvias, gelu et alias aeris tempestates, a quibus in neutro ex quatuor anni temporibus illa coeli temperies eximitur. Hinc accidit, ut in peramplis illis regionibus, ubi pauci consistunt habitatores, agri summa fertilitate ditati nec serantur, neque colantur, ideoque incolae inopia premantur. Cum enim in hisce provinciis nullum sit commercium, nulla artium exercitatio, in id omne studium adhibendum, ut agrorum cultura augeatur. Quoniam vero ad hanc assequendam valde proficua et privatae et publicae rei dierum festorum videtur imminutio, ii propterea qui in praefatis ditionibus dominantur ad ipsum apostolicum vicarium confugerunt, ut a nobis aequabilem obtineret festorum reductionem. Quibus quidem rationum momentis ille permotus, supplici cum prece a nobis postulavit, ut in hisce quemadmodum in aliis provinciis dierum festorum imminutionem benigne elargiri velimus.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur, qui christifidelibus quantum cum Domino possumus salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam et humanam vitam honeste sustentandam afferre, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, rebus omnibus matura deliberatione perpensis, ac fel. rec. Benedicti XIV., Pii VI., Pii VII. ac Leonis XII. praedecessorum nostrorum exemplis praesertim inhaerentes, ex dilecti filii sacrae Congregationis negotiis consistorialibus propositae secretarii relatu, eiusmodi postulationibus obsecundare statuimus. Quare de apostolicae potestatis plenitudine, ipsi venerabili fratri Iusto de Sancta Maria in commemoratis provinciis S. Ioannis de Cuyo, Mendozae et S. Aloisii de la Punta in America Meridionali Vicario Apostolico facultates necessarias et opportunas tribuimus, quarum vi, si ita se res habent, prout expositae, dies festos illis in provinciis praescriptos libere et licite imminuere et reducere possit, ad eos qui sequuntur, nimirum ad omnes dies dominicos totius anni, ad quinque festa Domini nostri Iesu Christi, nempe Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi et Nativitatis, ac praeterea ad quinque festa Beatissimae Virginis Mariae, videlicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis; nec non ad dies festos Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Commemorationis omnium sanctorum et S. Rosae de Lima et sancti patroni uniuscuiusque provinciae aut civitatis vel oppidi. Exceptis autem his festis sic enumeratis, ac insuper die S. Iosepho Beatae Mariae Virginis sponso dicata, in qua fideles teneantur audire tantum sacrosanctum missae sacrificium ac postea servilibus operibus vacare possint, caeteros dies festos quoscumque, sive a summis Pontificibus, sive a synodis generalibus, provincialibus, aut dioecesanis, sive a consuetudinibus, vel alia quavis causa praescriptos idem venerabilis frater adimat, ademptosque declaret, ita ut christifideles omnes ab onere sive sacrum dumtaxat audiendi, sive etiam a laboriosis operibus abstinendi in his diebus immunes omnino sint, ac censeantur.

Conditiones adiectae.

§ 4. Mandamus insuper ipsi venerabili fratri, ut in pervigiliis dierum festorum, quos ut supra abrogavimus, omnes illarum provinciarum habitatores a lege tum ieiunandi, tum abstinendi ab esu ciborum vetitorum omnino solvat, ieiunii vero onus in singulas transferat ferias sextas et sabbatha adventus Domini nostri Iesu Christi occurrentia; in quibus tamen diebus lacticiniorum et ovorum usum permittimus. Volumus demum, ut in iis omnibus quae ad sacram liturgiam in ecclesiis servandam pertinent, nihil profecto sit innovatum; proptereaque servitium chori, missarum celebrationes, aliaeque ecclesiasticae functiones peragi plane debeant, ac si nulla impertita fuerit dierum festorum reductio.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Haec concedimus atque indulgemus; decernentes hasce literas semper firmas, validas ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac

irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus rec. mem. Urbani VIII. pariter praedecessoris nostri, quae incipit *Universa*, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non provinciarum et locorum, de quibus habita est mentio, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXV. feb. MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

LXIV.

Aucto in Tunetanâ missione fidelium numero, illuc mittit Visitatorem Apostolicum fr. Angelum de Planella Ord. Min. Capuccinorum, ut inquirat, non solum an numerus missionariorum sit augendus, sed etiam an missionariis novae praescribendae sint regulae, quas si ipse ferat, statim illi observare teneantur, donec S. Congregatio de iis aliter iudicaverit.

Dilecto filio Iosepho Angelo de Planella fratri Ord. Minorum S. Francisci Capuccinorum,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

In sublimi Principis Apostolorum Cathedrâ nullis certe nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio collocati, ac propterea gravissimâ universi dominici gregis pascendi atque regendi solicitudine continenter districti, omni quidem vigilantiâ et curâ eo vel maxime spectare solemus, ut christifideles divini praesertim verbi praeconio diligenter instructi in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam assequendam salutem omni ope et operâ adiuventur.

§ 1. Cum itaque catholicorum numerus in Tunetanâ missione, quae dilectis filiis FF. Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum concredita, divinâ favente gratiâ sit auctus, opportunum existimavimus, ea omnia quae ad eamdem missionem pertinent, diligenter inquirere, ut non solum Tuneti catholicis vel alibi in eiusdem missionis districtu degentibus missionariorum copia minime desit, quorum operâ fideles illi in viis Domini ambulent, verum etiam ut nonnullae, si forte necesse fuerit, regulae a missionis Praefecto et missionariis servandae statuantur, quarum usu in excolendâ eâ vineae Domini parte eorumdem opera utiliter evadat. Ad haec igitur commoda bene obtinenda plurimum conferre censuimus de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, aliquem virum pietate, doctrinâ, prudentiâ, catholicae Religionis zelo, et animarum salutis studio spectatum Tunetum mittere, qui Visitatoris Apostolici munere fungens, res omnes ad illam missionem pertinentes diligenter prudenterque inquirat, et ea peragenda curet, quae missionis eiusdem bonum magis magisque augere posse videntur.

§ 2. Quamobrem probe noscentes, te iam in Rhetiae missionis directione et gubernio eximia prudentiae, zeli et evangelicae caritatis documenta dedisse, huiusmodi munus, de eorumdem venn. fratrum nostrorum consilio, tibi committendum censuimus, eâ profecto spe freti, ut rite scienterque ea omnia perficienda cures, quae Tunetanae missionis bonum atque utilitas requirunt. Itaque hisce literis auctoritate nostrâ apostolica te in Tunetanae missionis Visitatorem Apostolicum nominamus, eligimus et deputamus. Quocirca omnes et singulas opportunas ac necessarias facultates tibi concedimus et impertimur, quibus alii Visitatores Apostolici uti et frui possunt, ut huiusmodi munere cumulate perfungi, resque omnes prospere feliciterque ad optatum exitum perducere possis. Tuae vero prudentiae et curae erit diligenter inspicere, si qui

sint abusus, eosdemque tollere, et servitium a missionis Praefecto et missionariis praestandum, quoties opus fuerit, novis etiam propositis regulis, quas regulas plenarium effectum habere iubemus, donec iidem venn. fratres nostri S. R. E. Cardinales negotiis Propagandae Fidei praepositi iudicaverint, quid super iis in posterum sit servandum. Volumus enim ut tuae Visitationis acta ad eamdem Congregationem de Propagandâ Fide mittas, eamque omnibus de rebus vel diligentissime certiorem facias.

§ 3. Praecipimus propterea atque mandamus omnibus illis religiosis viris Tunetanae missionis aliisque, quibus praecipi opus est, ut in virtute s. obedientiae te in Tunetanae missionis Visitatorem Apostolicum agnoscant, tibique in omnibus, quae ad eiusmodi pertinent munus, obsequio huic Apostolicae Sedi debito diligenter pareant, tuisque monitis atque mandatis obediant, sublatâ cuilibet ex superioribus eiusdem Tunetanae missionis potestate, quidpiam per se vel per alios sive scriptis sive voce mandandi, consulendi, decernendi, quod retardare, vel imminuere vel quovis modo directe aut indirecte tenuare possit huius Apostolicae Visitationis effectum et exequutionem, alioquin sententiam seu poenam, quam rite tuleris in rebelles seu statueris, ratam habebimus, et faciemus vi apostolicae nostrae auctoritatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XIV. martii MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

LXV.

Vicarium Ap. Calcuttae constituit immediate a S. Sede dependentem, cui gubernium committit Calcuttae eiusque politicae praefecturae, exceptis regionibus subiectis Vic. Ap. Thibetis Avae et Pegu, nulla habita ratione de goano patronatu (1).

Dilecto filio Roberto St. Leger presbytero Societatis Iesu,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§ 1. Latissimi terrarum tractus, qui Brittanorum imperio, ipsorumque magnificae societati in India Orientali subsunt, sollicitudinem nostram saepe excitarunt iam inde ab eo tempore, quo venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum Congregationi praeeramus. Deinde vero ad apostolatus apicem, Deo sic disponente, promoti, multo impensius pro nostri muneris gravitate, de catholica religione in praedictis regionibus amplificanda cogitare debuimus. Quum autem inter politicas tres praefecturas, quae ibi constitutae sunt, Calcuttensis et sede supremi gubernatoris, et multitudine magnatum urbium et populorum diversorum numero, praecipua videatur, ad hanc prae caeteris idoneos evangelii praecones mittendos esse cognovimus. Quod dum animo volveremus, literae etiam a catholicis, valdeque piis urbis Calcuttae civibus non semel Romam venerunt, qui nostram et commemoratae Congregationis de Propaganda Fide opem implorabant; nominatim vero expetebant, ut sacerdotes Societatis Iesu, cuius inclytam famam apud se conservatam aiebant, Calcuttae destinaremus.

Tenor concessionis.

§ 2. His ergo catholicorum votis libenter occurrentes, nostrique apostolatus officio pro viribus defungentes, de eorumdem venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio generali Societatis Iesu praeposito mandavimus, ut selectum suorum numerum missioni huic exhiberet, quos inter te, dilecte fili, religiosa virtute doctrinaque praestans nobis obtulit. Quamobrem te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes; teque Vicarii apostolici appellatione et munere insignire voluimus, traditis tibi ob id officium fructuosius obeundum (quod Apostolicae tan-

(1) Vide infra *Commissi nobis*.

tum Sedi subiectum decernimus) facultatibus satis amplis, quae de plenitudine nostrae potestatis manant, ut in populosa Calcuttae urbe eiusque politica praefectura Catholicam religionem sustentes et amplies; exceptis iis tantummodo locis quos ven. frater Antoninus Pozzonius Episcopus Esbonensis noster in missione Thibetana Vicarius Apostolicus vel per se, vel per missionarios suos ex Ordine Cappuccinorum iamdiu administrat; itemque locis, qui venerabili fratri Friderico Cao Episcopo Zamensi nostro in regnis Avae et Pegu Vicario Apostolico obtemperant; ad quos praedictorum vicariorum loco te nonnisi de eorum licentia curas tuas extendere volumus: age itaque, dilecte fili, Dei omnipotenti praesidio confidens, et prisca Societatis tuae exempla prae oculis habens, praecipue vero Sancti Francisci Xaverii labores aemulans, perge ad oblatam tibi messem cum tuis sodalibus, quibus auxilii causa duos quoque Collegii Urbani de Propaganda Fide alumnos bonae spei iuvenes, bonisque institutis imbutos adiungendos curavimus, eosque auctoritati tuae in spiritualibus parere monuimus.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Pisct. die XVIII. aprilis MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

LXVI.

Episcoporum Concilii II. provincialis Baltimorensis, qui eius acta et decreta miserant, zelum et obsequium erga Sedem Apostolicam laudibus effert, eosque ad maiora semper incrementa ecclesiis suis afferenda excitat (1).

Venn. fratribus Iacobo Archiepiscopo Baltimorensi et eius suffraganeis,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Perlatae dudum ad nos fuerant epistolae vestrae una cum decretis Concilii pro-

---

(1) Acta Concil. II. Baltimor. Vide *Collect. Lacen.* vol. III., pag. 37. Lit. ap. quibus dioecesium Americae Septemtrionalis limites definiuntur vide *Ex debito.* Hic referre expedire credimus lit. S. Cong. et decretum eiusdem pro methodo servanda in Episcoporum electione.

EPISTOLA

Sacrae Congregationis de Propaganda Fide

DE SYNODI II. BALTIMORENSIS PROVINCIALIS CONFIRMATIONE.

Illme. ac Rme. Domine.

Perspicuum novumque amplitudo tua et Episcopi Foederatae Americae dioecesum ediderunt testimonium singularis quo praestant erga religionem amoris, alterum provinciale Concilium praeterito mense octobri Baltimori celebrando. Ea enim omnia quae ibi gesta ac statuta sunt, ex studio profecta esse intelliguntur, quo omnes incensi estis Ecclesiae utilitatis procurandae. SSm̃us Dñus noster Gregorius PP. XVI. scriptis a se ad vos litteris suis, quas huic Epistolae adiectas reperietis, id auctoritate sua testatum voluit. Nunc meum est Sacrae Congregationis nomine ad vos scribere et vestrae virtuti iterum ex animo gratulari, et eos observantiae sensus confirmare, quibus vos omnes de religione optime meritos iure prosequimur.

Venio autem ad ea, quae in Concilio illo pertractata, et Sedis Apostolicae iudicio a vobis subiecta sunt. Equidem arbitror iam ad amplitudinem tuam pervenisse S. Congregationis epistolam die XVII. maii scriptam, qua Brevia Apostolica continebantur de Sedis Episcopalis Vincennopolitanae erectione, deque R. P. D. Simonis Bruté ad illum episcopatum electione.

His litteris nunc adiectam accipies SSm̃i D. N. Gregorii PP. XVI. Bullam Apostolicam, qua dioecesum omnium in America Foederata existentium limites statuuntur. Ita omnis dubiorum occasio circa iurisdictionem a singulis Episcopis exercendam penitus auferetur.

Quod pertinet ad spiritualem curam gerendam missionum ad Indos, qui extra provincias foederatas et territoria iam designata, atque omnium quae hactenus erectae sunt dioecesum limites ex civilis potestatis auctoritate constitui debent, placuit S. Congregationi patribus Societatis Iesu tale negotium esse committendum. Ita quoque placuit nigrorum hominum qui ex istis regionibus in *Liberiam* Africae Coloniam migrant, spiritualem curam eidem Societati Iesu commendandam esse. Egimus utraque de re cum Rm̃o P. Societatis Iesu generali ministro, certumque habemus PP. Societatis omnem operam daturos esse, ut vestra, et S. Congregationis vota felicem exitum consequantur.

De methodo servanda in istarum dioecesum Episcopis eligendis, mitto ad amplitudinem tuam Decretum Sacrae Congregationis iussu et auctoritate editum. Curabis ut ad singulos Foederatae Americae Episcopos eiusdem decreti exemplar mittatur, ut omnes in tam gravi negotio normam tenendam agnoscant.

Denique, ut par erat, amplissimis laudibus Sacra Congregatio prosequuta est initum amplitudine tua et Episcopis collegis tuis consilium de nova facienda Ritualis Romani editione, deque libris componendis qui ad institutiones philosophicas et theologicas tradendas in scholis adhibeautur. Erit vero S. Congregationi gratissimum tum Ritualis, tum librorum de quibus sermo est, exemplar, postquam editum fuerit, recipere.

Praecipua haec sunt, quae circa ecclesiastica negotia in Concilio Baltimorensi provinciali secundo pertractata S. Congregationis nomine tibi, ceterisque Episcopis collegis tuis significare debebam. Reliquum est, ut amplitudini tuae, ac memoratis RR. PP. DD. Episcopis Americae Foederatae fausta omnia preces, et D. O. M. exorem ut ad Ecclesiae

vincialis proximo anno a vobis celebrati, quae auctoritati nostrae apostolicae obsequentissimo, ut par erat, animo subiecistis. Haec omnia expensa, nobis iubentibus, sunt a nostrâ Propagandae Fidei Congregatione, quae opportunum vobis dabit circa illa responsum. Accipietis simul apostolicas nostras literas super nonnullis eorum, quae statuistis seu postulastis. Verum et voluimus nostrum erga vos studiosissimum animum hac item epistolâ declarare. Siquidem ex memoratâ Synodo, atque ex iis, quae ad nos hac occasione scripsistis, mirifice confirmata

---

utilitatem vos omnes diu incolumes ac felicem servet.

Amplitudinis tuae

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die XXVI. iulii MDCCCXXXIV.

Ad officia paratissimus
CAROLUS MARIA Episcopus Praenestinus
S. R. E. Cardinalis Praefectus.

Angelus Majus a Secretis.

De methodo servanda in Episcoporum dioecesium Foederatarum Americae Septemtrionalis provinciarum electione.

DECRETUM

Sacrae Congregationis generalis de Prop. Fide habitae die XVIII. *martii* MDCCCXXXIV.

Cum ad religionis incrementum in Foederatae Americae regionibus stabilius procurandum in primis conferat, ut Episcoporum dioecesum ibi statutarum electionis gravissimum negotium rite sancteque absolvatur, S. Congregatio de Propaganda Fide valde opportunum esse ad hoc consequendum existimans, ut certa methodus ubique in illis dioecesibus servanda statuatur, qua fiat ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit meritorum sacerdotum, pro quibus commendationes afferuntur, in generali conventu die XVIII. martii anno MDCCCXXXIV. habito, referente Emo et Rmo D. J. Antonio S. R. E. Cardinali Sala censuit ac decrevit in ea re esse servanda quae sequuntur.

Cum aliqua Sedes Episcopalis vacaverit, requirendum est Episcoporum omnium provinciae ecclesiasticae suffragium de sacerdotibus singulis, qui Sedi Apostolicae commendandi esse videntur pro nova Episcopi electione. Quoniam vero id in Concilio provinciali facillime et accurate fieri potest, si intra tres menses ab obitu Episcopi Concilium provinciale habendum est, expectanda erit Concilii celebratio antequam ad commendandos sacerdotes qui episcopatu digni censentur, ad S. Congregationem scribatur. In Concilio autem, collatis inter se sententiis, Episcopi statuant, quos sacerdotes S. Sedi commendent vere idoneos, et de Ecclesia benemeritos, qui sedes vacantes obtineant, vel coadiutoris officium suscipiant illius Episcopi qui auxilio coadiutoris indigere censeatur.

Quod spectat vero ad casus quibus, prout superius statutum est, Concilii provincialis celebratio non ita proxima sit, ne Sedes Episcopalis aliqua diu vacet, primum hoc magnopere opportunum factu est, ut singuli Episcopi literas subscriptas et sigillo munitas duplici exemplo apud se habeant, quibus contineantur nomina trium saltem sacerdotum quos idoneos arbitrentur ad diaecesim regendam. Eae autem literae ita exterius obsignari debent, ut, adveniente Episcopi morte, Vicario Generali tradendae esse intelligantur: Vicarius vero Generalis alterum earum literarum exemplum ad Archiepiscopum, alterum ad propinquiorem vel ad seniorem ex duobus Episcopis propinquioribus deferendum curet. Eo literarum exemplo accepto Episcopus propinquior ad Archiepiscopum scribet, suasque animadversiones adiiciet. Epistola Episcopi propinquioris ad Archiepiscopum delata, vel si neglexerit is scribere, rationabili elapso temporis spatio, Archiepiscopus ad omnes Episcopos ne propinquiori quidem excepto scribet, et nomina illa cum suis animadversionibus communicabit, aliorum etiam nominibus additis, si illi quos Episcopus designaverat, Archiepiscopo idonei minime videantur. Post acceptas Archiepiscopi literas, omnes Episcopi ad S. Congregationem sine mora scribent suas sententias, et suffragia de tribus illis vel sex commendatis expostituri. Vacante Sede Metropolitana literae Archiepiscopi demortui, nomina trium sacerdotum designator. a Vicario Generali ad Episcopum propinquiorem et ad suffraganeum Episcopum seniorem mittendae sunt: Episcopus autem senior suffraganeus faciet ea omnia quae de Archiepiscopo superius statuta sunt ubi agitur de Episcopi electione.

Quod si apud Episcopum vel Archiepiscopum demortuum literae memoratae ad trium sacerdotum designationem non reperiantur, Vicarius Generalis Episcopum propinquiorem, vel seniorem ex duabus propinquioribus, de ea re certiorem statim faciet, ut Episcopus propinquior tria designet sacerdotum nomina in epistola ad Archiepiscopum mittenda: Archiepiscopus ea accepta ad omnes Episcopos scribet, et ea omnia fient, quae iam indicata sunt circa agendi rationem tenendam, ubi literae Episcopi aut Archiepiscopi sacerdotum nomina ante mortem designata fuerint repertae, si Episcopus propinquior ad Archiepiscopum scribere neglexerit, Archiepiscopus ipse tria nomina sacerdotum suffraganeis omnibus, propinquiori non excepto, designabit. Si agatur de Archiepiscopi electione, senior Episcopus suffraganeus faciet omnia quae in Episcopi electione ab Archiepiscopo facienda esse decretum est. Quod pertinet ad electionem coadiutorum, excepto casu, quo Sedes Apostolica alia ratione agendum esse statuerit, Episcopus qui coadiutorem petit, nomina trium sacerdotum Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis significabit; supplicem libellum de ea re ad S. Congregationem mittet, et Archiepiscopus et Episcopi S. Congregationi mentem suam de coadiutore eligendo communicabunt.

Haec sunt quae in commendandis Sedi Apostolicae sacerdotibus pro Foederatae Americae episcoporum electione S. Congregatio servanda praescripsit. Ea vero decernens notum omnibus esse voluit, in literis de hac pertractantibus ad S. Sedem transmittendis nihil inveniri debere, quod electionem, nominationem, postulationem innuat, sed proprie dictam commendationem, ut etiam ex literarum forma pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi aliquem ex commendatis: salva enim manere debet et illaesa Sedis Apostolicae libertas in eligendis Episcopis: commendationes vero lumen tantum et cognitionem S. Congregationi, non autem obligationem afferent.

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die XIV. iunii MDCCCXXXIV.

Ad officia paratissimus
CAROLUS MARIA Episcopus Praenestinus
S. R. E. Cardinalis Praefectus.

Angelus Majus a Secretis.

est quae de vestro pro Dei honore animarumque salute spectatissimo zelo, et singulari erga communem omnium Ecclesiarum matrem ac magistram Romanam Sedem obsequio, nobis iamdiu insita erat existimatio; eoque ipso auctam in nobis sensimus caritatem illam, qua fraternitates vestras effuse in Domino prosequebamur. Pergite itaque, ut facitis, ven. fratres; et quoniam iustorum semita crescit usque ad perfectam diem, urgete alacriori quotidie sedulitate saluberrimam talentorum negotiationem, quae est de animabus Christo lucrandis; vigilate super creditas vobis dominicae vineae partes, plantate, rigate in spe ac patientià; nihil quidem vestris tribuentes viribus, sed omnia ad eius gloriam referentes, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bonâ voluntate. Ita de fructu pastoralis curae in multorum salutem amplificato gaudebitis ac per bona opera certam vestram vocationem et electionem facientes, uberrimam accipietis in aeternitate mercedem. Ad nos quod attinet, persuasum habetote, venn. fratres, auctoritatem et studia nostra nunquam, quantum cum Domino poterimus, esse vobis defutura. Ac fraternitatibus vestris novam semper virtutem ex alto implorantes, pignus nostrae praecipuae benevolentiae apostolicam benedictionem, cum creditis etiam fidei vestrae ovibus communicandam, peramenter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXIII. aprilis MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

LXVII.

Confirmat erectionem vicariatus apostolici Madraspatani (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi non leve sane totius gregis dominici onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile ad pascua coelestia vocari valeant, feliciterque perduci.

Tenor concessionis.

§ 2. Hinc cum diligenti instituta rerum ad Madraspatanam fratrum Ordinis minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum missionem pertinentium inquisitione necesse omnino esse intellexerimus ea decernere quibus ad rectum ordinem ea missio perducatur, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio in eam venimus sententiam, ut in eadem missione vicariatus apostolicus statuatur, cuius Vicarius Apostolicus praeter spiritualem iurisdictionem, temporalia etiam iura eorumdem fratrum Cappuccinorum missionis propria ineat. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine harum literarum vi in missione Madraspatana vicariatum apostolicum constituimus, itemque praecipimus, ut Vicarius Apostolicus inibi constituendus non solum iurisdictionem omnem spiritualem habeat per loca omnia Madraspatanae missioni subiecta, sed etiam temporalia omnia iura, possessiones, hospitia, ecclesias quae hactenus dictorum fratrum Cappuccinorum missionis propria erant, eiusdem sacrae Congregationis nomine in eius transeant potestatem.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 3. Haec volumus atque mandamus, decernentes hasce nostras literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, Sedisque apostolicae Nuncios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et or-

(1) Vide supra *Pastorale officium*.

dinationibus apostolicis, caeterisque etiam speciali et expressa mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXV. aprilis MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

LXVIII.

Erigit episcopatum Vincennopolitanum in India in foederatis Americae septemtrionalis provinciis Archiepiscopi Balthimorensis suffraganeum.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. § 1. Maximas inter gravissimasque curas ac sollicitudines, quibus in universa Ecclesia nobis divinitus concredita regenda ac moderanda continenter distinemur et angimur, illa profecto in primis nostrum animum solet urgere, quae dioecesium omnium per totum terrarum orbem respicit statum. Supremae enim nostrae pietatis, nostrique iudicii est illam constituere, earumque limites praefinire vel immutare, prout rerum ac temporum ratio, et spirituale praesertim christifidelium bonum et commodum, postulare videatur.

Ratio concessionis. § 2. Quum itaque ex communi venerabilium fratrum Americae septemtrionalis Episcoporum suffragio constiterit opportunum omnino esse ad religionem catholicam in statu vel provincia Indiana confirmandam atque amplificandam episcopatum erigere et constituere, cuius sedes sit Vincennopolis, certis quibusdam limitibus circumscriptum; nos rem tanti momenti Congregationi venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum examinandam commisimus. Rebus itaque omnibus maturo examine perpensis et habita praesertim ratione spiritualis boni, quod in populis earum regionum redundat, de eorumdem fratrum sententia atque consilio eiusdem dioecesis et episcopatus erectionem perutilem esse cognovimus.

Tenor concessionis. § 3. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, in statu vel provincia Indiana in America septemtrionali novum episcopatum, cuius sedes sit Vincennopolis, unde etiam episcopatus eiusdem titulus derivetur, harum literarum vi erigimus atque statuimus. Huiusce autem dioecesis limites erunt provincia Indiana una cum parte Illinois. cuius reliqua pars dioecesi Sancti Ludovici adiungatur; ita quidem ut utriusque dioecesis limites in provincia Illinensi statuantur hoc modo: Incipiendo a flumine Ohio, qui ad meridiem dividit Henluky ab Illinois, et proprie ab castello Massa ducatur linea recta per fines orientales comitatuum Johnson, Francklin, Ifferson, Marion, Fajette, Schelly et Maun usque ad magna fluenta fluminis Illinois, quae sunt ad octo millia passuum supra oppidum Ottawa in comitatu Lasalle, et hic usque ad septemtrionalem provinciae finem, ita ut pars occidentalis provinciae Illinensis pertineat ad dioecesim Sancti Ludovici, pars vero ad orientem spectet ad dioecesim Vincennopolitanam.

§ 4. Decernimus propterea has literas firmas, valdas ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et singula quaeque quemadmodum a nobis praescripta sunt accurate adimpleri; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Clausulae salutares et irritantes.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. maii MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

LXIX.

Dismembratio quatuor paroeciarum ab episcopatu Emeritensi, et unio atque incorporatio perpetua earumdem dioecesi Sanctae Fidei de Bogota in territorio Novae Granatae Americae Meridionalis.

An. C. 1834

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. In eminenti beati Petri principis Apostolorum cathedra nullis nostris suffragantibus meritis collocati, ac veluti e montis vertice dominicum gregem divina miseratione nobis commissum speculantes, pastorale nostrum officium, quod nullis circumscribitur provinciarum regnorumque limitibus, haud satis implevisse arbitraremur, nisi apostolicae sollicitudinis curas ad remotissimas quoque orbis regiones converteremus, ac potestate nobis divinitus tradita nunc novas erigeremus sedes episcopales, nunc sedium iam existentium confinia, prout incremento catholicae religionis ac aedificandis in domo Dei populis salubriter noverimus expedire, provida ratione describeremus atque moderaremur.

Expositio precum.

§ 2. Nuper sane ab iis, qui in territorio Novae Granatae Americae Meridionalis summam tenent imperii, eam esse accepimus illarum dioecesium amplitudinem, qua Episcopi nedum oves sibi concreditas plane agnoscere, ac verbi divini sacramentorumque administratione pascere, sed ipsa etiam loca aliquoties perlustrare impediantur ; quarumdam vero dioecesium fines, qui primitus prudenti forsitan consilio fuerant constituti, ex accessione aliarum regionum, quas duces ad id delecti primi occuparunt, vel suo dein imperio subiecerunt, ita irregulares ac minus accommodatos postea evasisse, ut nulla fluminum, montium, viarumque ratio habita fuisse conspiciatur; ac propterea christifideles ob praegrandem distantiam ab episcopali residentia, quae in extrema interdum posita est provinciae parte, perdifficilem cum proprio Episcopo experiuntur communionem.

Ratio concessionis.

§ 3. Hisce incommodis, unde ad perniciem religionis gravia manant detrimenta, remedium aliquod parare cupientes Romani Pontifices praedecessores nostri eam, quae sese ipsis obtulit, occasionem studiose arripere non omiserunt, ac superiori aevo ex dioecesibus in eodem territorio Novae Granatae positis alias quatuor instituerunt cathedrales ecclesias. Eorumdem quidem praedecessorum nostrorum vestigia sectari, ac tot novos episcopatus, quot spiritualis illorum fidelium exposcit utilitas, erigere, si nobis datum esset, vehementer gratularemur: at opum penuriam rerumque difficultates, quae tunc impedimento extiterunt, quominus sedium episcopalium augeretur numerus, adhuc perseverare probe intelligimus ac graviter dolemus. Nihilominus Novae Granatae christifideles paterno affectu complectentes, eam ipsis interim opem ferre, quam earumdem partium indoles patitur, apostolici nostri ministerii esse censemus.

Incommoda quae a praesenti statu dioecesum promanant exponuntur.

§ 4. Nobis porro expositum fuit ecclesiam Emeritensem in territorio de Benequela nuncupato locatam suam spiritualem extendere iurisdictionem in quatuor amplissimas paroecias de Pamplona, de Sancto Iosepho, de Cucuta, de Limonato, et de Sancto Faustino de los Rios, quarum ecclesiae non minus quam populus intra limites supra memorati territorii Novae Granatae reperiuntur; ex huiusmodi autem regiminum, morum, institutorumque diversitate, et christifidelium distantia a sede episcopali Emeritensi non levia tum religioni, tum spirituali animarum bono obvenire damna.

Tenor concessionis.

§ 5. Nos igitur qui earumdem paroeciarum amplitudinem, earumque distantiam a loco residentiae Episcopi Emeritensis perpendimus, ac meliori, quo in praesens fieri potest, modo populorum cum proprio Episcopo communioni expeditoque regimini consultum fore cognovimus, si illarum paroeciarum dismembrationem ab episcopatu Emeritensi, earumdemque unionem alteri finitimae dioecesi decerneremus, audito etiam nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium voto, motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, defectum consensus eorum quorum interest, supplentes, ab Emeritensi dioecesi quatuor paroecias, ut supra nuncupatas, primam videlicet de Pamplona et aliam de Sancto Iosepho de Cucuta et aliam de Limonato, atque aliam denique de Sancto Faustino de los Rios in territorio Novae Granatae existentes cum omnibus et singulis earumdem adnexis perpetuo dismembramus, dividimus ac separamus, easque a dioecesi et iurisdictione Episcoporum Emeritensium sic disiunctas, avulsas ac separatas, atque in eis consistentes et consistentia ecclesias, monasteria, si quae sint, ac alia quaecumque saecularia

vel regularia beneficia, nec non clerum, populum ac utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos, quam clericos cuiuscumque gradus, ordinis et conditionis existant, dioecesi Sanctae Fidei de Bogota in territorio Novae Granatae Americae Meridionalis perpetuo unimus, coniungimus et incorporamus, eiusque pro tempore existentis Archiepiscopi ordinariae iurisdictioni et auctoritati, salvis tamen exemptionibus, cuilibet de iure legitime competentibus, perpetuo pariter subiicimus atque supponimus.

Deputatio executoris apostolici.

§ 6. Quocirca venerabili fratri Iosepho Antonio Episcopo Calydoniensi in partibus infidelium, et suffraganeo eiusdem Archiepiscopalis Ecclesiae Sanctae Fidei, quem in harum literarum nostrarum executorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes et opportunas ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates, ut ipse per se, vel per alium virum ecclesiastica dignitate insignitum ab eo subdelegandum, praesentes nostras literas ubi et quando opus fuerit, vel quoties ab iis, quorum interest, vel ab aliquo eorum fuerit requisitus solemniter publicet et exequatur, ac omnia et singula in eis contenta faciat auctoritate nostra ab omnibus, ad quos spectat atque pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, atque ut tam ipse, quam persona ab eo subdeleganda super quacumque oppositione in actu exequutionis quomodolibet forsan oritura, servatis tamen servandis, etiam definitive et quavis appellatione remota libere ac licite definire ac pronunciare possit et valeat, contradictores quoslibet ac rebelles per sententias, censuras, poenasque ecclesiasticas, aliaque iuris ac facti remedia compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, plenam et omnimodam facultatem similiter concedimus atque impartimur. Eidem vero Episcopo Calydoniensi praecipimus et mandamus, ut singulorum actorum in praesentium literarum exequutione conficiendorum exemplar authentica forma exaratum intra annum ab expleta ipsarum exequutione ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in archivo congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservari edicimus atque iubemus.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 7. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii quorum interest, aut interesse posset in futurum vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari atque definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus, atque declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, ac nostris et cancellariae apostolicae regulis et in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, supradictarumque Emeritensis ac Sanctae Fidei ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 9. Huiusmodi verum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum in iudicio et extra fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae dismembrationis, divisionis, separationis, unionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo quarto, pridie nonas maii, pontific. nostri anno quarto.

LXX.

Constitutio Vicariatus Apostolici Novae Hollandiae.

Venerabili fratri Ioanni Podling Episcopo Hiero-Caesareensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Pastoralis officii munus nobis ex alto commissum illud vel maxime postulat, ut omni quidem studio et contentione spirituali Christifidelium bono prospiciamus, quo in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam salutem assequendam opportunis praesidiis adiuventur.

Ratio concessionis.

§ 2. Itaque cum maximam ob difficultatem experientia satis comprobatam alicuius utilis communicationis inter novam Hollandiam, cuius spiritualis cura venerabili fratri Episcopo Vicario Apostolico in insula Mauritii demandata fuerat, et ipsam insulam Mauritium, rebus catholicorum magno in numero in praedicta Novae Hollandiae regione, et in proxima insula Diemen commorantium, satis consuli, ut par est, non posse videatur, nisi Vicarius Apostolicus constituatur, qui charactere episcopali insignitus in vastissima illa regione degens praesit rebus ecclesiasticis, nos de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum consilio huiusmodi munus tibi, venerabilis frater, committendum censuimus, quamplurimum in Domino confisi, quod singulari tua doctrina, pietate, prudentia, et catholicae religionis zelo ea omnia cumulate sis expleturus, quae tibi committentur.

Tenor concessionis.

§ 3. Itaque harum literarum vi te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te Novae Hollandiae et adiacentis insulae Diemen Vicarium Apostolicum cum omnibus iuribus et facultatibus ad nostrum et huius Apostolicae Sedis beneplacitum eligimus, constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat et spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompti pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus apostolicis etc. derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die III. iunii MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

LXXI.

Circumscriptio dioecesum in provinciis foederatis Americae Septemtrionalis.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Benedictus Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, nos quidem amaritudinibus undique affici, ac fluctibus sine intermissione iactari permittit, animo tamen despondere non patitur, gaudiisque interdum spiritualibus dignatur cor nostrum reficere ac dilatare, ut alacriores effecti apostolicae sollicitudinis curas ad remotissimas quoque orbis regiones impense conferamus, et quidquid Orthodoxae fidei dilatationi, pastorum tranquillitati, et recto Christifidelium regimini aptius congruere conspicimus, id apostolica qua fungimur auctoritate statuamus et decernamus.

Laetatur Pontifex de felici successu religionis in provinciis foederatis Americae Septemtrionalis.

§ 2. Nobis sane, quo felici successu catholicae religionis negotia in provinciis foederatis Americae Septemtrionalis progrederentur, iam tum plane innotuit, cum in minoribus constituti Congregationi Propagandae Fidei operam nostram prius consultoris officio, dein Cardinalis praefecti munere impenderemus. Postquam vero ineffabili Dei bonitate, nullisque nostris

suffragantibus meritis ad eius vices in terris gerendas, qui gloriosus regnat in coelis, vocati fuimus laetiora etiam et indubia de sacrosanctae catholicae fidei propagatione, deque venerabilium fratrum Episcoporum concordia, studio et cura in pascendis ac regendis ovibus sibi commissis, divinoque cultu augendo nobis allata sunt testimonia. Supramodum itaque laetitia perfundimur, ac Deo optimo maximo bonorum omnium largitori debitas persolvimus gratias, simulque preces supplicationesque nostras effundimus, ut qui coepit opus bonum, ipse perficiat, gaudiumque nostrum reddat plenum.

Expositio precum.

§ 3. Nos interea eorumdem Antistitum postulationibus obsecundare, et Christifidelium utilitati quantum ex alto nobis datum est prospicere volentes, limites dioecesum in memoratis regionibus existentium singillatim describendos putamus, ut catholicae religionis negotia laudabilibus in dies possint proficere incrementis, ac de profectu sanctorum ovium haurientium aquas in gaudio de fontibus Salvatoris fiat corona immarcescibilis pastorum. Etenim ad aures nostras pervenit ex plurium sedium episcopalium erectione haud longo annorum decursu expleta ob magnum, quod accepit Orthodoxa fides in America foederata incrementum vetusta dioecesum confinia evasisse minus accommodata vel incerta, proindeque ad omnem quoque dubitationis et anxietatis tollendam occasionem, quae circa iurisdictionis ecclesiasticae exercitium venerabiles fratres Episcopos, ac dilectos filios presbyteros in illa vineae Domini parte tam naviter ac tam prospere adiuvante Domino laborantes perturbare, et vinculum charitatis, quo in Domino colligantur, obrumpere posset, esse omnino necessarium, ut certi, locorumque conditioni congruentes illarum dioecesum limites per Apostolicam Sedem, quae divinitus super alias omnes ecclesias iurisdictionis obtinet primatum, statuantur et describantur.

Tenor concessionis.

§ 4. Quapropter nos qui rem universam Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum perpendendam commisimus, eorumdem consilio adhaerentes, atque etiam Episcoporum votis in synodo provinciali Balthimorensi mense octobri superioris anni millesimi octingentesimi trigesimi tertii congregatorum annuentes, ex certa scientia, matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine ad omnipotentis Dei gloriam, Deiparae laudem, ac fidei catholicae exaltationem limites dioecesum in America foederata in hunc, qui sequitur, modum assignamus et circumscribimus, eosque ab omnibus perpetuo, ac inviolabiliter servari iubemus atque mandamus, nimirum:

Distributio dioecesum.

§ 5. Archidioecesis Baltimorensis complectetur totam Marylandiae provinciam cum districtu foederali Columbiae.

Archiepiscopus praeterea Balthimorensis episcopalem sedem Richmondensem, donec aliter a S. Sede provideatur, administratoris titulo procurabit, atque haec dioecesis Virginiae provinciam subiectam habebit.

Dioecesis Bostoniensis comprehendet sex provincias, quae vulgo nova Anglia nuncupatur, idest Massachuscts, Maine, New-Stampshire, Rhode-Island, Connecticut, Varmont.

Dioecesis Novi-Eboraci continebit provinciam eiusdem nominis, atque etiam comitatus in provincia New-Jersey existentes scilicet Sussex, Bergen, Morris, Essex, Somerset, Middlesex et Monmouth.

Dioecesis Philadelphiae constabit ex provinciis Pernsylvaniae, et Delaware una cum sequentibus comitatibus in provincia New-Sersy, hoc est Hunterdon, Varren, Burlington, Gloucester, Salem, Cumberland et Cape-May.

Dioecesis Carolinopolitana complectetur provincias Carolinam Meridionalem, Carolinam Septentrionalem et Georgiam.

Dioecesis Mobiliensis efformabitur ex provinciis Alabamae et Floridarum.

Dioecesis Novae Aureliae constituetur ex provinciis Luisianae et Missisipi.

Dioecesis Cincinnatensis continebit Ohio provinciam.

Dioecesis Detroitensis comprehendet territoria Michigan, et Nord-Ovest, seu North Western.

Dioecesis Bardensis habebit provincias Kentuki et Jennessae.

Dioecesis Sancti Ludovici complectetur provinciam Missouri una cum territorio dicto Arkansas, et donec aliud a Sancta Sede statuatur, habebit quoque territorium ad occidentalem plagam fluminis Missisipi.

Dioecesis denique Vincennopolitana comprehendet provinciam Indianae una

cum parte Illinois, cuius reliqua pars dioecesi S. Ludovici adiungetur, ita quidem ut utriusque dioecesis limites in provincia Illinensi statuantur hoc modo. Incipiendo a flumine Ohio, quod ad meridiem dividit Kantukij ab Illinois, et proprie ab castello Massae ducatur linea recta per fines Orientales comitatuum Johuson, Francklin, Jefferson, Marion, Fayette, Shelby et Macon usque ad Magna fluenta fluminis Illinois, quae sunt ad octo millia passuum supra oppidum Ottawa in comitatu Lasalle, et hinc usque ad septemtrionalem provinciae finem, adeo ut pars occidentalis lineae provinciae Illinensis pertineat ad dioecesim Sancti Ludovici, pars vero orientalis ad dioecesim Vincennopolitanam omnino spectet.

Deputatio executoris apostolici.

§ 6. Itaque venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Balthimorensi, quem in praesentium literarum exequutorem eligimus ac deputamus, per apostolica scripta mandamus, ut ipse per se, vel per alios viros ecclesiastica dignitate insignitos ab eo subdelegandos hasce nostras literas ubi et quando opus fuerit, ac quoties ab iis quorum interest, aut ab aliquo eorum fuerit requisitus solemniter publicet, et exequatur, ac omnia et singula in eis contenta faciat auctoritate nostra ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, atque ut tam ipse, quam personae ab eo subdelegandae super quacumque oppositione in actu executionis quomodolibet oritura etiam definitive, et quacumque appellatione remota pronunciare, libere et licite possit atque valeat, contradictores quoslibet, ac rebelles per sententias, censuras, poenasque ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, plenam et omnimodam facultatem concedimus atque largimur. Eidem vero Archiepiscopo Balthimorensi praecipimus ac mandamus ut singulorum actorum in harum literarum executione conficiendorum exemplar authentica forma exaratum intra decem menses ab expleta ipsarum exequutione ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in archivo Congregationis Propagandae Fidei asservari volumus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 7. Praesentes vero literas semper ac perpetuo validas, et efficaces existere et fore, nulloque unquam tempore subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, aliove quovis defectu, etiam ex eo quod ii quorum interest, aut interesse posset in futurum cuiusvis status, ordinis, praeeminentiae ac dignitatis sint, illis non consenserint, aut minime vocati et auditi fuerint, aut ex eo quod solemnitates, ac quaecumque alia forsan servanda, minime servata fuerint, impugnari, aut in controversiam vocari posse, sed tamquam ex pontificiae providentiae officio, ac motu-proprio factas omnimoda firmitate existere, suosque plenarios ac integros effectus sortiri: sicque ab omnibus censeri, ac ita et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi ac interpretandi facultate iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane decernimus atque declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, aliisque cancellariae apostolicae regulis, nec non apostolicis et synodalibus constitutionibus, caeterisque etiam speciali et individua mentione dignis in contrarium praemissorum editis, quibus omnibus hac vice dumtaxat, et ad praemissorum effectum derogamus ac derogatum esse volumus.

Fides habenda transumptis.

§ 9. Huiusmodi autem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eamdem ubique locorum in iudicio, et extra fidem praeberi volumus, quae his praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae circumscriptionis, assignationis, immutationis, concessionis, commissionis, mandati ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis vero hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo quarto, decimo quinto kalendas iulias, pontificatus nostri anno quarto (1).

(1) Vide infra Pium IX. et Leonem XIII.

LXXII.

Constituit Delegatum Apostolicum in novo Graeciae regno (1).

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Pastoralis officii nostri ratio atque universi Domini gregis salus nobis divinitus concredita postulant, ut christianorum in dissitis etiam quibuscumque mundi plagis existentium saluti omni studio prospiciamus.

Ratio concessionis. § 2. Cum itaque pacatas aliquando publicas Graeciae res esse cognoverimus, ac regem cum summa imperii potestate ea in regione fuisse constitutum, attentis peculiaribus loci nationisque adiunctis, ferme impossibile atque inopportunum esse perspeximus iurisdictionem spiritualem, quam hactenus in quibusdam regni locis supra catholicos Latini ritus obtinebant, tam venerabili fratri Vicario Apostolico Constantinopoleos, quam venerabili fratri Episcopo Zacynthi et Cephaloniae exercendam relinquere.

Tenor concessionis. § 3. Quamobrem de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, tum religionis bono, tum illorum fidelium commodo magis opportunum existimavimus in Peloponneso, aliisque continentis in Graeciae plagis, atque in iis insulis, in quibus nullus ex Episcopis in mari Aegaeo existentibus iurisdictionem exercet, aliquem apostolicum delegatum statuere, qui episcopali charactere insignitus, saluti ac necessitatibus spiritualibus catholicorum ubique consulat. Itaque hisce literis auctoritate nostra apostolica iurisdictionem omnem iam commissam in memoratas regni Graeciae plagas tam venerabili fratri Vicario Apostolico patriarchali Constantinopoleos, quam venerabili fratri Episcopo Zacynthi et Cephaloniae omnino revocamus, penitus auferimus ac de medio tollimus, atque eadem auctoritate nostra apostolica te, venerabilis frater, qui Episcopus Syrensis in mari Agaeo existis, ac eximia pietate, doctrina et summa in rebus gerendis prudentia plurimum praestas, pro universis commemoratis iis locis delegatum apostolicum cum omnibus iuribus et facultatibus, quae eiusdem propriae sunt muneris, ad nostrum et huius Apostolicae Sedis beneplacitum tenore praesentium eligimus, constituimus et deputamus.

§ 4. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XIX. augusti MDCCCXXXIV., pontificatus nostri an. IV.

LXXIII.

Praesidi Haitarum Reipublicae nunciat commisisse Episcopo Carolopolitano spiritualem curam totius insulae Haitanae, cum extraordinariis facultatibus:

---

(1) Othoni I. Graeciae regi commendat Episcopum Syrensem Delegatum Apostolicum Graeciae constitutum, cum eoque omnes catholicos.

Carissimo in Christo filio nostro Othoni Graeciae regi illustri,

GREGORIUS PP. XVI.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Nobilissimum Graeciae regnum, cuius ad gubernacula ut regia Maiestas tua admoveretur mirifico divinae providentiae consilio factum est, non exiguum hominum catholicorum numerum tum in Indiis habet tum in locis mediterraneis, quibus ad voluntatem tuam conciliandam, etsi communem cum ipsis religionem et propriam tuam pietatem satis per se valere confidimus, tamen, curâ urgente nos istius partis commissi humilitati nostrae a Christo Domino gregis sui, nostrum omnino esse ducimus, spirituales potissimum eorum necessitates fidei ac patrocinio tuo summopere commendare. Hoc vero apud regiam Maiestatem tuam officio cum omnium catholicorum ditioni tuae subditorum causâ impense fungimur, tum nominatim venn. fratris Aloisii Episcopi Syrensis, quem e quatuor Episcopis, qui in Aegeo mari gregi catholico praesunt, nuper a nobis delectum Delegati Apostolici titulo et auctoritate instruximus, id ei demandantes negotii, ut dispersos variis locis catholicos, qui in iurisdictione non sunt trium illorum Episcoporum, vigilantiâ suâ regat curâque pastorali. Eum igitur tibi, carissime in Christo fili noster, sistimus, utque omni regiae benignitatis tuae studio prosequi velis, te etiam atque etiam rogamus. Vir est pietate praestans, integritate ac fide, denique multarum merito virtutum nobis acceptus, adeo ut quidquid favoris et auxilii ex benevolentiâ regiae Maiestatis tuae ac ministrorum tuorum fuerit consecutus, tanquam pro collato nobismetipsis beneficio gratiam simus maximam habituri. Interim tibi, carissime in Christo fili noster, fausta omnia vereque salutaria quantâ possumus paterni animi contentione precantes a Domino, omnis auspicem gratiae caelestis, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV. augusti MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

rogat ut removeantur impedimenta ex quibusdam legibus posita libero exercitio ecclesiasticae iurisdictionis etc. (1).

Dilecto filio illustri et honorabili viro Ioanni Potro Boyer Haitarum Reipublicae Praesidi,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum de infelici statu graviter angeremur, in quo esse istic res catholicae religionis iamdiu noveramus, nostrum omnino duximus illarum bono quam liceret optima ratione providere: proindeque iam inde a mense maio superioris anni misimus in Rempublicam istam legatione nostra et Sedis Apostolicae instructum ven. fr. Ioannem Episcopum Carolopolitanum, in cuius religione ac fide spes omnis nostra merito fuerat collocata; eique mandavimus, ut per traditas sibi a nobis facultates istius Insulae genti spiritualia bona opportune compararet, atque huiusce rei gratia cum nobilitate tua ageret accuratissime de modo rerum ecclesiasticarum istic ordinandarum. Ex recenti vero Legati eiusdem nostri reditu cum illa omnia penitus confirmata sunt, quae de religionis statu in ista regione iam pridem innotuerant, tum praeterea compertum nobis est, ipsum pleraque ex commissis sibi negotiis ob plures gravesque difficultates interpositas conficere minime potuisse. Ad quae accidit et illud perspectum esse nobilitati ipsi tuae temporibus huiusmodi provideri nequaquam posse ea quae ad rem omnium maximam respiciunt, debitam videlicet hierarchiae ecclesiasticae restitutionem. Dissimulare quidem non possumus quo maiori cura in istam catholici gregis partem afficimur, quoque ipsam egentiorem cernimus ope providentiaque nostra, eo molestius nobis accidisse, quod paterna nostra sollicitudo salutari illo caruerit effectu quem spectabat. Haudquaquam tamen ab inceptis adeo necessariis desistimus, sed susceptam initio voluntatem constantissime retinemus; futurum sperantes, ut optatum curarum nostrarum exitum nihilominus consequamur. Atque huiusmodi spes nostra in eo potissimum nititur, quod de optima voluntate tua nosmetipsos in hoc studio, quoad per te fieri poterit, iuvandi dubitare minime liceat, cum rei huiusce amplissimum nobisque iucundissimum testimonium manifeste prodant litterae tuae, quas ad nos die xxv. februarii proximi dedisti, itemque illa omnia quae ab ipso Carolopolitano Episcopo de te nuper accepimus. Itaque cum nostra maxime intersit subditam isti Reipublicae gentem nulla ex parte destitui iis auxiliis, quae animarum salus et fidelium pietas exposcit, donec religionis negotio istic stabili quadam forma et constitutione provisum sit; statuimus interim committendam eidem Episcopo Carolopolitano spiritualem curam insulae Haitianae locorum omnium quae illius ditione continentur; eique propterea facultates contulimus non modo illas omnes quibus ordinario iure in sua dioecesi potiuntur Episcopi, verum et alias quamplures praeter communem ordinem, et peculiares omnino, quas locorum tum longinquitas, tum necessitas postulet. In id vero curam omnem nostram potissimum intendentes, quod ad negotium respicit sane gravissimum religionis ordinem integre restituendi, illud profecto intelligimus, quod et tibi persuasum esse scimus huic tantae rei nullam posse omnino providentiam adhiberi, nisi ante removeantur impedimenta ex nonnullis istius Reipublicae legibus ecclesiastico iure minime consentaneis profecta, simulque nisi de ecclesiastica iurisdictione libere exercenda cautum sit, clerique indigeni disciplinae prospiciatur per optimam illorum institutionem qui in sortem Domini fuerint vocati, instructis ad hoc seminariis, quae ad normam in canonico iure traditam administrentur: et nisi praeterea clero ipsi certa adsit se sustentandi ratio, pro illius necessitate ac decore comparanda. Quapropter memorato Episcopo Carolopolitano sedulo indiximus, ut inter alia de his omnibus tecum diligenter studioseque pertractet; nobisque dein referat accuratissime singula de quibus nobilitati tuae cum ipso convenerit, ut super iisdem definitiva sententia nostra de more expectetur. Interea cum idem Carolopolitanus Episcoscopus significaverit nobis, studium inesse tibi cleri istius constitutioni, quoad poteris, consulendi, ideoque initum a te

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 158-159.

fuisse consilium mittendi in hanc urbem catholici orbis caput nonnullos adolescentes, ut hic informentur ad omne opus bonum, et illàm hauriant doctrinam, quam unice sequi fas est, in caeteros deinceps istic per eos derivandam; hinc profecto fit, ut nos non modo praeclarum huiusmodi studium tuum maximis laudibus prosequamur, verum etiam te ipsum vehementer hortemur, ut quod suscepisti sapientissimum consilium quam maturrime perficiendum cures, tibi omnino persuadens, gratissime hic exceptum iri adolescentes quos miseris instituendos, eisque non defuturam benevolentiae et officii copiam, quam ipsorum in alma Urbe mansionis causa plane sanctissima postulaverit. Qui certe sensus animi nostri nobilitati tuae testari satis superque poterunt. Nos cum istinc quae diximus impedimenta fuerint amota, et de enuntiatis paulo ante rerum capitibus rite convenerit, nullam praetermissuros curae providentiaeque partem quae ad rectam religionis formam inter istius Insulae populos inducendam constituendamque pertineat. In tua ipsius manu, crede nobis, positum est efficere ut spiritualibus consulere possimus. Quod te sedulo praestaturum sperare nobis certo licet ab eximia illa virtute, cuius praeclarum specimen dedisti in ven. fratre Episcopo Carolopolitano humanissime tractando, cui quidem absit ut dubitemus ullum a te studium in omni genere officii deinceps defuturum. Auctorem autem ac fontem omnium bonorum Dominum enixe rogantes ut te uberrimis auctum gratiae coelestis muneribus bono istius populi incolumem quam diutissime servet, pignus paternae grataeque voluntatis nostrae apostolicam benedictionem nobilitati tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXI. augusti MDCCCXXXIV., pontificatus nostri an. IV.

LXXIV.

Collatio muneris legati pro insula Sancti Dominici facta Episcopo Carolopolitano.

Venerabili fratri Ioanni England Carolopolitano, in foederatis Americae Septemtrionalis provinciis Episcopo,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Universi Dominici gregis salus nobis divinitus concredita, qua diu noctuque continenter distinemur, postulat atque efflagitat, ut summa quidem pastoralis nostrae vigilantiae cura, spirituali omnium Christifidelium utilitati pro viribus prospiciendum curemus. Itaque prope noscentes in Haitarum insula Christifideles propriis orbatos pastoribus, ac necessariis Ecclesiae destitutos praesidiis, in magno aeternae salutis discrimine versari, paterna nostri animi sollicitudine eorum incommodis occurrere summopere cupientes, ac afflictis ac pene prostratis ea in insula religionis rebus consulere vehementer optantes, atque egregias et singulares tuas dotes minime ignorantes, opportunum existimavimus per similes apostolicas literas die decima quinta martii millesimo octingentesimo tertio datas, te venerabilem fratrem ad illam insulam mittere, ut huius Apostolicae Sedis legati munere fungens cum excellentissimo Boyer totius Haitarum reipublicae praeside catholicae religionis causam ageres, eaque omnia peragenda curares, quae ad spiritualem illorum populorum salutem pertinere posse viderentur. Iam vero non mediocri animi nostri voluptate novimus te nihil inausum nihilque intentatum reliquisse, quo nostris desideriis cumulatissime responderes. Omni enim cura, studio, diligentia, labore non solum gravissima religionis negotia ea in insula tractanda curasti, verum etiam eorum fidelium bono consulendi cupidus Romam te iterum contulisti, resque omnes a te peractas nobis accuratissime exponens, quae peragenda forent significasti. Nos igitur quibus nihil potius, nihil praestabilius esse potest, quam ut omnes fideles, quos tamquam carissimos in Christo filios in sinu atque oculis gestamus, opportunis ac salutaribus muniti praesidiis ad aeternam consequendam salutem omni ope et opera iuventur, nostram curam cogitationemque in christianam eiusdem insulae plebem contulimus. Quamobrem rebus omnibus

maturo ac diligenti examine perpensis, summopere in Domino fidentes, te eximia tua prudentia, doctrina, consilio et catholicae religionis zelo nihil praetermissurum, quod ad earum animarum rationes pertineat, hisce literis auctoritate nostra apostolica commemoratae insulae in huius Apostolicae Sedis legatum confirmamus cum omnibus et singulis facultatibus, quae tibi eiusdem muneris ratione tributae fuerunt. Quo vero facilius atque expeditius in illorum fidelium salutem procurandam incumbere possis, tibi harum literarum vi eadem auctoritate nostra non solum eas omnes et singulas facultates et iura concedimus, quibus Episcopi in propriis dioecesibus pollent, quaeque ordinaria appellantur, verum etiam alias tribuimus atque impertimur praeter communem ordinem et peculiares omnino, quas locorum longinquitas atque necessitas requirunt, prout clare aperteque intelliges ex paginulis vulgo pagellae, quas tibi auctoritate nostra tradendas mandavimus. Praecipimus propterea omnibus et singulis ad quos spectat, ut te in nostrum et huius Sanctae Sedis legatum Haitarum insulae pro spirituali eorum fidelium bono eo quo par est obsequio excipiant, ac debita observantia tibi pareant, faveant ac praesto sint. Nos enim interim Deum totius consolationis et misericordiarum patrem in humilitate cordis nostri obsecrare non desinemus, ut tibi mittat auxilium de sancto, quo catholica religio prospere feliciterque ea in insula floreat, et fideles omnes inoffenso pede viam mandatorum Dei percurrant.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXII. augusti MDCCCXXXIV., pontificatus nostri an. IV.

LXXV.

Erectio Vicariatus Apostolici in regno Sardhanae principis Ioannae Sombre Begum principatum comprehendentis in Indiis Orientalibus (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Ex munere pastoralis ministerii superna Dei providentia humeris nostris impositi non leve sane totius dominici Prooemium.

---

(1) Ex Reg. Vat. ep. ad principes etc. transcribimus literas quibus Pontifex laudato Principis Ioannae Sirdhanae pro religione, studio, eidem significat F. Iulium Caesarem Ordine Cappuccinorum electum fuisse, ut ipsa petierat, Episcopum et Vic. Apost. Sirdhanae, eiusque nepotem Davidem creatum fuisse equitem Militiae Iesu Christi.

Dilectissimae in Christo filiae nostrae Ioannae Principi Sirdhanensium cognominatae Begum Sombre,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilectissima in Christo filia nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Serius quam optavissemus allatae nobis sunt tuae literae datae die XII. mensis ianuarii, ex quibus non sine plurimâ animi nostri consolatione planius agnovimus quod fama iamdudum nunciaverat de tuo pro religione nostrâ sanctissimâ praeclaro studio, devotoque erga Sedem hanc Apostolicam animo, et effusâ in ecclesias ac pauperes liberalitate. Huius vero et aliud habuimus insigne documentum in syngraphâ, quam a te accepimus, ad centum quinquaginta mille rupias Londini exigendas, et in eum, quem censuerimus, caritatis usum insumendas. Id quidem nos faciemus cum gratâ tui nominis commemoratione. Sinceras quoque celsitudini tuae gratias persolvimus quod nobilissimi templi istic curâ sumptuque tuo in honorem Bm̃ae Dei Matris extructi delineatas lithographico opere imagines mittere nobis volueris una cum tabulâ in memoriam dedicationis templi eiusdem depictâ. Has avide expectamus, et statim ut ad nos pervenerint, nobilitatem tuam eâ de re certiorem facere non morabimur.

Sequitur nunc, ut de aliis loquamur, super quibus tu, dilectissima in Christo filia, responsum et auctoritatem nostram postulasti. Et primo quidem de summâ rupiarum centum millium, quam collegio seu seminario clericorum in urbe tuâ Sirdhanâ erigendo destinasti, probamus summopere consilium huiusmodi tanquam iuvandae istic rei catholicae utilissimum. Ita sane Episcopus, de quo mox dicemus, alumnos ex indigenis delectos ad clericalem statum facilius poterit educare. Quod si eadem seminarii erectio perfici statim non valeat, poterint interea temporis scholae aliquae aperiri iuventuti, non tantum ad literas, sed etiam ad catholicam religionem omnemque virtutem informandae. Ipsum vero seminarium vel scholas ordinare ac moderari poterunt religiosi viri Soc. Iesu, qui sunt Calcuttae, si quam forte ex ipsis advocare volueris.

Quod autem attinet ad episcopalem dignitatem, ad quam provehi exoptas dilectum filium Iulium Caesarem religiosum virum ex Capuccinorum familiâ nunc cappellanum tuum et a multis iam annis in regione istâ missionarii munere fungentem, annuimus libenter petitioni tuae, ac proinde indulsimus, ut ipse a quocumque Antistite catholico S. huius Sedis communionem et gratiam habente duobus aliis Episcopis vel saltem presbyteris adsistentibus consecrari valeat. Et quoniam novus Episcopatus in tuà istâ urbe adhuc a nobis erectus non est, adsignavimus memorato Iulio titulum Amathuntinae Ecclesiae in partibus infidelium sitae, simul tamen decrevimus, ut ipse Apostolici nostri Vicarii munere insignitus, tum Sirdhanae tum in toto principatu tuo iurisdictionem habeat ab auctoritate venn. fratris Antonini Episcopi Esbonensis Vicarii item Apostolici Agrae constituti exemptam. Atque haec plenius constabunt ex nostris apostolicis literis, quae istuc sine morâ afferentur. Facile autem nobis pollicemur fore ut ipse Episcopus ac

gregis onus ferentes, illis preecipue ovibus quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile ad pascua caelestia vocari valeant, feliciterque perduci.

§ 2. Hinc cum ad catholicae religionis incrementum in Indiis Orientalibus latius comparandum in primis opportunum et utile esse videatur, praeter caeteros Vicarios Apostolicos in iis regionibus con- Ratio concessionis.

Vicarius Apostolicus Iulius Caesar eiusque successores possint se pro dignitate sustentare reditibus summae rupiarum centum millium, quas nobilitas tua munifice in eum finem donavit.

Significas deinde destinasse te alias rupias centum mille tribus provinciis Bengalae, Madraspatani et Bombayni, in utilitatem scilicet rei catholicae erogandas: de cuius pecuniae distributione ac usu nostram, pro tuâ pietate, consulis auctoritatem. Nobis ergo videtur, hanc pecuniam recte posse deputari tribus ecclesiasticorum alumnorum seminariis in civitatibus Calcuttae, Madraspatani et Bombayni erigendis, aut saltem institutioni clericorum memoratis in locis aliâ stabili ratione iuvandae. Quem in finem tradere poteris pecuniam ipsam Vicariis nostris Apostolicis, nimirum venn. fratri Petro ab Alcantara Episcopo Antiffellensi, qui Bombayni est, dilecto filio religioso viro Roberto Saint Leger presbytero et Soc. Iesu qui est Calcuttae, et venn. fratri Danieli O' Connor Episcopo Salditano, qui ad Madraspatani urbem quamprimum venturus est. Hi nimirum Vicarii nostri, si tibi placuerit, habebunt in mandatis ut eam summam vel in praedictum usum statim impendant, vel eidem usui religiose reservent.

Addis praeterea te non modo solvere menstruam quamdam pensionem memorato Esbonensi Episcopo Vicario Apostolico Agrae residenti, sed destinasse insuper in utilitatem Ecclesiae Agrensis summam rupiarum triginta millium: quarum item erogationem non sine nostro consilio facere desideras. Et nobis quidem placeret, ut in ipsa urbe Agra institueretur parvum piarum feminarum collegium quae castitatem servantes ac religiose viventes utilem simul operam navent puellis ad christianam virtutem, ad elementa literarum, atque ad manuum opificia erudiendis. Quod si magistram huic collegio praeficientem non facile in Indiâ invenire valeas, nos ipsi probam aliquam mulierem Anglici sermonis peritam et memorato muneri idoneam ex Europâ cum scriptis regulis mittendam curabimus. Tu interim, dilectissima in Christo filia nostra, pecuniam in hunc finem sepositam servare poteris apud te aut tuto aliquo in loco deponere.

Post haec maximis, ut par est, prosequimur laudibus tuam veram praeclaram munificentiam tot tantisque argumentis comprobatam, cuius etiam fructum extitisse intelleximus tum sacram aedem quae tuis sumptibus in urbe Meerutâ construitur, tum amplissima subsidia, quibus pauperes Sirdhanae, Calcuttae et regni Angliae iuvandos curasti. Et Deum Optimum Maximum humilium precum contentione rogamus, ut tibi pro huiusmodi benefactis amplissimam ac nunquam interituram mercedem retribuat. Hanc igitur, dilectissima in Christo filia nostra, cum humilitate cordis atque in bonis operibus perseverantiâ expecta. Nos autem nihil optamus magis, quam ut tibi paternae caritatis nostrae signum aliquod praebeamus.

Itaque dilectissimum in Christo filium nostrum Davidem, inclytum nepotem tuum futurumque haeredem tui principatus, equitem creavimus Militiae Iesu Christi, dedimusque in eam rem apostolicas literas quae una cum insignibus eius Ordinis propriis ad te perferentur. Utinam vero, quod celsitudo tua fore confidit, ipse invenis princeps Romam aliquando in conspectum nostrum venturus sit. Tunc profecto superabundaret gaudio cor nostrum, eumque singularibus omnibus benevolentiae significationibus, tui etiam causâ, prosequeremur. Denique mittimus nobilitati tuae argenteam capsulam cum venerandis reliquiis sacrosanctae Crucis D. N. Iesu Christi, ac veli Bmae Mariae Virginis, et ex ossibus SS. Apostolorum Petri et Pauli. Et benedictionem apostolicam cum verae omnis prosperitatis voto coniunctam tibi, dilectissima in Christo filia nostra, ac principi tuo nepoti, domuique tuae universae amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. septembris MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

Creat Equitem Militiae Iesu Christi Davidem Begum Sombre nepotem et administrum Principissae Vardhanae in Indiis Orientalibus.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

In hoc amplissimo dignitatis atque auctoritatis gradu nullis certe nostris pro meritis sed arcano divinae prudentiae consilio collocati, ac propterea gravissimâ totius catholici orbis regendi solicitudine continenter districti ac pene obruti, nihil profecto gratius, nihil optabilius contingere potest, quam amplissima honorum munera et praecipua nostrae benevolentiae testimonia iis praestantissimis viris, qui avitâ generis nobilitate clari ac virtutum laude spectati, de re catholicâ deque hac Apostolicâ Sede praeclare mereri summopere gloriantur. Equidem nobis compertum exploratumque est, te de nobilissimâ ortum familiâ ac rebus omnibus institutum, et egregiis animi ingeniique dotibus ornatum, singulari in nos et in hanc Petri Cathedram obsequio praestantem, ac dilectissimae in Christo filiae Principis foeminae Begum Sombre Sardhaniae pietate et religione illustris nepotem, et primum a publicis illius principatus negotiis tum civilibus tum militaribus administrum, summâ curâ et studio in catholicae religionis bonum procurandum mirifice incumbere, et omnia conari, ut de nobis deque hac Apostolicâ Sede quam optime mereri possis. Quocirca aliquam in te nostrae voluntatis significationem quam libentissime exhibendam censuimus. Peculiari ergo honore afficere volentes, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratiâ absolventes et absolutum fore censentes, de Militiae Iesu Christi Equitem renuntiamus, teque in eum clarissimum Ordinem auctoritate nostrâ apostolicâ hisce literis cooptamus, et splendidam eiusdem Ordinis crucem tibi mittendam statuimus. Proprium vero hominum illius Ordinis habitum accipies, a quo tibi ad libitum catholico sacrorum Antistite communione cum Cathedrâ Romanâ sociato, vel ab uno ex primis missionariis, si Episcopus praesto esse non poterit (in id enim illis facultatem opportunam tribuimus), accitis adstantibusque pro libito pariter a te delectis duobus aut saltem uno ex equitibus Militiae Iesu Christi, aut Militiae alterius, vel duobus testibus, si nemo reperiri potest equitum tam Ordinis in quem adlegeris, quam al-

stitutos alium Vicarium Apostolicum episcopali dignitate insignitum ibi statuere, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio censuimus atque decernimus Sardhanam et principatum totum Ioannae Sombre Begum ab iurisdictione venerabilis fratris Vicarii Apostolici Agrae commorantis subtrahentes in peculiarem ac distinctum vicariatum apostolicum esse erigendum.

Tenor concessionis.

§ 3. Motu igitur proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi Sardhanam ac principatum totum Ioannae Sombre Begum ab iurisdictione venerabilis fratris Vicarii Apostolici Agrae commorantis subtrahentes, in peculiarem ac distinctum vicariatum apostolicum constituimus, ubi memoratae principissae munificentia pulcherrimum templum aedificatum est, atque ubi eiusdem principissae beneficio Vicarius Apostolicus copiam talem reddituum habebit, ut honestae suae substentationi, clericorum institutioni, animarum saluti consulere commode possit. Ipsi autem Vicario ab hac Sancta Sede adlegendo omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eadem auctoritate nostra concedimus et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Haec statuimus atque decernimus, volentes has praesentes nostras literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, atque iis ad quos spectat ac in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, Sedisque apostolicae Nuncios, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus nostra et cancellariae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque etc. opportunis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XI. sept. MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

LXXVI.

Erectio cathedralis ecclesiae in civitate Sancti Ioannis de Cuyo in America Meridionali.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ineffabili Dei providentia ad regendam gubernandamque universalem ecclesiam nullis licet nostris suffragantibus meritis vocati, si ad caeteras quaslibet dominici agri partes excolendas studia nostra alacres conferimus, non minus quidem lubenti animo, nec minus vigili sollicitudine aciem nostrae mentis ad illas convertimus catholici orbis regiones, quae ab hac Apostolica Sede terra marique quam longissime distant, quaeque eo ampliores apostolicae benignitatis favores et gratias promerentur, quo maiori cura et acriori animo catholicam fidem, sine qua impossibile est placere Deo, integram inviolatamque servant, ac de Ecclesia in custodienda tuendaque eius iurisdictione, immunitate et disciplina sunt benemeritae, Romanumque Pontificem Iesu Christi Domini Nostri in terris Vicarium, ac beatissimi Petri Apostolorum principis verum legitimumque successorem filiali obedientia ac debita veneratione prosequuntur.

Ratio concessionis.

§ 2. Porro ad aures nostras pervenit, hoc ineunte saeculo Pium Papam VII. praedecessorem nostrum fel. rec. praegrandem seiunxisse dioecesim Tucuma-

---

terius Militiae, coram illo autem Antistite vel missionario, a quo honorificam vestem acceperis, statim, aut facto temporis intervallo, conceptis verbis ea profitebere quae continentur formulâ profitentibus Militiam Iesu Christi praescriptâ, quae postquam fueris exequutus, te compotem fieri volumus iurium, privilegiorum, immunitatum omnium et singularum quaecumque datae et attributae sunt aliis Militiae Iesu Christi militibus, etiam qui illius vestem a Lusitaniae Rege acceperint, cui perpetuam Ordinis administrationem Apostolica Sedes indulsit. Haec tibi concedimus atque impertimur. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, nec non commemoratae Militiae etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII. novembris MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

nam in America Meridionali positam, binasque ex ea efformasse cathedrales ecclesias, quarum una Saltensis, Cordubensis altera appellata fuit. Huic postremae ecclesiae amplissimam insuper idem Pontifex attribuit provinciam de Cuyo nuncupatam, quam a dioecesi Sancti Iacobi de Chile separaverat: quo facto ut Cordubensis dioecesis ea, qua late patet, territorii latitudine nonnullas comprehendat provincias, quae diversis nunc subduntur temporalibus dominationibus, unaque provincia de Cuyo tribus distinctis, licet arcto inter se foedere coniunctis constet guberniis, nempe Sancti Ioannis, Mendozae et Sancti Aloisii.

Prosequitur ut supra.

§ 3. Accepimus praeterea, provinciam de Cuyo in extrema sitam esse latissimae Cordubensis dioecesis parte, et a civitate Cordubae tam longe abesse, ut Episcopus itineris difficultate ac viarum asperitate impediatur, quominus illuc ad pastoralia munera explenda se conferat, et mutuae communicationis non raro desit facultas. Quare spiritualis necessitas fidelium illic degentium, quorum fere centena millia numerantur, studium excitavit eorum, qui ibidem dominantur, ut Apostolicam Sedem deprecarentur pro nova cathedrali ecclesia in sua provincia erigenda, et Episcopi residentialis institutione, vel saltem titularis necessariis Vicarii Apostolici facultatibus suffulti deputatione. Oblatas hinc preces paterna charitate complectens rec. mem. Leo PP. XII. alter decessor noster ad episcopatum Thaumacensem in partibus infidelium evexit venerabilem fratrem Iustum de S. Maria de Oro ex Ordine Praedicatorum, eumque constituit Vicarium Apostolicum, ut spirituali procuratione ex Romani Pontificis auctoritate regionem illam administraret.

Expositio precum.

§ 4. Apostolica huiusmodi providentia, ac vigilis Antistitis praesentia, et opera vehementius illecti provinciae illius christifideles communi consilio statuerunt hanc Sanctam Sedem denuo adire, et episcopalis cathedrae in Cuyensi provincia erectionem postulare. Quapropter per eumdem Vicarium Apostolicum nomine cleri, magistratuum et populi universi supplicationes nobis exhibitae fuerunt, ut opus a decessore nostro Leone XII. inceptum perficere, et gaudium Cuyensis populi plenum reddere dignaremur. Nos quippe necessitatem utilitatemque novi episcopatus illico conspeximus, ac Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigia sectantes, datis literis ad praefatum Vicarium Apostolicum significandum duximus, tum demum nos illorum votis assensuros, cum omnia ad instituendam ordinandamque novam dioecesim pertinentia nobis prompta ac parata esse denunciaretur.

Eadem ut supra.

§ 5. Cuyenses omnes, cum primum nostras huiusmodi literas acceperunt, ingenti gaudio laetabundos manus suas in Sancta levasse audivimus, et Deo omnipotenti maximas solemnesque egisse gratias. Qui vero summam tenent imperii una cum venerabili fratre Iusto Episcopo Thaumacensi Vicario Apostolico assentientibus proceribus Mendozae et Sancti Aloisii, initas invicem conventiones nobis humiliter exhibuerunt, quas ipsi perpetuo ac fideliter se in posterum servaturos pollicebantur, et quarum praecipua capita haec sunt:

Conditiones propositæ a gubernio pro obtinenda erectione novae sedis.

§ 6. Gubernium iuramento se obligavit anno millesimo octingentesimo vigesimo septimo, et in praesentiarum iterum se obligat, ad tuendam perpetuo in universa provincia Cuyensi religionem catholicam apostolicam Romanam, quovis alio cultu penitus amoto et semper excluso, ac propterea in gymnasiis tum publicis tum privatis, tum circa dogmata quam circa moralia, ea tradetur doctrina, quam Ecclesia Romana profitetur, dirigente ac prospiciente Episcopo Cuyensi; qua in re per gubernium diligentissime cavebitur, ne in ea provincia conficiantur, aut in eam inducantur, libri vel scripta cuiuscumque generis adversus dogmata, moralem disciplinam et decus Sanctae Matris Ecclesiae eiusque ministrorum, proindeque auctoritate ecclesiastica postulante, civilis potestas scriptorum ac librorum editionem vel introductionem penitus impediet, illos coercendo ac debitis poenis afficiendo, qui hac super re deliquisse forte deprehendantur.

Idem ut supra.

§ 7. Immunitas ecclesiastica personalis, realis et localis iuxta sacrorum canonum constituta religiosissime servabitur. Foro ecclesiastico per magistratus aliosque iudices saeculares debita observantia semper adhibebitur, quorum erit praeterea opportunum praesidium suppeditare ecclesiasticae potestati illud roganti, ut sua decreta proprium consequantur effectum.

Prosequitur ut supra.

§ 8. Episcopus libere exercebit ea omnia, quae ipsi competunt ratione sui mu-

neris pastoralis iuxta praescripta sacrorum canonum et vigentem Sanctae Matris Ecclesiae catholicae disciplinam ab Apostolica Sede approbatam; parique modo communicabit cum clero et populo opportunas leges et ordinationes in rebus spiritualibus et ecclesiasticis edendo: idem cohibebit ac puniet censuris aliisque poenis legum sacrarum violatores, sententiae, decreta, et provisiones sive in poenam, sive in cautionem criminum contra clericos delinquentes ab eo pronunciabuntur ad mentem sacrorum canonum. Causae matrimoniales, decimales et caeterae ecclesiasticae a iudicibus competentibus in foro Ecclesiae privative definientur.

Idem ut supra.

§ 9. Erit Ecclesiae ius acquirendi ac pleno iure disponendi de rebus propriis, servatis ceteroquin sacrorum canonum praescriptionibus. Gubernium operam suam praestabit meliori quo fieri poterit modo restaurationi coenobiorum regularium, ac bonorum restitutioni, et regulares conservabuntur in possessione temporalium rerum eis addictarum.

Reservatio in casu dubietatis recurrendi ad S. Sedem.

§ 10. Demum quaecumque alia, quae respiciunt ad erectionem novi episcopatus et exercitium auctoritatis ecclesiasticae, ac illa quoque, de quibus nulla superius facta fuerit mentio, ad praescriptum sacrorum canonum et probatam catholicae Ecclesiae disciplinam definientur, vel gravi interveniente difficultate ad Apostolicae Sedis iudicium erunt deferenda.

Dismembratio dioecesis Cordubensis.

§ 11. Nos igitur, qui cuncta superius narrata ac caetera omnia matura deliberatione perpendimus, et prae oculis habentes spirituale bonum, quod fideli illi populo expetita novae sedis episcopalis erectione sub huiusmodi laetis auspiciis sperandum est, audito etiam nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, ad maiorem Dei gloriam et ad Ecclesiae catholicae Apostolicae Romanae exaltationem, ex certa scientia, motu proprio, deque apostolicae potestatis plenitudine, supplendo defectui consensus capituli cathedralis ecclesiae Cordubensis nunc suo viduatae pastore, universam provinciam de Cuyo nuncupatam a dioecesi Cordubensi perpetuo dividimus, seiungimus ac dismembramus, nec non in ea consistentes et consistentia ecclesias, paroecias, monasteria, conventus et alia quaecumque secularia, ac quorumvis ordinum regularia beneficia, et pariter in ea degentes utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos quam clericos presbyteros beneficiarios et religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis existant, ab ordinaria iurisdictione ac potestate Antistitis Cordubensis pro tempore existentis, seu eius dioecesis Ordinarii, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo eximimus, liberamus et absolvimus.

Erectio civitatis Sancti Ioannis in civitatem episcopalem.

§ 12. Dein civitatem Sancti Ioannis in provincia de Cuyo positam populi frequentia, templorum nitore, aliisque praerogativis abunde praeditam in civitatem episcopalem auctoritate apostolica erigimus et constituimus, eique sic erectae et constitutae civitatis titulum ac denominationem cum omnibus et singulis honoribus, iuribus, privilegiis et praerogativis, quibus caeterae civitates episcopali sede insignitae, earumque cives in America Meridionali utuntur et gaudent, ac uti et gaudere possunt ac poterunt quomodolibet in futurum, concedimus atque elargimur. Ecclesiam vero parochialem in praefata civitate Sancti Ioannis de Cuyo existentem, et Sancto Iosepho confessori beatissimae Virginis Mariae sponso dicatam, in cathedralem ecclesiam Sancti Ioannis de Cuyo nuncupandam, et parochialem ut antea sub eodem Sancti Iosephi titulo extituram evehimus et attollimus, simulque in eo sedem, cathedram ac dignitatem episcopalem pro uno deinceps Episcopo Sancti Ioannis de Cuyo nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati ac dioecesi ut infra assignandae, illiusque clero et populo praesit, synodum convocet, ac omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat, exerceatque, cum suis capitulo, arca, sigillo, curia, mensa episcopali, seminario ecclesiastico, ceterisque fruatur pontificalibus insigniis, iuribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, iurisdictionibus indultisque realibus, personalibus ac mixtis, quibus reliquae cathedrales ecclesiae in America Meridionali existentes, earumque praesules, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto, seu privilegio particulari utuntur et fruuntur, simili apostolica auctoritate perpetuo erigimus ac instituimus, ipsamque episcopalem ecclesiam Sancti Ioannis de Cuyo metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore ecclesiae de Plata seu de Charcas, donec aliter ab Aposto-

lica Sede statutum fuerit, subiicimus et in suffraganeam assignamus.

Praefinitio novae dioecesis.

§ 13. Praefatam autem universam provinciam Sancti Ioannis de Cuyo, in qua tres reperiuntur distinctae ditiones inter se foederatae, quarum una complectitur territorium Sancti Ioannis, altera territorium Mendozae, ac tertia illud Sancti Aloisii a Cordubensi dioecesi, ut supra, seiunctam et avulsam, eidem ecclesiae Sancti Ioannis de Cuyo pro suo territorio ac dioecesi attribuimus et assignamus, eamdemque provinciam Sancti Ioannis de Cuyo, ac in ea existentes et existentia paroecias, collegiatas, si quae sunt, aliasque ecclesias quascumque, monasteria, conventus et omnia sive saecularia sive quorumvis ordinum regularia cum cura et sine cura beneficia ecclesiastica, item utriusque sexus personas et incolas tum laicos quam clericos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus, ordinis et conditionis, ordinariae iurisdictioni regimini et potestati futuri ac pro tempore existentis Episcopi Sancti Ioannis de Cuyo pariter perpetuo submittimus atque subiicimus. Hinc praecipimus ac mandamus, ut omnia et singula instrumenta, scripturae et alia cuiusvis generis documenta, si quae sunt ad praedictam provinciam Sancti Ioannis de Cuyo quovis modo pertinentia, et ad illius incolas, ecclesias et beneficia quomodolibet spectantia, ab episcopali Cordubensi curia extrahantur, et cancellariae novi episcopatus Cuyensis, ut supra erecti, libere tradantur.

Dotatio sedis episcopalis.

§ 14. Similiter pro decenti et commoda futuri Antistitis eiusque in Cuyensi episcopatu successorum et curiae episcopalis habitatione aedes ecclesiae cathedrali propinquas perpetuo assignamus et adscribimus, quae tamen si minus aptae inveniantur, aliae vel ex parte vel in toto aedificabuntur. Ut futurus autem pro tempore existens Cuyensis Episcopus pontificalem suam dignitatem tueri, ac vicario generali et curiae episcopali providere valeat, tertiam partem decimarum ibidem colligendarum, prout mos est in ecclesia Cordubensi, mensae episcopali Sancti Ioannis de Cuyo perpetuo pariter assignamus et attribuimus.

Erectio capituli cathedralis.

§ 15. In memorata autem parochiali ecclesia Sancti Ioannis de Cuyo sic, ut dictum est, ad cathedralis honorem evecta instituimus atque erigimus capitulum undecim constans canonicalibus praebendis, nimirum tribus dignitatibus, quarum prima decanatus, quae post pontificalem erit maior, et omnibus potietur honoribus, privilegiis et praeeminentiis ei de iure competentibus, ipsique erit adiunctum onus curae animarum, quae sicut prius, et sine ulla innovatione exercebitur; secunda archidiaconatus, ac tertia magisterium scholae nuncupabitur; nec non octo canonicatibus, comprehensis theologali ac poenitentiaria praebendis, quae iuxta canonieas sanctiones, ac praesertim Concilii Tridentini decreta, in capitulis ecclesiarum cathedralium extare debent; ac propterea eidem ecclesiae erunt addicti pro servitio chori sex praebendati, seu vicarii, aliique clerici. Huiusmodi autem dignitatum non minus quam canonicatuum et praebendarum futuri ac pro tempore existentes possessores apud eamdem ecclesiam cathedralem Sancti Ioannis de Cuyo personaliter residere, ac in ea divina quoque officia ceterasque ecclesiasticas functiones celebrare, horasque canonicas cum diurnas tum nocturnas decantare, recitare et psallere, missamque conventualem pro benefactoribus in genere quotidie celebrare, ac eidem cathedrali ecclesiae in omnibus laudabiliter deservire, illiusque statuta in posterum edenda diligenter observare teneantur.

Dotatio capituli.

§ 16. Capitulo autem novae cathedralis ecclesiae Sancti Ioannis sic erecto et constituto assignamus ac tribuimus iuxta morem Ecclesiae Cordubensis tertiam partem praefatarum decimarum, quae ut sequitur dividenda erit, nempe praebenda trium dignitatum constituetur in summa scutatorum quatuor centum pro qualibet earum; praebenda cuiuslibet ex quatuor senioribus canonicatibus in summa scutatorum tercentum et quinquaginta; praebenda reliquorum quatuor canonicatuum in summa scutatorum tercentum pro quolibet eorum. Primi tres praebendati, seu vicarii, ut vocant, portionarii, habebunt singuli scutata ducenta et viginti quinque, caeteri tres praebendati seu vicarii, ut vocant, semi-portionarii habebunt singuli scutata ducenta. Quod si redditus a tertia parte decimarum provenientes non efficient summam cuilibet praebendae, ut supra, attributam, collatio alicuius praebendae suspensa remanebit, donec redditus tertiae partis decimarum ad praestitutam poecuniae vim pervenerint. Fabricae autem ac sacrario praedictae cathedralis ec-

clesiae illam pro eius cultu ac tuitione dotem, quae ei partim ex decimis, partim ex censibus ac bonis stabilibus iam constituta reperitur, simili modo adsignamus atque tribuimus.

Privilegia tributa capitulo.

§ 17. Eisdem quoque futuris ac pro tempore existentibus tribus dignitatibus et octo canonicis praedictis ut ipsi capitulariter congregati pro memoratae ecclesiae cathedralis, ac illius mensae capitularis sacrarii et fabricae, earumque rerum ac bonorum prospero felicique statu ac regimine, et onerum eis incumbentium implemento, horarum canonicarum aliorumque divinorum officiorum celebratione, fructuum distributione et quorumcumque emolumentorum partitione atque administratione, poenarumque per absentes aut negligentes contrahendarum impositione, quaecumque statuta, ordinationes ac decreta, sacris tamen canonibus Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis non contraria, condendi ac edendi sub Episcopi tamen pro tempore existentis praesidentia et approbatione plenam ac omnimodam potestatem concedimus et impartimur. Praeterea eidem capitulo et canonicis pro tempore existentibus indulgemus atque elargimur ius utendi ac fruendi omnibus et singulis tam spiritualibus quam temporalibus gratiis, privilegiis, immunitatibus, praeeminentiis et favoribus, quibus aliarum similium in America Meridionali existentium cathedralium ecclesiarum capitula, dignitates et canonicatus iure, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut indulto vel privilegio peculiari utuntur ac fruuntur, dummodo adhuc sint in usu, et non fuerint revocata, nec sacris canonibus, constitutionibus et decretis apostolicis repugnent.

Erectio seminarii episcopalis.

§ 18. Ut vero adolescentes in sortem Domini vocati non minus pietate, quam humanioribus literis sacrisque disciplinis instituantur ac informentur, ecclesiasticum clericorum seminarium in civitate Sancti Ioannis erigimus, eique aedes ecclesiae Sancti Clementis Papae et martyris contiguas adscribimus, illamque dotationem, quae eidem iam constituta fuit, pariter attribuimus et adiudicamus.

Praeceptum de inscribendis fructibus in libris Camerae.

§ 19. Perpensis autem redditibus ac fructibus ecclesiae episcopalis Sancti Ioannis de Cuyo, ut supra, attributis, eamdem ecclesiam Cuyensem in florenis aureis de camera triginta tribus ac in tertia floreni parte de more taxari, ac eiusmodi taxam in libris camerae apostolicae describi volumus ac praecipimus.

Reservatio iuris nominandi.

§ 20. Quod vero spectat ad provisionem eiusdem novae cathedralis ecclesiae Sancti Ioannis de Cuyo, nos illa utentes potestatis plenitudine, quam pastor coelestis et Episcopus animarum nobis tradidit super universis ecclesiis, et peculiaribus attentis circumstantiis, eamdem ecclesiam hac prima vice de persona nobis benevisa providere intendimus, nobisque reservamus; in futuris autem praefatae sedis episcopalis vacationibus matura deliberatione perpendentes cuncta et singula, quae a memorato Vicario Apostolico, et ab iis, qui Cuyensi praesunt ditioni, exposita sunt, in postulanda nomine universi populi novae dioecesis erectione, ac rationem potissimum habentes eorum, quae promissa sunt de tuenda puritate catholicae apostolicae Romanae religionis, de quovis alio cultu penitus inhibendo, deque caeteris omnibus circa moralem disciplinam Ecclesiae, iuriumque conservationem et amplificationem iuxta datam fidem perpetuo et inviolabiliter praestandis in benevolentiae gratiaeque significationem, libenter motu proprio, certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine statuimus atque decernimus a nobis et a Romanis Pontificibus successoribus nostris acceptum iri illam ecclesiasticam personam, quae a civili gubernio pro episcopali ecclesia Sancti Ioannis de Cuyo fuerit commendata, dummodo tamen illa dotibus per sacros canones et per Concilium Tridentinum requisitis praefulgeat, et praefatum gubernium eiusque praesides ipsum exhibentes in catholicae apostolicae Romanae religionis professione, et in Apostolicae Sedis communione atque obedientia permaneant. Similiter decernimus atque indulgemus, ut Episcopus Sancti Ioannis eadem ratione canonicam tribuat institutionem illis idoneis ecclesiasticis viris, et in sacris ordinibus constitutis, quos gubernium commendabit ad canonicales praebendas obtinendas, praevio tamen concursu ad praescriptum Concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum habendo pro collatione tum dignitatis decanatus, cui, ut supra decrevimus, animarum cura debet adhaerere, tum utriusque canonicalis praebendae theologalis et poenitentiariae, ac praevio etiam pro reliquis con-

ferendis canonicatibus et praebendis examine, vel alio experimento per Episcopum designando, quin tamen in supra memorata commendatione aliena iura, siquae sunt, prorsus laedantur, et quin hodiernus parochus ecclesiae Sancti Iosephi nuper ad cathedrae episcopalis honorem erectae praedicto concursui obnoxius sit, quem imo ad decanatus quoque dignitatem cum animarum cura sine nova provisione extollimus, ac vigore praesentium instituimus.

Deputatio exequutoris apostolici.

§ 21. Quamobrem venerabili fratri Iusto a Sancta Maria de Oro Episcopo Taumacensi in partibus infidelium, quem in praesentium literarum nostrarum exequutorem eligimus ac deputamus, per apostolica scripta mandamus, ut ipse per se vel alium virum ecclesiastica dignitate insignitum ab eo subdelegandum has nostras literas, ubi et quando opus fuerit aut quoties ab iis quorum interest vel ab aliquo eorum fuerit requisitus, solemniter publicet et exequatur, ac omnia et singula in eis contenta faciat auctoritate nostra ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, atque ut tam ipse quam persona ab eo subdeleganda super quacumque oppositione in actu exequutionis quomodolibet oritura etiam definitive, et quacumque appellatione remota, pronunciare libere et licite possit et valeat, contradictores quoslibet ac rebelles per sententias, censuras poenasque ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia compescendo, invocato etiam si opus fuerit auxilio brachii saecularis, plenam et omnimodam facultatem concedimus atque elargimur. Eidem Episcopo Thaumacensi praecipimus et mandamus, ut singulorum actorum in praesentium literarum exequutione conficiendorum exemplar authenticum intra annum ab expleta ipsarum exequutione ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in archivio Congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservari volumus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 22. Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii quorum interest, aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse; sed perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet aliter iudicandi ac interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane decernimus atque declaramus,

Derogatio contrariorum.

§ 23. Non obstantibus defectu consensus capituli et canonicorum praedictae cathedralis ecclesiae Cordubensis, ac de iure quaesito non tollendo, de dismembrationibus ad partes committendis, etiam vocatis omnibus quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus conciliis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, supradictaeque Cordubensis ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et literis apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 24. Huiusmodi vero literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum in iudicio et extra fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Sanctio poenalis.

§ 25. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae dismembrationis, divisionis, erectionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, derogationis et voluntatis, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo quarto, decimo tertio kalendas octobris, pontificatus nostri anno quarto.

LXXVII.

Collegium Illyricum Lauretanum cum suis privilegiis restituit et Soc. Iesu regimini committit (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Paterna sollicitudo, qua fel. rec. Gregorius XIII. praedecessor noster permotus gentis Illyricae spirituali bono consultum voluit, ut designatis urbibus selecti adolescentuli ad pietatem sacrasque disciplinas informarentur, eadem nos impellit ut collegium Illyricum ab eo Laureti constitutum, et infausta novissimorum perturbatione temporum eversum quamprimum restituendum curemus ad religionis bonarumque artium praesidia eisdem populis ac Lauretanae iuventuti comparanda. Hoc iam inde ab initio pontificatus nostri sedulo repugnantes omnes in eo curas impendimus, ut quae acta fuerant magno sane studio sub praedecessore nostro rec. me. Leone XII. diligenter cognoscerentur, properarentur, et quam citius fieri posset ad optatum exitum perducerentur.

Postulationes pro collegii restitutione.

§ 2. Quare de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium congregationis Lauretanae, humilibus precibus annuentes venerabilium fratrum Episcopi Lauretani et hodierni commissarii apostolici S. Domus lauretanae Episcopi Oropensis, nec non votis et postulationibus quas civitatis Lauretanae Vexillarius decurionesque nobis obtulerunt, perpensa ingenti utilitate quam in rei et sacrae et civilis bonum ex illius collegii restitutione redundare palam est, ea omnia rite concilianda curavimus, quae ad illius perennitatem splendoremque conducere apprime posse existimamus.

Collegium cum suis privilegiis de novo instituit et Soc. Iesu, iuxta modum, committit.

§ 3. Quum idcirco Societati Iesu, quae praeclara semper in adolescentibus ad pietatem litterasque instituendis laude praestitit, collegium supra memoratum ab eius origine fuerit concreditum tanta quidem utilitate, ut ex illo plures pietate et doctrina commemorabiles viri prodierint, volumus motu proprio, plenaque scientia et apostolica auctoritate mandamus, ut collegium ut supra instaurandum tanquam postliminii iure per dilectos filios Societatis Iesu sodales regatur et gubernetur iuxta praescripta a laudato praedecessore nostro Gregorio XIII., eiusque omnimoda cura et administratio geratur sub regimine ipsius societatis praepositi generalis, ita ut ad ipsum spectet rectorem, magistros aliosque administros eligere, in officio continere et amovere, itemque alumnos convictores et discipulos externos admittere et dimittere, eaque omnia statuere et sancire quae huiusmodi saluberrimae institutioni conferre posse censuerit. Quapropter praefatum collegium sodalium Societatis Iesu curae diligentiaeque commissum volumus, et declaramus immune et exemptum perpetuo fore et esse a quavis iurisdictione, visitatione et potestate etiam mediata comissarii apostolici almae Domus, necnon Lauretani Episcopi pro tempore existentis, illudque sub immediata nostra et Apostolicae Sedis protectione recipimus, confirmantes omnia et singula privilegia et exemptiones quibus, usquedum stetit, uti ac frui datum erat. Praecipimus vero collegii rectori uti de Illyricis Congregationem de Propaganda Fide singulis labentibus annis certiorem reddat de eorum numero, progressu et in patriam reversione quum sacris fuerint initiati, ut exinde Congregatio de iisdem disponere valeat ad omnia ad quae in Domino censuerit pro Ecclesiae Illyricae opportunitate. Personarum vero collegio moderando addictarum rationem habentes pro temporis circumstantiis edicimus, uti numerus sacerdotum scholasticorum et coadiutorum ex eadem Societate seligendorum ad quindecim praefiniatur. Nam praeter rectorem ac ministrum oeconomum volumus ut idonei praeceptores grammaticam, humaniores litteras et rhetoricam doceant, alii philosophiam et mathesim, alii theologiam dogmaticam et moralem, itemque iuris canonici institutiones. Porro iuvenes inibi alendos atque educandos ex Illyricis designatis urbibus pro ratione status oeconomici S. Domus ad numerum duodenarium praestitutos decernimus cum facultate rectori tributa convictores admittendi ex ipsa Lauretana civitate necnon ex aliis nostrae ditionis provinciis ac praesertim picena, scholas vero supra recensitas volu-

(1) Ex Tabul. Soc. Iesu.— Lit. Greg. XIII. de huius collegii erectione inutiliter, etsi maiori qua potuimus cura ac studio, quaesivimus.

mus esse publicas, ita ut Lauretanis civibus et incolis pateant, dummodo ab iis inviolatae serventur leges ad bonum regimen scholarum et ad morum integritatem retinendam propositae. Alumni Illyrici chorum Lauretanae basilicae singulis diebus dominicis festisque per annum rite conveniant, uti solebant, ad sacra, ad preces et ad conciones, memores, Deo bene iuvante, ecclesiastico cultui mancipandos se fore, quum ad legitimam aetatem pervenerint.

Collegii sustentationi providet.

§ 4. Ut collegii ita restituti congruae sustentationi consulatur, perpensis iis quae in hanc rem a praedecessore nostro Leone XII. iam fuerant praestituta, visis conventionibus quae inter Commissarium Apost. almae Domus ad hoc specialiter a congregatione Lauretana deputatum et praepositum generalem Soc. Iesu hactenus initae sunt, praecipimus et mandamus ut Commissarius Apostolicus almae Domus quotannis rectori vel ministro oeconomo collegii summam scutatorum mille et octingentorum libere et absque ulla exceptione persolvat tali modo, mille scilicet et bis centena in numerata pecunia partita, tercenta singulis ineuntibus trimestribus, pro reliquis vero sexcentis victualia tribuat quibus collegium indigebit iuxta notulam a rectore exhibendam statutis temporibus ex pretio quo Laureti veneunt, dum traduntur. Confirmamus denique et apostolica auctoritate adprobamus lauretani Ordinis decretum laudabili sane studio rite latum, ut scilicet ex arca publica procuratori seu administris almae Domus quotannis scutata mille pendantur, scilicet biscentena et quinquaginta anticipate quovis ineunte trimestri. Quam quidem summam partito desumendam seu retinendam mandamus ex annuis vectigalibus communitatis nuncupatis quae ab alma domo aerario municipali penduntur, ita ut syngrapha seu acceptatio rectoris collegii de receptis pecuniis habenda sit ac si pari numerata pecunia vectigalia ipsa fuerint persoluta, ac vicissim pensioni scutatorum mille collegio debitae pro aequali parte satisfactum sit. Porro haec ipsa summa comprehendi intelligitur in annua scutatorum mille octingentorum ex conventu praefinita in eiusdem collegii tuitionem. Sed cum praefata summa minime satis habeatur ad alumnorum Illyricorum victum et vestitum, volumus et mandamus ut pro unoquoque ex Illyricis alumnis commissarius seu administri almae Domus rectori persolvat scutata centum, hoc est viginti quinque quovis ineunte trimestri. Alii vero convictores admittendi pensiones quisque menstruas rependant iuxta pacta conventa, et taxam congruam pro temporis circumstantiis decernendam pro eisdem convictoribus, exceptis tamen quatuor ex civibus Lauretanis, gratuito alendis iuxta praefati ordinis decretum, admittendis tamen altero post anno ex quo collegium ipsum rite apertum ac restitutum, atque ad praesentationem totius consilii rite congregati, dummodo adolescentuli praesentandi iis polleant requisitis a rectore collegii examinandis et approbandis. Volumus denique et mandamus ut a commissario almae Domus collegium Illyrico-Picenum occupandum formiter tradatur Societatis Iesu sodalibus, una cum congrua et necessaria suppellectili prima vice tantum usui praeceptorum et alumnorum, itemque Villa Leonoria vulgo nuncupata S. Hieronymi intra triennium congruo et opportuno usui reficienda cum adnexo viridario tantum et domestica suppellectile ad rusticationem necessaria, qua expleta traditione, in posterum ad rectorem collegii spectabit onus manutenendi collegium atque villam, omniaque sarta, tecta servandi propriis sumptibus, excepta tantummodo expensa pro instaurationibus praecipuis parietum et tectorum per almae Domus administratores sustinenda.

Contrariis derogat.

§ 5. Praesentes autem litteras semper et perpetuo firmas validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere dictaeque sedis Nuncios, iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. septembris MDCCCXXXIV., pont. nostri an. IV.

LXXVIII.

Confirmatio et ampliatio privilegiorum congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii in civitate de Pasto dioecesis Quitensis.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Cum nobis vel maxime optandum sit omnique vigilantia et studio curandum, ut ecclesiastici viri uberes in vinea Domini virtutis atque honestatis fructus pro viribus afferre conentur, tum eorum votis ac precibus eo libentius annuere solemus, quo petitiones ad augendam Dei gloriam animarumque salutem procurandam magis accommodatas esse conspicimus.

Expositio precum.

§ 2. Exponendum nobis curavit dilectus filius Franciscus Villota uti praepositus congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii civitatis de Pasto Quitensis dioeceseos in Indiis Occidentalibus nomine presbyterorum eiusdem congregationis, a Raphaele de Vega commemoratae dioecesis defuncto Episcopo die vigesima sexta novembris anno millesimo octingentesimo trigesimo in templo Iesu Nazareno sacro vulgo del Rio congregationem oratorii Sancti Philippi Nerii eadem in civitate de Pasto institutam fuisse. Ut autem ea congregatio prospere feliciterque existere et florescere posset, idem Antistes in illa excitanda septem adscripsit patres, quos sacris initiavit ordinibus titulo congruae substentationis communis oratorii, non modo ob earum regionum inopiam, verum ob exiguum etiam presbyterorum numerum congruam habentium, ea tamen lege adiecta, ut huiusmodi ratione sacris ordinibus initiati vel initiandi, si a congregatione decedant, congruam exhibere teneantur, vel proprii Episcopi legibus subiiciantur. Additum praeterea est, ab eodem Antistite ea in dioecesi sodalitatem seu confraternitatem nomine Iesu Nazareni fuisse institutam, et facultate facta a rec. me. Pio VIII. praedecessore nostro tres plenarias indulgentias fuisse concessas, unam nempe in mortis articulo, duas vero intra annum lucrandas, et indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum duodecim anni festis diebus, dierum vero ducentorum quoquo pio opere peragendo. Quamquam autem haec omnia rite constituta videantur, tamen opportunum esse censetur apostolicae nostrae auctoritatis robore eadem ipsa muniri. Supplici ergo cum prece a nobis petitum est, ut hisce rebus omnibus nostra indulgentia occurrere velimus, atque ut simul singula quaeque privilegia variis temporibus ab hac Apostolica Sede Urbanae et Limanae oratorii congregationi concessa eidem impertiamur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur, quibus nihil potius, nihil gratius, nihilque optabilius esse potest, quam Dei gloriam amplificare, atque animarum saluti omni ope et opera prospicere, ea spe freti fore ut ex eadem congregatione et sodalitate spiritualia bona et commoda in illos populos redundent, eiusque precibus annuendum existimavimus. Quamobrem omnes et singulos quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, institutionem congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii a commemorato Episcopo in civitate de Pasto Quitensis dioecesis in Indiis Occidentalibus, itemque sodalitatis seu confraternitatis, de quibus habita mentio est, eadem plane ratione et modo quibus a commemorato Episcopo tum congregatio tum sodalitas excitatae fuerunt, suprema auctoritate nostra apostolica hisce literis approbamus et confirmamus, et, quoties opus fuerit, eadem auctoritate nostra congregationem et sodalitatem praedictas erigimus et constituimus. Praeterea beneficia beneficiis cumulare volentes, privilegia omnia et exemptiones atque indulta quaecumque variis temporibus ab hac Apostolica Sede congregationi oratorii Romae concessa, ac etiam Limanae impertita apostolicis literis Clementis XII. praedecessoris nostri sexto kalendas maii anno millesimo septingentesimo trigesimo sexto datis, quarum initium *Militantis Ecclesiae regimini*, dummodo tamen sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, et constitutionibus quoque apostolicis ac Concilii Tridentini decretis non adversentur, harum literarum vi eidem congregationi in civitate de Pasto institutae tribuimus atque impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Haec concedimus atque indulgemus, volumus et mandamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque omnibus et singulis, ad quos spectat et in posterum spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus, si opus fuerit, fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non commemoratae congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die II. dec. MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

LXXIX.

Erigit Vicariatum Apostolicum in insula Ceylan in Indiis Orientalibus, et vic. sedem constituit in urbe Columbi.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ex munere pastoralis ministerii superna Dei providentia humeris nostris impositi non leve sane totius dominici gregis onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae religionis atque unitatis est centrum, longe dissitas incolunt, maiori quidem vigilantia consulendum esse censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile ad pascua coelestia vocari valeant, feliciterque perduci.

Ratio concessionis.

§ 2. Hinc quum ad religionis catholicae incrementum in insula Ceylan procurandum, atque ad ecclesiastici regiminis formam in eadem insula rite statuendam, opportunum atque utile in primis esse exploratum sit, ut vastissima illa insula in Vicariatum Apostolicum erigatur, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio memoratam insulam in peculiarem Vicariatum Apostolicum erigendam esse censuimus.

Tenor concessionis.

§ 3. Motu igitur proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi, insulam Ceylan in peculiarem et distinctum Vicariatum Apostolicum erigimus, et in eo Vicarium Apostolicum constituimus, cuius sedes in civitate Columbi esse debebit, et limites eiusdem vicariatus, ipsi amplissimae illius insulae fines cum suis pertinentiis. Ipsi autem Vicario ab hac Sancta Sede adlegendo omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas, eadem auctoritate nostra concedimus et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Haec statuimus atque decernimus, volentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus, quoties opus fuerit, nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ceterisque etiam speciali et ex-

pressa mentione et derogatione dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die III. dec. MDCCCXXXIV., pontificatus nostri anno IV.

LXXX.

Revocatio literarum apostolicarum Urbani VIII., quibus ob gravia temporum adiuncta concesserat, ut seminariorum seu collegiorum Hiberniae extra Hiberniam existentium alumni sine literis dimissoriis propriorum Ordinariorum possent ad sacros ordines promoveri.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Ea semper providentissima fuit Sedis Apostolicae cura, ut, si quando Ecclesiae catholicae bonum requirere videretur regulas ad disciplinam spectantes temperare, id libenter, habita temporum ratione, concederet.

Expositio concessionis factae ab Urb. VIII.

§ 2. Talem fuisse reperimus adhibitam ab Urbano VIII. fel. rec. praedecessore nostro agendi rationem, ut religionis utilitati in Hibernia consuleret, quae aetate sua in eo regno magna calamitate afficiebatur, qua illud et infeliciter eveniebat, ut catholici Antistites difficilem cum clero ac populo suo communicationem haberent. Ne enim ea de causa vel retardarentur, vel impedirentur sacerdotum ordinationes, qui in Hibernia sacro ministerio fungi debebant, literis apostolicis sexto idus iulii anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti datis, quae incipiunt *Piis christifidelibus,* permisit, ut Hibernensium seminariorum alumni, quae in Hispania, Gallia, Flandria, atque alibi iam erecta erant, vel quae in posterum erigenda essent, etiam sine literis dimissorialibus propriorum ordinariorum, sed cum literis testimonialibus rectorum seminariorum vitae et morum pietatem, peritiamque probantibus, ad omnes minores et sacros ordines usque ad presbyteratum inclusive possent promoveri. Fuit hoc catholicis Hiberniae Antistitibus gratum. Praedecessor enim noster Urbanus VIII. ad id consilii capiendum, quod necessitas suadebat, adductus est etiam precibus Archiepiscopi Dublinensis, qui hoc loco ab Apostolica Sede petierat.

Ratio decernendae revocationis.

§ 3. Constat vero Pontificem facultatem illam concedendo, temporario tantum indulto, quod rerum adiuncta postulabant, Ecclesiae bono in Hibernia prospicere voluisse. Quoniam vero nunc summo Dei optimi maximi beneficio Ecclesia catholica in Hibernia tranquillitatem recuperavit, eaeque causae quibus memorata superius apostolica facultas concessa fuit, esse desierunt, Archiepiscopis ipsis atque Episcopis Hiberniae ita precantibus, statuimus declarandum indultum ab Urbano VIII. concessum effectum in posterum habere amplius non debere.

Tenor revocationis.

§ 4. Itaque primum decernentes pontificium nationis illius collegium in urbe constitutum, hoc nostro mandato ac declaratione non comprehendi, cuius collegii privilegia ab Apostolica Sede tributa sarta tectaque esse debere statuimus, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, matura ex scientia ac deliberatione nostra, facultatem a praedecessore nostro Urbano VIII. Hibernensium seminariis elargitam revocamus, vel cessasse declaramus. Constitutionem igitur eiusdem Pontificis pro temporum necessitate datam abrogantes, decernimus seminaria Hibernensium, in Gallia, Hispania, Flandria vel alibi erecta ac erigenda imposterum non gaudere amplius indulto, ut eorum alumni sine propriorum Ordinariorum dimissorialibus literis et cum solis testimonialibus literis rectorum ordinari possint, sed debere omnes et singulos alumnos, qui ad ordines promovendi sunt, Ordinariorum suorum dimissiorales literas impetrare, atque eas Episcopo a quo ordinandi sunt exhibere.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 5. Haec volumus atque mandamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus memoratis literis Urbani VIII. praedecessoris nostri datis

die sexto idus iulii anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die x. aprilis MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno v.

LXXXI.

Encyclica ad Archiepiscopum Baltimorensem et Episcopos eius suffraganeos, de synodi secundae Baltimorensis provincialis celebratione.

Venerabilibus fratribus Iacobo Archiepiscopo Baltimorensi, et eius suffraganeis,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Perlatae dudum ad nos fuerunt epistolae vestrae, una cum decretis concilii provincialis proximo anno a vobis celebrati, quae auctoritati nostrae apostolicae obsequentissimo, ut par erat, animo subiecistis. Haec omnia expensa nobis iubentibus sunt a nostra Propagandae Fidei Congregatione, quae opportunum vobis dabit circa illa responsum. Accipietis simul apostolicas nostras literas super nonnullis eorum, quae statuistis seu postulastis. Verum et voluimus nostrum erga vos studiosissimum animum hac item epistola declarare. Siquidem ex memorata synodo, atque ex iis, quae ad nos hac occasione scripsistis, mirifice confirmata est, quae de vestro pro Dei honore, animarumque salute spectatissimo zelo et singulari erga communem omnium ecclesiarum matrem ac magistram Romanam Sedem obsequio nobis iamdiu insita erat existimatio, eoque ipso auctam in nobis sensimus caritatem illam, qua fraternitates vestras effuse in Domino prosequebamur. Pergite itaque, ut facitis, venerabiles fratres; et quoniam iustorum semita crescit usque ad perfectam diem, urgete alacriori quotidie sedulitate saluberrimam talentorum negotiationem, quae est de animabus Christo lucrandis; vigilate super creditas vobis dominicae vineae partes, plantate, rigate in spe ac patientia; nihil quidem vestris tribuentes viribus, sed omnia ad eius gloriam referentes, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate. Ita de fructu pastoralis curae in multorum salutem amplificato gaudebitis, ac per bona opera vestram vocationem et electionem facientes, uberrimam accipietis in aeternitate mercedem. Ad nos quod attinet, persuasum habetote, venerabiles fratres, auctoritatem et studia nostra nunquam, quantum cum Domino poterimus, esse vobis defutura. Ac fraternitatibus vestris novam semper virtutem ex alto implorantes, pignus nostrae praecipuae benevolentiae apostolicam benedictionem, cum creditis etiam fidei vestrae ovibus communicamdam, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXIII. aprilis MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno v.

LXXXII.

Deputatio visitatoris apost. in patriarchatu Chaldaeorum.

Venerabili fratri Ioanni Baptistae Auvergne Archiepiscopo Iconiensi Vicario Apostolico Alepi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Inter praecipuas apostolici officii curas, quibus incessanter perfungimur, illud magnopere animum nostrum promovet, ut prospiciamus ne in regionibus ab Apostolica Sede valde remotis religionis necessitati opportuno tempore ob nimiam locorum distantiam occurrere non possimus. Neque enim ignoramus, remedia, quae maturo tempore allata magnam utilitatem afferrent, vix ullam parere posse, si nimis aliquando retardentur. Prooemium.

§ 2. In hac animi nostri sollicitudine, non potuimus diutius abstinere aliis providendis, quae in regionibus Patriarchae Babylonensi Chaldaeorum catholico subiectis, infelix Ecclesiae praesens conditio Ratio concessionis.

requirit. Nam vel a tempore, quo nos sacro consilio christiano nomini propagando praeeramus, operam impense dederamus, ut sublata animorum discordia, quae iamdiu inter ecclesiastici ordinis viros in iis regionibus excitata erat, catholicae religionis negotia rite recteque ibi pertractarentur. Ac speravimus in primis id esse eventurum, cum fel. rec. Pius VIII. praedecessor noster rebus omnibus accurate perpensis, venerabilem fratrem Ioannem Hormez Archiepiscopum Mosulensem Patriarcham Chaldaeorum Babylonensem confirmavit, eique pallium de divi Petri corpore sumptum concessit. Iure enim existimavimus, futurum, ut regiminis forma rite constituta, omnia ad rectum ordinem revocarentur. Verum neque id tunc contingit, neque posterioribus temporibus, cum licet immerentes ad divi Petri cathedram evecti fuimus. Doluimus enim neque dissidium esse deletum, postquam omnibus innotuerat quisnam a Sede Apostolica; veluti totius gentis catholicae Patriarcha haberetur, neque prudentissima ea, quae nostra Congregatio Propagandae Fidei statuerat ad omnia tranquille componenda, satis esse potuisse, ut querelarum et discordiae finis esset. Imo vero quotidie magis perspeximus, in iis locis, in quibus messis multa esse posset, inimicum hominem superseminare zizaniam, ne catholica fides ibi incrementum capiat; atque ingemuimus interea, disciplinam ecclesiasticam everti, morum integritatem in summum discrimen vocari, religionis studium ubique deficere. Commiseramus quidem venerabili fratri Petro Marcellino Bonamie, quem Bagdati, seu Babylonis Episcopum latini ritus instituerámus, ut tamquam delegatus apostolicus rebus ecclesiasticis Chaldaeorum nationis praeesset. Sed cum deinde ob graves causas fuerimus adducti ad ratam habendam abdicationem episcopatus illius, quam nobis ipse obtulit, et ad archiepiscopatum Smyrnensem ei conferendum, eius opera ad Chaldaeorum negotia moderanda uti revera non potuimus.

Tenor concessionis.

§ 3. Rebus igitur ita se habentibus, atque in tanta religionis apud illam gentem adiuvandae necessitate, de consilio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, statuimus atque decrevimus, te venerabilem fratrem apostolicum visitatorem totius patriarchatus Chaldaeorum constituere cum iis omnibus iuribus, privilegiis et auctoritate, quae huius muneris propria sunt. Volumus ergo te, cuius peritia in gravibus rebus gerendis, pietas, ac religionis boni procurandi studium nobis notissimum est, iter ad eas regiones suscipere atque eo profectum omnia inquirere, quae dissidiorum causa fuerunt, conari ut ecclesiastica disciplina in pristinum restituatur, et pax atque tranquillitas inter Patriarcham et Episcopos instauretur, stabiliendo denique atque regendo monachorum statui consulatur. Nostra vero Congregatio de Propaganda Fide instructionem de his rebus apposite tibi communicabit. Si qua tamen gravioris momenti, et excelsioris auctoritatis digna decernenda existimaveris, ea iudicio nostro confirmanda reservamus. Age igitur, venerabilis frater, omnique mora seposita in id incumbe, ut commissum hoc tibi ab Apostolica Sede gravissimum munus diligenter impleas. Accedet enim hoc, veluti novum ceteris meritis tuis incrementum, et nova haec erit occasio, ut de Christi Ecclesia optime merearis.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die xxv. sept. MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno v.

LXXXIII.

Cum universo Helvetiae clero conqueritur de conventu Badensi a quibusdam laicis habito contra Ecclesiae constitutionem, et errores in eo ab eis adfirmatos damnat (1).

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Commissum divinitus humilitati nostrae apostolici officii munus omnino postulat, ut assidue ad custodiam gregis Domini vigilantes illuc praesertim studia et cogitationes omnes intendamus, opem quoad possumus allaturi, ubi aeterna ovium salus, ac ipsa catholica religio periclitari videatur. Multa autem inimicos homines

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

callide, neque irrito conatu in istis regionibus moliri, quae in apertam christiani gregis perniciem, reique catholicae detrimentum vergant, nos minime ignoramus atque adeo vehementissime dolemus. Quem quidem dolorem illud etiam exasperat quod ii, ad incautos decipiendos, haud quaquam se fidei integritati detrahere velle profiteantur, idque unum sibi propositum esse simulent, ut scilicet iurium ad potestatem laicam pertinentium indemnitati consulant: hoc tamen fallacissimo rationis publicae obtentu erroneas ac pravas, quas sequuntur doctrinas, qua insinuare lateque propagare, qua constabilire et quodammodo sancire enitantur: hinc conventus indicere, consultationes habere, certamque normam audent conflare, qua secularis potestatis in ecclesiasticis negotiis partes temere declarentur ac definiantur. Intelligitis iam venerabiles fratres, dilecti filii, de iis nos loqui, quae mense ianuario elapsi anni in urbe Bada Pagi Argoviensis nefarie gesta vel potius perpetrata sunt; quaeque vos ipsos acerbissimo confecerunt moerore, anxiosque adhuc et solicitos habent. Dissimulare quidem non possumus adduci nos initio nequivisse, ut crederemus laicos homines non alia mente simul in statum locum convenisse nisi ut res, quae religionem respiciunt, pertractarent, eoque progredi voluisse, ut non solum de pluribus ecclesiasticae unius potestatis propriis iure veluti suo deliberarent, sed suscepta insuper consilia confirmanda, et vi legis munienda iis offerrent, qui in foederatis istis ditionibus civilium rerum summam administrant. At rem certam nimis exploratamque nobis fecerunt ipsa memorati conventus acta, quae nuper Gynopedii (Frawenfeld) typis edita sunt, quaeque tum nomina virorum, qui delecti conventui adfuerunt, tum sermones ab nonnullis ex iis in pluribus sessionibus prolatos, tum demum confectos ibidem articulos integre exhibent. Perhorruimus vero sive sermones sive articulos hosce perlegentes, et eiusmodi in iis contineri principia, easque inde in catholicam Ecclesiam induci novitates intelleximus, quae utpote illius doctrinae ac disciplinae repugnantes, aperteque ad perniciem animarum pertinentes, ferri nullo modo possunt.

Ius leges ferendi a Chr. D. Ecclesiae tradita.

§ 1. Profecto qui omnia sapientissime fecit, ac providentissima ordinatione disposuit, is voluit ut multo magis in Ecclesia sua vigeret ordo, et alii quidem praeessent atque imperarent, alii subessent et parerent. Habet propterea Ecclesia ipsa ex divina institutione potestatem non magisterii solum, ut res fidei et morum doceat ac definiat, sacrasque litteras absque ullo erroris periculo interpretetur; verum etiam regiminis, ut quos semel gremio suo excepit filios, in tradita doctrina contineat et confirmet, legesque ferat de iis omnibus, quae ad animarum salutem, sacri ministerii exercitium ac Dei cultum attinent: quibus legibus quisquis obsistat, gravissimi se reum criminis faciat. Atque haec docendi iubendique potestas in iis quae religionis sunt a Christo Sponsae suae tributa non modo ita eius pastorum ac praesulum propria est, ut ad civilis reipublicae magistratus nullo pacto possit pertinere, sed insuper libera omnino, et terrenae cuiquam dominationi minime obnoxia. Neque enim seculi principibus, bene vero Apostolis eorumque in officio successoribus revelatae doctrinae depositum commisit Christus, hisque tantum dixit *qui vos audit me audit, qui vos spernit, me spernit.* Neque ex placito laicae potestatis, sed ea etiam invita evangelium annuntiaverunt, Ecclesiam propagarunt, disciplinam statuerunt iidem Apostoli: quin imo cum principes synagogae silentium ipsis ausi fuissent indicere, Petrus et Ioannes evangelica usi libertate responderunt: *si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate.* Nonnisi igitur laesa fide, planeque perturbata divina Ecclesiae constitutione, naturaque regiminis, fieri potest ut ulla in eam seculi dominetur potestas, aut eius doctrinam moderetur, vel impediat quominus leges ad sacrum ministerium, divinum cultum, et spirituale fidelium commodum spectantes ferat ac promulget. Firma haec sunt, immobilia, et veterum, quotquot fuerunt, patrum auctoritate ac traditione suffulta. *Ne te rebus misceas ecclesiasticis,* ad Imperatorem Constantium scribebat Osius Cordubensis Episcopus, *nec nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas: Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue, ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni crimiuis reus fias.* Norunt id etiam ac palam fateri gloriosum sibi duxerunt christiani principes, inter

quos magnus ille Basilius Imperator ita in octava synodo loquutus est: *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem movere. Hoc investigare et quaerere Patriarcharum, Pontificum et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi et solvendi potestatem habent, qui ecclesiasticas et coelestes adepti sunt claves: non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus.*

Conventus Badensis errores de Eccl. potestate.

§ 2. Atqui tamen longe aliter in Badensi conventu deliberatum est, quique inde prodierunt articuli sanam de potestate ecclesiastica doctrinam labefactant, Ecclesiamque ipsam in probrosam adducunt iniustamque servitutem: ea siquidem vel in dogmaticis decretis evulgandis potestatis laicae arbitrio subiicitur, et quas de disciplina tulerit leges, omni vi effectuque carituras edicitur, nisi ex secularis auctoritatis consensu fuerint promulgatae; addito etiam proposito de poenis adversus eos qui secus fecerint statuendis. Quid? eidem civili potestati libera datur facultas synodorum, quas dioecesanas dicimus, celebrationi singulis vicibus vel annuendi, vel adversandi, in ipsasque synodos inspiciendi; seminariis praesidendi, rationemque interni eorum regiminis a sacris praesulibus statutam confirmandi; clericos, facto scientiae periculo, ecclesiasticis muneribus deputandi; religiosam ac moralem populi institutionem regendi; omnia demum quae externam, ut aiunt, Ecclesiae disciplinam respiciunt, quamquam spiritualis indolis ac naturae sint, atque ad Dei cultum et animarum salutem referantur, moderandi.

De sacramentorum administrationis libertate.

§ 3. Nihil vero est quod magis Ecclesiae proprium, eiusque pastoribus arctius reservatum voluerit Christus, quam sacramentorum abs se institutorum dispensatio, cuius quae sit ratio servanda, ad eos solummodo pertinet iudicare, quos ille operis sui administros in terris constituit. Nefas proinde, si in sanctissimo eo munere aliquid sibi civilis potestas vindicet; nefas si circa illud quidpiam statuat, aut sacrorum ministris praecipiat; nefas si quid legibus suis adnitatur adversus regulas de divinis mysteriis christiano populo impertiendis sive scripto consignatas, sive voce traditas et ad nos usque ab Ecclesiae primordiis transmissas. *Nosti,* inquiebat S. Gelasius praedecessor noster in sua ad Anastasium Imperatorem epistola, *nosti, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis expetis: inque sumendis coelestibus sacramentis, eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse. Nosti itaque inter haec ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi potestatem.* Attamen, quod incredibile prorsus ac portenti loco esse videtur, eo usque in Badensi conventu progressum est, ut vel in ipsam Sacramenta dispensandi rationem seculari auctoritati ius et officium fuerit attributum. Huc sane spectant, qui ibidem de magno in Christo et Ecclesia matrimonii sacramento temerario ausu conscripti sunt, articuli: huc favor apertissime decretus mixtis nuptiis contrahendis: huc necessitas parochis catholicis imposita iisdem nuptiis benedicendi, omni religionis inter coniuges discrimine prorsus neglecto: huc demum severae poenarum comminationes adversus eos adhibitae, qui id facere detrectaverint. Quae quidem omnia non ea tantum de causa sunt merito exprobranda, quod civilis potestas de sacramenti divinitus instituti celebratione leges ferat, sacrisque pastoribus tanta in re audeat imperare; sed ex eo etiam acrius sunt reprehendenda, quod absurdissimam impiamque *indifferentismi,* ut vocant, opinionem foveant, imo illi necessario innitantur; ac praeterea catholicae veritati doctrinaeque Ecclesiae manifestissime adversentur, quae mixta connubia tum ob flagitiosam in rebus sacris communionem, tum ob grave catholici coniugis perversionis periculum, pravamque nasciturae sobolis institutionem, detestata perpetuo est semperque interdixit; nec unquam ea ineundi liberam tribuit facultatem, nisi adiectis conditionibus, quae deformitatis et periculi causas ab ipsis arcerent.

De Ecclesiae libero ministerio.

§ 4. Quam autem Christus Ecclesiae suae contulit administrandae religionis, christianaeque societatis regendae summam et civili minime obnoxiam potestatem, eam, ut Apostolus ad Ephesios scribens disertissime docet, in bonum unitatis instituit. At quae esset haec unitas,

nisi unus toti Ecclesiae fuisset praepositus, qui illam tueretur et custodiret, quique omnia eiusdem Ecclesiae membra una fidei professione coniungeret, uno caritatis et communionis vinculo copularet? Illud omnino divini sapientia legislatoris postulabat, ut visibili corpori visibile caput praeficeret, quo scilicet *constituto, schismatis tolleretur occasio*. Quamobrem licet Episcopis omnibus, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, communis sit dignitas, et in his quae sunt ordinis aequa potestas, non est tamen omnium unus in hierarchia gradus, aut par iurisdictionis amplitudo. *Siquidem et inter beatissimos Apostolos,* verbis utimur S. Leonis Magni, *in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut ceteris praeemineret..... quia ita evangelici muneris sacramentum voluit Dominus ad Apostolorum officium pertinere, ut in Beato Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocarit.* Quod ergo uni ex omnibus Apostolis Petro concessit, cum claves Regni Coelorum illi promisit, et agnos ac oves pascendi, confirmandique fratres munus demandavit, id in commodum Ecclesiae suae usque ad consummationem seculi permansurae patere voluit ad successores Petri, quos aequali iure eidem Ecclesiae praeposuit. Haec semper fuit catholicorum omnium concors et firma sententia; hoc fidei dogma est, Romanum Pontificem B. Petri Apostolorum Principis successorem primatum non solum honoris, sed auctoritatis etiam ac iurisdictionis in universa Ecclesia obtinere, atque adeo ipsos Episcopos illi esse subiectos. Sanctae idcirco Petri Sedi, Romanae nempe Ecclesiae, ut idem S. Leo pergit, *ita omnem per orbem Ecclesiam necesse est consociari, et tamquam ad catholicae unitatis et communionis ecclesiasticae centrum concurrere, ut exsortem se mysterii intelligat esse divini, qui ausus fuerit a Petri soliditate recedere. Quicumque,* subdit S. Hieronymus, *extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in hac Noe Arca non fuerit, peribit regnante diluvio:* et sicut qui cum Christo non colligit, ita quisquis non colligit cum eius Vicario, plane dispergit.

De iure liturgico Ecclesiae.

§ 5. Quomodo autem cum Christi Vicario colligat is, qui sacram illius auctoritatem pessundet, iuraque infringat, quibus propterea ipse potitur quod caput Ecclesiae centrumque unitatis est, quod primatum obtinet ordinis ac iurisdictionis, quod plenam pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam divinitus traditam habet potestatem? At, illacrymantes quidem dicimus, id quoque ausum in Badensi conventu est. Romanus Pontifex tantum, non quilibet Episcopus, potest proprio ac nativo iure dies ab Ecclesia festis celebrandis, servandisque ieiuniis constitutos transferre, sacrique audiendi praeceptum abrogare: quemadmodum et in constitutione *Auctorem fidei,* a Pio VI. sa. me. praedecessore nostro die XXVIII. augusti anni MDCCXCIV. edita, fuit adversus Pistorienses aperte definitum. Contraria tamen sunt, quae in Badensibus articulis continentur, quaeque ex eo etiam sunt perniciosiora, quod circa eiusmodi caput, utpote disciplinam attingens, ius civili potestati fuerit indiscriminatim assertum atque expresse reservatum. Nec minus Romanis Pontificibus peculiare ius inest regulares familias ab Episcoporum iurisdictione eximendi, sibique subiiciendi: quo iure ab antiquissimis temporibus usi illi certissime sunt. Atqui huic etiam iuri manifestissime detrahunt Badensis conventus articuli. Sane, nec facta mentione veniae ab Apostolica Sede necessario implorandae et obtinendae, statutum est, ut ab seculari potestate ea suscipiantur consilia, quibus, abolita Coenobiorum quae sunt in Helvetia exemptione, ordinariae Episcoporum auctoritati regulares familiae subdantur. Quibus et illa sunt adiungenda quae de iuribus Episcoporum, qua latissime patent, exercendis sancita sunt, quaeque si penitius considerentur et ad principia referantur ex quibus confecti in eodem conventu articuli dimanant, innuere videntur, Episcoporum iurisdictionem iustis licet de causis non posse aut non debere suprema Romani Pontificis auctoritate coerceri, ac quibusdam limitibus quandoque circumscribi. Nec praetereunda quae sive de Metropolitanae Sedis erectione, sive de nonnullis ex istis dioecesibus alteri cathedrali Ecclesiae extra fines Helveticos positae coniungendis, tractata ac proposita sunt. Quamquam enim ea in re Apostolicae Sedis iurium aliqua fuerit habita ratio, non ea tamen haec esse intelligitur, quam vis et natura divini primatus postulabat: ibi namque perinde actum est ac si liberum omnino esset civili potestati de gravissimis iis ca-

pitibus ea iure suo constituere, quae spiritualibus populi necessitatibus censeat expedire. Mittimus alia multa, quae taedet singillatim recensere: quae tamen non leviorem inferunt sanctae huic Petri Cathedrae iniuriam, eiusque dignitatem auctoritatemque imminuunt, violant, contemnunt.

Conventum Baden. damnat.

§ 6. Haec cum ita sint, in tanta et tam aperta sanae doctrinae iurisque ecclesiastici perturbatione, in tanto et tam gravi rei catholicae in istis regionibus discrimine, nostrarum partium fuisset, habito vix Badensi conventu, vocem de monte hoc sancto tollere, quique in illo concinnati sunt, articulos palam arguere, reprehendere, damnare. Nec alia profecto de causa nostrum de ipsorum pravitate iudicium hactenus distulimus, nisi quod futurum sperabamus, ut non modo rati non haberentur, sed reiicerentur prorsus ac improbarentur ab iis, qui civilibus administrandis negotiis istic praesunt. At cum res maxima ex parte ad votum non successerit, quin imo dolentes summopere acceperimus latas alicubi fuisse leges, quibus iidem articuli confirmantur ac publica sanctione muniuntur: cumque magistri et doctoris universalis personam, meritis licet imparibus, gerentes illud sedulo cavere debeamus, ne quis ex ratione nostra in errorem misere inducatur, saepiusque memoratos Badensis conventus articulos Ecclesiae doctrinae ac disciplinae minime repugnantes existimet; cunctari et silere diutius non posse probe intelleximus. Ut autem ex Sanctae huius Sedis instituto res gravissimi momenti quam consultissime ageretur, eos ipsos articulos accuratissimo examini subiici voluimus. Auditis itaque consiliis, acceptisque suffragiis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ex Congregatione ecclesiasticis negotiis curandis praeposita, nec non re omni per nos serio ac mature perpensa, motu proprio et certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictos Badensis conventus articulos ceu continentes assertiones, attenta praesertim sententiarum complexione, falsas, temerarias, erroneas, Sanctae Sedis iuribus derogantes, Ecclesiae regimen ac divinam eius constitutionem evertentes, ecclesiasticum ministerium seculari dominationi subiicientes, ex damnatis principiis dimanantes, haeresim sapientes, schismaticas, reprobamus, damnamus, et tamquam reprobatos ac damnatos perpetuo habendos decernimus.

Clerum Helvetiae laudat de zelo, et hortatur ut seductos et deceptos ab errore revocent.

§ 7. Quod quidem dum pro apostolici officii munere palam ducimus significandum, id reliquum esse videtur, ut vos paterno affectu alloquamur, qui in partem illius procurationis estis adsciti, cuius plenitudinem nobis omnino immerentibus pastorum princeps tradidit. Quantis, VV. FF., tot inter mala quibus catholica Ecclesia miserrimis hisce temporibus fere ubique oppressa ingemiscit, cor nostrum prematur angustiis; quantamque potissimum ex iis, quae recens istic in eius perniciem tentata audacissime sunt, ceperimus tristitiam, satis vobis coniicere licet, nec adeo necesse est ut pluribus explicemus. Haud sane dissimulamus dolori nostro non exiguum levamen attulisse, quae de vestra in catholica re tuenda, gregisque fidei vestrae concrediti salute curanda nuntiata identidem fuerunt. Idcirco Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis, qui nos eiusmodi tribulationi obnoxios consolatur in vobis, benedicimus ex animo. Verum non quod opus esse arbitremur, sed quod periculi gravitas id exposcit, non possumus quin vestri in religionem zeli constantiam excitemus, atque ut quo acriores sunt hostium impetus, eo impensiori studio Dei et Ecclesiae causam agatis, vehementissime adhortemur. Ad vos maxime pertinet stare pro muro, ne fundamentum aliud ponatur praeter id quod positum est, sanctissimumque fidei depositum intemeratum custodire ac tueri. Sed est et aliud depositum, quod firmissime defendere ac integrum servare debetis, sacrarum scilicet Ecclesiae legum, quibus disciplinam suam ipsa constituit, eiusque praeterea ac huius Apostolicae Sedis iurium, quibus Christi Sponsa terribilis ut castrorum acies ordinata consurgit. Agite ergo, VV. FF., pro loco, quem tenetis, pro dignitate qua insigniti estis, pro potestate quam accepistis, pro sacramento quo in solemni inauguratione vos ipsos obligastis. Exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei; arguite, obsecrate, increpate in omni patientia et doctrina; atque ita demum pro catholica religione, pro divina Ecclesiae potestate ac legibus, pro Petri Cathedra, eiusque dignitate ac iuribus laborate atque contendite, *ut non solum qui recti sunt incolumes perseverent, sed etiam ut qui seductione decepti sunt ab errore revocentur.*

Verbi divini præcones ad id compellit.

§ 8. Atque ut huiusmodi curis ac laboribus per VV. FF. nostros suscipiendis optatissimus exitus respondeat, vos etiam compellamus, quotquot sub illis estis sacrorum ministri, animarum curatores, verbi divini praecones. Vestrum omnino est una cum iis voluntate coniungi, uno eodemque studio inflammari, una animorum consensione in id conspirare, ut fidelis populus ab omni ingruentium malorum contagione errorisque periculo sit prorsus immunis. Satagite, dilecti filii, ut omnes unum et idem sentiant, doctrinis variis et peregrinis nullo modo se sinant abduci, profanas novitates devitent, fidem catholicam quam cautissime teneant, Ecclesiae potestati et auctoritati perpetuo subsint, atque huic Cathedrae, quam Redemptor fortis Iacob posuit in columnam ferream et in murum aeneum adversus religionis hostes, firmius in dies adhaereant et consocientur. Quos autem in Christi et Ecclesiae lege erudiendos susceperitis, illo simul gravissimo praecepto imbuendos curate, seculi etiam potestati esse parendum, latisque ab ipsa legibus de his, quae ad civilis reipublicae bonum spectant, non solum propter iram, sed et propter conscientiam esse obsequendum, nec licere unquam ab fide illi debita turpiter deficere. Cum ita populorum animi fuerint opera vestra instituti, tum optime et civium tranquillitati, et Ecclesiae utilitati, quae separari invicem nequeunt, consuletis.

Divinam opem implorat.

§ 9. Perficiat vota haec nostra benignissimus Deus, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum; idemque bonorum, quae isti catholici gregis parti cupidissime expectamus, auspicem velit esse apostolicam benedictionem nostram, quam vobis VV. FF. et DD. FF. cum fideli populo communicandam amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum XVI. kalendas iunias anno MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno V.

LXXXIV.

Deputatio visitatoris apostolici omnium religiosorum ordinum extantium in nova Granata.

Ven. fratri Emmanueli Iosepho Mosquera Archiepiscopo s. Fidei in Indiis,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Cum in sublimi Apostolicae Sedis specula, nullis certe nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio collocati de universi dominici gregis salute summopere solliciti esse debemus; tum singulari sane studio, ac vigilantia regularium ordinum bono, pro viribus prospiciamus oportet, ut eorum alumni coelestis vocationis spiritum nunquam extinguant, sed virtutum omnium ornatu praefulgeant, atque aemulentur semper charismata meliora. Quocirca, ubi novimus religiosas familias temporum calamitate ac rerum vicissitudine ab avito splendore deficere, omni quidem ope et opera ea peragenda curamus, quae ad regularem illarum disciplinam instaurandam pertinere posse censemus.

Ratio concessionis.

§ 2. Hac certe mente pastoralis nostrae sollicitudinis curas ad omnes religiosos ordines, qui in nova Granata existunt, convertimus, eorumque incommodis, quantum in nobis est, occurrere vehementer optantes, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis ecclesiasticis praepositorum consilio visitatorem, et delegatum apostolicum super eorumdem regularium ordinum rebus constituere decrevimus. Eiusmodi vero gravissimum munus tibi, venerabilis frater, committendum existimavimus, ea profecto spe freti fore, ut singulari tua prudentia, doctrina, pietate, ac diligentia nihil inexpertum relinquas, quod in illorum regularium ordinum bonum atque utilitatem redundare possit.

Tenor concessionis.

§ 3. Itaque hisce literis auctoritate nostra apostolica te, venerabilis frater, ad nostrum, et huius Apostolicae Sedis beneplacitum, delegatum et visitatorem apostolicum omnium regularium ordinum, qui in nova Granata extant, eligimus, constituimus et deputamus. In primis igitur te ea facultate praeditum esse volumus, cuius vi, singulas quasque religiosas familias visites, et earum omnia coenobia, hospitia, collegia, conventus, eremos, domos in eadem nova Granata existentes, in quibus vel domicilium habeant, vel per

brevi anni tempore morentur viri religiosi cuiusque ordinis et congregationis, quamvis eremitarum vel oblatorum nomine appellentur, qui regularem vitam quomodolibet profiteantur, et habitu utantur regulari. Atque idcirco eadem auctoritate nostra omnem exemptionem, uti vocant, penitus auferimus, quae ab huius Apostolicae Sedis privilegio seu a conciliorum decretis, et constitutionibus ac peculiaribus cuiusque instituti regulis originem ducens, religiosis ipsis favere possit, quae quidem exemptio nullius roboris erit, quoad huiusmodi visitatio et apostolica delegatio erit duratura. Prohibemus propterea atque vetamus a quoquam in medium proferri posse quascumque exemptiones et privilegia, quae vel imminuere, vel quavis ratione impedire possent, quominus hae literae suum obtineant effectum.

Praeceptum de obediendo singulis religiosis porrectum.

§ 4. Nos enim eadem auctoritate nostra apostolica omnibus et singulis regularibus, qui in nova Granata existunt, etiam superioribus, eorumque officialibus, ministris, non exemptis syndacis apostolicis ordinis mendicantium, in virtute sanctae obedientiae praecipimus atque iubemus, te in nostrum delegatum et visitatorem apostolicum agnoscere, excipere et vereri, tibique debitum praebere obsequium, sublata cuilibet ex superioribus cuiusque regularis ordinis generalibus potestate quidpiam per se, vel per alios, sive in scriptis, sive voce mandandi, consulendi, decernendi, quod retardare, imminuere vel directe aut indirecte tenuare possit huius delegationis et apostolicae visitationis effectum.

Facultates visitatori tributae.

§ 5. Quare tibi, venerabilis frater, in regulares commemoratae novae Granatae eam omnem facultatem tribuimus, qua supremi moderatores seu generales cuiusque regularis instituti fruuntur, proindeque, tibi fas erit licite et valide tam pro exteriori, quam interiori conscientiae foro in illos eam adhibere iurisdictionem, quae ad ipsos superiores seu ordinarios pertinebat. Peculiari autem te facultate munimus, qua confirmes omnia et singula acta comitiorum seu capitulorum provincialium quae habita fuerint, etiam quoad graduum collationem, dummodo in iis celebrandis conficiendisque, saltem substantialia sint servata, quae sacri canones, et cuiusque regularis instituti constitutiones praecipiunt. Nam si secus actum fuerit, ea nulla et neutiquam valida tibi declaranda erunt, et ad sacrorum canonum atque earumdem constitutionum normam reducenda, praesertim iuxta decretum a Concilio Tridentino editum sessione xxv. Nolumus tamen aliqua te uti iurisdictione et facultate in moniales, nisi in eas tantum, quae regularium praelatorum potestati subiiciebantur, salvo prorsus iure atque auctoritate in reliquas, si existant, ad formam eiusdem Tridentini decreti, singulorum Ordinariorum, quorum subiiciuntur iurisdictioni. Ut autem, venerabilis frater, salutaria possis adhibere remedia malis, quae apud regulares inveneris, tibi eadem auctoritate nostra apostolica, potestatem tribuimus, qua regulares professiones non rite emissas, electiones a provincialibus et cuiusque coenobii, seu domi moderatoribus non legitime factas confirmes, missarum onera etiam manualium minime impleta per condonationem seu compositionem, prout magis in Domino expedire putaveris, remittas, ac iustis gravibusque de causis, iisque permanentibus cuiusque pii legati et cappellaniae onera futuris temporibus servato modo et forma a fel. rec. Benedicto XIV. praedecessore nostro in opere de synodo dioecesana lib. XIII., cap. XXIII. tradita reducas et imminuas, atque a censuris absolvas, quas regulares ob ipsa missarum onera contraxerint, itemque eos a censuris expedias, quibus devincti fuerint, tum si donarint, vendiderint, permutarint, et quocumque modo res ad regulares domos, vel ipsos religiosos pertinentes alienarint, tum si Simoniaca labe infecti fuerint, vel in superioribus eligendis, vel aliis in rebus peragendis. Ex quibus quidem omnibus venerabilis frater, profecto intelligis huiusmodi gravissimum sane munus tibi a nobis ea mente et consilio concreditum fuisse, ut in nova Granata regularem disciplinam instaures, damnaque omnia, si quae irrepserint, pro viribus amovenda cures. Hoc vero, quo facilius atque commodius consequi possis, potestatem tibi facimus eligendi viros religiosos morum probitate, doctrina, prudentia, et rerum gerendarum peritia spectatos, quorum vicaria utaris opera, vel in omnibus agendis, vel alia tantum in re gerenda apud eas regulares domos seu conventus, quo locorum longinquitate, aliove impedimento tu, venerabilis frater, peragere minime poteris. Tibi igitur fas erit

tam per te, quam per eosdem vicarios visitare tum in spiritualibus, tum in temporalibus, seu oeconomicis omnia et singula coenobia, conventus, monasteria, hospitia, collegia, eremos et quascumque alias domos cuiusque regularis instituti, quae in Nova Granata existunt. Facultates vero, de quibus habita est mentio, poteris vel per te ipsum exercere, vel eas praedictis vicariis conferre cum in singulis casibus, in quibus opus fuerit, tum universim, brevi tamen temporis spatio ex tuo arbitrio praefiniendo.

Conditiones adiectae.

§ 6. Id tamen ea lege concessum volumus, ut ipsi vicarii de earumdem facultatum usu rationem reddere tibi debeant, idque delegationis seu apostolicae visitationis actis erit consignandum. Volumus autem te, tuosque vicarios seu subdelegatos in huiusmodi actis, et facultatum usu, atque exercitio declarare auctoritate apostolica omnia semper egisse. Non dubitamus profecto, quin tu, venerabilis frater, nostrae voluntati nostrisque desideriis quam diligentissime et cumulatissime respondeas, tuamque in mentem revocamus ab ultima antiquitate ad hunc usque diem, omnes Episcopos atque fideles vel ab disiunctissimis etiam regionibus semper consuevisse ad hanc Petri cathedram ecclesiarum omnium caput et matrem atque magistram, et catholicae religionis centrum supplices confugere, ut in dubiis trepidisque rebus Romani Pontificis, qui Christi vicarius et Petri successor, iudicia quaererent, auxilia implorarent et decreta susciperent. Omnia igitur coneris oportet, ut nos omnibus de rebus summa cura et diligentia certiores facias, et gravioribus in negotiis ex more institutoque maiorum hanc Apostolicam Sedem consulas, eiusque sententiam expectes.

Praeceptum de edocenda Sancta Sede in actis visitationis.

§ 7. Tibi autem praecipimus atque mandamus, ut unoquoque triennio eamdem Apostolicam Sedem diligentissime edoceas quomodo se res habeant, atque ad eam apostolicae visitationis seu delegationis tuae acta mittenda cures iis cum animadversionibus, quas pro tua prudentia existimaveris. Denique venerabilis frater, te vehementer in Domino hortamur atque excitamus, ut omni cura, solertia, vigilantia, prudentia gravissimum huiusmodi munus obire studeas, quo haec apostolica delegatio seu visitatio illis regularibus ordinibus prospere feliciterque eveniat. Nos certe in humilitate cordis nostri patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis rogare non desinemus, ut ea tibi divina praebeat auxilia, quibus ea omnia perficere possis, quae ad spiritualem eorumdem regularium salutem pertinere posse videntur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 8. Haec volumus, concedimus atque mandamus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus, quatenus opus sit felicis recordationis Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non regularium ordinum, monasteriorum, domorumque quorumcumque etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 10. Volumus autem ut praesentium literarum exemplis etiam impressis, manu tua tamen subscriptis ac signo munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce nostris literis ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. maii MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno V.

LXXXV.

Damnatio synodi Antiochenae Graecorum Melchitarum Carcaphae anno millesimo octingentesimo sexto habitae, et proscriptio libri, in quo eiusdem acta et decreta typis impressa continentur (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Errores in synodo prolati deteguntur.

§ 1. Melchitarum catholicorum synodus Antiochena nuncupata, quae apud monasterium Carcaphae in dioecesi Berytensi anno millesimo octingentesimo sexto inconsulta hac Apostolica Romana Sede, arabicis typis impressa fuit, iamdiu in hominum de puritate catholici dogmatis sollicitorum reprehensiones varias incurrit. Nam et nonnulli orientales Episcopi, et minores alii animarum pastores doctrinam praedictae synodi suspectam sibi in multis ingratamque nuntiabant; nos vero in suprema Ecclesiae specula constituti, cum has querelas in dies augeri audiremus, simulque synodi usum in Oriente propagari, et lapsu temporis stabiliri quodammodo videremus, rem gravioris momenti existimantes dedimus operam, ut synodi exemplar in italicam linguam diligenter conversum, et manu venerabilis fratris Maximi Mazlum subscriptum et tamquam fidele, idest cum arabico originali concordans ab eo recognitum a peritis theologis, et a consilio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium corrigendis ecclesiae orientalis libris praepositorum in examen accuratum vocaretur.

Iudicium de erroribus datum a Patriarcha Melchitarum.

§ 2. Interim vero antequam nostrum ea super re oraculum proferremus, venerabilem fratrem Maximum Mazlum Melchitarum catholicorum electum eo tempore Patriarcham scriptis mandato nostro a Congregatione de Propaganda Fide literis admonendum censuimus de sinistro Romanae censurae circa hunc librum suffragio, simulque dicti Patriarchae electi hac ipsa de re sententiam exquisivimus, quid nempe ipsi de synodi supradictae doctrina videretur. Is autem ad Congregationem de Propaganda Fide rescripsit literas, quae apud nos manu eius exaratae extant, quibus suum erga Romanam Ecclesiam, eiusque iudicia obsequium, plenamque obedientiam adeo disertis verbis testatus est ut de eius sinceritate dubitandi nulla causa suppleret. Nominatim autem de synodo Carcaphensi, ait se quidquid a Sancta Sede Romana decretum fuerit, ratum habiturum, eique pronam obedientiam, firmamque fidem fore praestiturum. Interim vero, pendente iudicio, se neque libri exemplaria distributurum, neque eius decretis usurum, neque ullam eidem, prout sibi iussu nostro mandatum fuerat, auctoritatem attributurum. Quae obsequii et obedientiae clarissima significatio simulque erronearum opinionum Germani Adam Archiepiscopi olim Hierapolitani improbatio (quibus numquam se adhaesisse affirmavit) aliis literis ad nos ipsos datis ab eodem venerabili fratre Maximo Mazlum declarata adeo nobis placuit, ac tantopere nostrum animum exhilaravit securumque reddidit, ut uno eodemque tempore et synodum ex officii nostri debito condemnare, et venerabili fratri Maximo patriarchatum confirmare, ac pallium de corpore beatissimi Petri sumptum mittere decreverimus.

Excluditur praetensa approbatio praestita a Sancta Sede.

§ 3. Quamquam igitur impressus synodi liber quamdam Aloisii Gandulphi apostolici olim ad Libanum delegati approbationem in fronte iactat, quam Sancta Romana Sedes nunquam agnovit, quaeque vel sermonis arabici ignorantiae, vel fraudi aut falsitati alicui tribuenda est (praeterquamquod synodorum approbatio non est in ordinariis delegatorum facultatibus) attamen complures errores tum in synodo, tum in instructionibus eidem adnexis comperiri certum est. Etenim primo synodus haec in multis ex iamdiu damnata Pistoriensi synodo tacite fraudolenterque hausta fuit, et aliquot propositiones eiusdem Pistoriensis a Sancta Romana Sede damnatas, partim ad literam, partim ambigue insinuatas continet. Deinde definitiones interdum vel decisiones, veluti de sacramentis et de virtutibus, parum rectas facit, Baianismum, Iansenismum, atque huiusmodi pravas opiniones aliquando sapit; vim naturamque indulgentiarum infirmat; a quibus canonicam tantummodo poenam remitti docet, atque ita doctrinam iam in Luthero et Pistoriensi synodo damnatam innovat, potestatem ecclesiasticam, nominatimque coactivam oppugnat: appellationes ad Sanctam Romanam Sedem

(1) Vide *Collec. Lacensem* vol. II., p. 555 – et supra *Studium paternae*.

oblique impedit, synodi provincialis peremptoriam fuisse antiquitus auctoritatem falso asserit, sacrae iurisdictionis originem distorquere videtur; praesertim Ecclesiae disciplinam importuno zelo identidem calumniatur, caelibatum sacerdotalem, ut minus quandoque paroeciis administrandis idoneum traducit, Episcoporum et cleri creationem nimiis iniustisque verborum rigoribus difficillimam reddit; controversias varias sub iudice adhuc positas, praeter synodi provincialis auctoritatem, audacius definit, fallaci denique reformationis praetextu, non sine quadam pietatis zelique specie Ecclesiae statum perturbat.

Damnatio errorum, et prohibitio libri in quo sunt relati.

§ 4. Antiochenam itaque praedictam synodum haec et alia plura contra sanam doctrinam, et probatam Ecclesiae disciplinam vitia continentem, nos auctoritate apostolica, tenore praesentium literarum improbamus et condemnamus, eiusdem acta et decreta nulla et irrita declaramus, totius denique libri usum, quovis in idiomate, sive in manuscripto codice, sive in impresso interdicimus: atque ut unquam in posterum typis imprimatur, vetamus. Ipsum vero Melchitarum catholicorum Patriarcham venerabilem fratrem Maximum Mazlum, caeterosque variorum rituum gentiumque Patriarchas et Episcopos graviter admonemus, ut dictae synodi librum ab usu suarum ecclesiarum excludant, doctrinam eius, quatenus a nobis improbata et damnata fuit, aversentur; et orthodoxas potius synodos, praesertim veteres, quae tot in Ecclesia Dei feruntur, a sanctis doctisque patribus celebratas, et a decessoribus nostris Romanis Pontificibus adprobatas, amplectantur; atque ex iis regiminis sui doctrinaeque normam capiant.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die III. iunii MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno V.

LXXXVI.

Confirmat literas Inter sacras virgines *quibus monasterium monialium in Cannington sub S. Sedis patrocinio posuit* (1).

Venerabili fratri Petro Augustino Baines Episcopo Sigano Vicario Apostolico districtus occidentalis Angliae,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Accepimus litteras a VV. FF. Vicariis Apostolicis Angliae et Scotiae (uno dempto Vicario Apostolico Angliae Meridionalis) a fraternitate tua quoque primo loco ut seniore inter eos, subsignatas scriptas quidem sub X. decembris elapsi anni, nobis autem nonnisi mense martio anni currentis redditas, quarum haec est summa.

1. Conqueruntur ipsi Vicarii de Apostolico Brevi a nobis dato die XVI. iulii anno MDCCCXXXIII.; quo monasterium monialium Benedictinarum apud Cannington in isto tuo occidentali districtu ut paci inter easdem moniales perturbatae consuleremus sub nostro et S. huius Sedis patrocinio posuimus et alterius cuiuscumque iurisdictionem *suspendentes* in eius protectorem et nostrum ad res illius monasterii componendas vicarium deputavimus dilectum filium Card. Weld, ut ipse rite comperto dicti monasterii statu impense curet pacem mutuamque concordiam ibi restituere, legumque observantiam custodire.

2. Declarant praeterea se magnopere angi animo, eo quia se certo scire arbitrantur Romae degere qui apud nostram Congregationem de Propaganda Fide omni ope nituntur, ut templum recenter Londini aedificatum PP. Societatis Iesu tradatur, et novus locus missionis in districtu septentrionali PP. Benedictinis Episcopo invito ac renitente assignetur.

3. Contendunt autem memorata omnia repugnare tum regulis istarum miss. a Benedicto XIV. praescriptis, tum apostolicis litteris Pii VII. in quibus Pontifex certiores fecit Vicarios Apostolicos illius temporis, se in mandatis dedisse eidem Congregationi ut quando agitur de gratiis et privilegiis unde ordo in missionibus statutus immutaretur, ea Summo Pontifici non proponat concedenda, nisi prius vicariorum apostolicorum sententiam exquisivit.

4. Quapropter a nobis enixe postulant, ut statuta ac mandata eorumdem praede-

(1) Ex Tab. Cong. de P. F. Vide supra *Inter sacras virgines.*

cessorum nostrorum simul et vicariorum iura iubeamus inviolata servari.

Quae Vicariorum Apostolicorum expostulationes et quaerimoniae quanto nos moerore affecerint ac dolore, vix exprimere possumus, non quidem stylo ac verbis quibus exponuntur, sed forma ac proposito. *Forma,* quia specie praeseferunt conspirationis, solemnisque protestationis eorumdem Vicariorum contra id quod, vel a nobis factum est, vel nos facturos, aut concessuros suspicatur. *Proposito* autem, quia nos et dictam Congregationem quodammodo arguunt tamquam de violatis iuribus, deque Benedicti et Pii VII. statutorum ac mandatorum circa missiones Anglicas subversione.

Quibus querelis paterna charitate satisfacere volentes, tibi, ven. fr. ut eorum in sac. ministerio seniori, et praecipuas in causa partes habenti, praesentes has litteras manu ipsa nostra conscripta amice mittimus ceteris collegis tuis communicandas.

Atque in primis ad mon. monialium quod attinet. - De perturbato ordine ac statu illius monasterii, ac de consultationibus super hoc pluries habitis in Congregatione de Propaganda Fide, deque officiis ab eadem apud te nostro etiam nomine ante praefati Brevis emanationem interpositis pro restituenda illis monialibus pace, non est, quod hic mentionem facere oporteat. Nemo enim Vicariorum Apostolicorum Angliae ignorare potest, quae S. haec Sedes ad rem praestiterit.

Verum falluntur Apostolici Vicarii dum autumant nos plenaria exemptione subtrahere voluisse praedictum monasterium ab Apostolici Vicarii istius districtus potestate, uti certe supremi primatus iure poteramus, atque immediatae iurisdictioni dilecti filii Card. Weld illud nos subiecisse. Quippe non penitus Vicario Apostolico potestatem subtraximus, sed tantum iurisdictionem in ipsum scilicet iurisdictionis exercitium *suspendimus.* Clara sunt verba Brevis. Porro ex iure canonico, atque ex ipsa ecclesiastici regiminis praxi ac disciplina manifesto patet, iurisdictionem *suspendere* et iurisdictionem prorsus *adimere,* plane inter se ac substantialiter differre nec ex primo sequi secundum, suspendimus autem, ut interim rerum statum cognoscere, eisque pro opportunitate providere possemus. Et sicuti non erat in animo plenariam absolutamque ac perpetuam exemptionem saepe dicto monasterio concedere, sic et a formulis scite abstinuimus, quibus plenaria huiusmodi exemptio in apostolicis constitutionibus exprimi solet. Nec refert, quod illud sub immediato nostro et S. Sedis patrocinio posuerimus. Declarando enim Summi Pontifices communitates aut loca aliqua sub apostolica protectione consistere, non ideo consequitur, nisi id aperte edicatur, sub iurisdictione esse posita solius Romani Pontificis, erepta prorsus cuilibet alteri potestate in easdem communitates et loca. Similiter, hallucinantur, iidem Vicarii Apostolici arbitrantes, nos monasterium illud immediatae iurisdictioni Card. Weld submisisse. Si quidem nostrum utique Vicarium eum deputavimus, scilicet nostras ei delegavimus vices pro rebus eiusdem monasterii componendis, non autem immediatum illius ac proprie dictum superiorem *ordinarium* constituimus ad perpetuam exclusionem Vicarii Apostolici. Quidquid ergo in casu de quo est sermo iurisdictionem respicit non aliter intelligendum, nisi indicta suspensione durante. Videas igitur, ven. fr., non de omnimoda ministerii exemptione, sed de apostolica tantum agi visitatione, deque delegato visitatore apostolico cum facultate subdelegandi: ac proinde et illud videas consilium a nobis captum de suspendenda fraternitatis tuae in illud iurisdictione esse temporaneum, donec scilicet nobis constiterit, res eiusdem esse ad pacem et concordiam per delegatum visitatorem rite compositas.

Modo ad secundum querelarum caput transeamus. Dolet nobis quam maxime hic commemorare quae circa templi Londinensis traditionem PP. Societatis Iesu faciendam locum habuerunt inter Congregationem de Propaganda Fide, et ven. fr. Vicarium Apostolicum Londinensem: sed ut cognoscatur S. huius Sedis in eo etiam negotio indulgens circumspectio et moderatio omnino ea praeterire non possumus; scripserat itaque nobis annuentibus eadem Congregatio Londinensi Vicario sub die XIX. iulii anno MDCCCXXXIV. - Id sibi valde utile videri (nempe templum illud tradere Iesuitis) ac pro certo se habere ipsum (Vicarium) nihil amplius prae oculis habentem nisi Ecclesiae amplificationem et fidelium utilitatem, petitum consensum esse daturum declarans, quod eidem Congregationi id iucundissimum fo-

ret. - Hisce autem officiosis S. C. insinuationibus et votis absolute respondit idem Vicarius Apostolicus sub die VIII. augusti MDCCCXXXIV. - Se non posse, nisi vulnus infensissimum conscientiae suae infligendo, adeoque nullo modo posse approbationem aut consensum praebere illi negotio. - Et in quodam folio exhibito a dicti Vicarii procuratore asseritur ipsum aperte testatum fuisse ab universo eius Clero haberi ut religioni summopere iniuriosum templum illud Jesuitis deferre et se nunquam id consensurum. Quid minus gratum hac responsione? Quomodo poterant iniuriosius reiici Congregationis vota, quam denuntiando iniuriosum religioni, quod ipsa valde utile edixerat, insuper et profitendo, nonnisi inflicto propriae conscientiae infensissimo vulnere eisdem obsecundari posse. Profecto si quis inferre ex his vellet, quanti opus talia respondentem habeatur dicta Congregatio, eum forsan non bene erga ipsam effectum iudicaret, quem tamen animo non talem esse credimus. Quid praeterea Iesuitis magis opprobrio esse potest, quam sic probrose repelli a missionibus adeundis? Ceterum quae nimis dura de ipsis habet Londinensis Vicarius verba ea sibi veluti fortuito excidisse putandum est, quum aequum sit opinari, eum animo non dissentire a reliquis Angliae Vicariis, quibuscum doctrina ac religionis zelo coniungitur, quosque ex certis et authenticis documentis in Congregationis Archivio existentibus, nobis constat, propensissimos esse in Iesuitarum missiones istic fovendas. Interim animadverte, venn. frater, quanta indulgentia ac moderatione usa fuerit eadem Congregatio, quae accepto huiusmodi iniucundissimo responso hactenus siluit, hinc et illud attende quam subtili arte in Vicariorum litteris ipsa praemoneatur, ne quod in votis tantum se habere patefecerat, id tandem iussis complere atque ad exitum perducere velit.

Mittimus autem quae de novis missionibus assignandis in districtu septentrionali Monachis Benedictinis falso suspicantur iidem Vicarii; est enim id plane commentitium. Nunquam de huiusmodi capiendo consilio actum est in Congregatione, nullumque ad hoc eidem factum fuit officium, ita ut penitus ipsa ignoret quo nitatur fundamento Vicariorum anxietas.

Sed iam ad tertium veniamus querimoniarum caput: ad praetensam videlicet violationem regularum a Benedicto XIV. praescriptarum pro missionibus Anglicanis et litterarum apostolicarum Pii VII., relate ad decretum a Congregatione emissum anno MDCCCXVIII., ad quas appellant Vicarii cuius violationis ab eisdem insimulamur, tum in iis quae adniximus, tum in iis, quae nos edicturos ipsi verentur. Sane quid gravius et animo nostro acerbius hac accusatione? Benedictus XVI. praescripsit missionariis, Vicariisque Apostolicis, non autem ipsis Summis Pontificibus, et in praescriptis a se regulis atque statutis nullibi limitat, nec limitare intellexit Romani Pontificis potestatem, ut nec Visitatores Apostolicos deputare posset, neque ullo in casu alicui ex dictis regulis derogare. Verum nec enunciatum Breve a nobis ut supra datum, circa Moniales apud Cannington, neque de templo Londinensi Iesuitis tradendo Congregationis votum adversatur huiusmodi regulis. Siquidem de Monialibus eae regulae non loquuntur nec loqui poterant, quippe illarum non extabant istic monasteria: regularium autem exemptionem expresse admittunt, immo et inviolatam servari praecipiunt in iis, quae ad regularum et constitutionum Ordinis respectivi spectant observantiam ac disciplinam, et solum ne nascantur cum Vicariis Apostolicis collisiones et iurgia aptissime moderantur in iis quae proprie respiciunt facultates et missionaria munera. Denique ad Iesuitas, quod attinet, ipsi inter praecipuos Regulares Angliae missionarios in dictis regulis recensentur. Nulla ergo Ordinis missionum in Anglia statuti facta est immutatio, ideoque nec quidquam detractum apostolicis Pii VIII. litteris.

Restat ut de precibus quas nobis porrigunt Vicarii Apostolici pauca dicamus. Petunt ipsi ut serventur statuta Benedicti XIV. et Pii VII., simul et eorum iura. Quorsum hae spectant preces? Si attento novo rerum statu, attentisque novis et urgentibus casibus, aliquid actum est *praeter*, nihil tamen actum est *contra* Benedicti XIV. statuta; quin etiam in decreto ipso a Vicariis memorato anni MDCCCXVIII. eadem Congregatio salva esse ea omnia expresse voluit et edixit. Verum si investigare vellemus quo praecipue tendant huiusmodi preces et Vicariorum vota, non temere forsan quis coniiceret, ea tendere ad excludendos paulatim a missionibus Regulares praesertim nationales Anglos,

propterea quod in calamitosissima rerum politicarum subversione amiserunt propria quae in catholicis regionibus habebant Coenobia. Hoc autem esset afflictionem addere afflictis, et facto complere in Anglia quod apud exteras nationes in odium passi sunt religionis. Nec est quod dolere possint Vicarii Apostolici, se non esse auditos, ut inde nobis obiiciant Pii VII. declarationem. Non enim agitur de immutato vel immutando missionum ordine, et ipsi quae acta sunt haud ignorabant antequam fierent, quippe eis praenuntiata iam fuerant. Ceterum *Monitum exquirendae,* non idem est ac monitum semper *sequendae* Vicariorum sententiae. E contra ipsimet videant Apostolici Vicarii, an illud a se religiose servetur Pii VII. monitis in laudatis suis litteris, sic expressum - Interea VV. FF. memoria recolentes praeclara B. Pauli verba, quibus admonemur omnia nostra secundum ordinem, et in charitate esse facienda, magis satagite ut dum iusto ac discreto rerum et personarum ordini per apostolicam nostram sollicitudinem, quoad licuit, provisum esse cognoscitis, per diligentiam vestram erga praesidem ad alumnos florentis collegii apud Stonyurst, qui studiis promovendis ac iuventus in spem catholicae religionis instituendis incumbunt charitatis aeque provisum esse nos pariter cognoscamus.

Tandem de eorum iuribus per nos eisdem servandis, quibusque privari pertimescunt nimis anxii sunt Vicarii Apostolici. Utique ea fuit, est, eritque semper nostra mens, ut suum cuique stet ius: sed simul renuntiare non possumus iuribus supremis, quem licet immerentes gerimus, primatus in universam Ecclesiam. Nihil autem quod iure primatus nostrum non sit egimus, vel factum probavimus. Porro iure primatus, uti, non est invadere in Episcoporum (neque titularium) multo minus Vicariorum Apostolicorum iura. Id et ipsi fateri censendi sunt Vicarii, dum fatentur se nostras gerere quas eis commisimus vices.

Haec sunt ven. fr. quae tibi et una tecum caeteris confratribus tuis duximus rescribenda. Confidimus autem vos omnes huic S. Sedi firmius in dies perpetuoque adhaesuros, eiusque monitis ac mandatis, semper et incunctanter esse obtemperaturos. Nostis quibus cum hostibus dimicandum sit, quave arte, et quanto impetu in catholicam ipsi irruant religionem ad eam si fieri posset perdendam ac destruendam. Nihil ardentius anhelant, et insidiosius moliuntur atque pertentant, quam a catholicae unitatis centro Episcopos, a capite membra, oves separare a pastoribus. Vestrum est igitur collatis viribus, eorum impiis, obviam ire conatibus, eosque de iniqua spe fidem vestram et constantiam labefactandi depellere in id semper sedulius intendendo, ut devotio vestra plenaque erga Apostolicam Petri Cathedram observantia omnibus ad exemplum manifesta fiat. Quod vos nedum animo, sed palam factis nimirum, voce ac etiam scriptis pro rei opportunitate, viriliter praestituros non dubitamus.

Interim fraternitatem tuam, caeterosque in sacro monasterio collegas tuos rogamus in Domino et hortamur ut quemadmodum nos ad zelum vestrum ac studium pro istarum missionum bono, curas omnes pastorales conferre nunquam cessabimus, ita et vos curis ipsis nostris, maiori, sinite dicamus, fiducia respondeatis. Atque hac a vobis, imo a charitate vestra solatium et levamen in tantis, quibus ob Ecclesiae calamitates, undique praemimur angustiis, et in tanto quo pene conficimur moerore praestolantes, tibi venn. fr. tuisque confratribus apostolicam benedictionem tota cordis effusione impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xx. iunii MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno v.

LXXXVII.

Archiepiscopo Primati Armeno Constant. scribit super exortis controversiis de literis S. C. de P. F. (1).

Venn. fratri Antonio Nurigian Archiepiscopo Primati Armeno Constantinopolitano,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Acceptis, quas nuper scripsisti litteris, profecto nos pro costante nostra erga fra-

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 182.

ternitatem tuam benevolentia doluimus, nondum sopitum esse apud vos dissidiorum fomitem praesertim circa res liturgicas, quas apprime quietas, et bene compositas esse oporteret. Quanta enim absurditas est, si in ipso Dei pacifici ministerio contendentes versamur? Attamen hisce malis remedium firmum ac peremptorium adhibere aeque nobis tibique difficile est. Quod vero ad te nuper Congregatio Propagandae Fidei de omittenda cum oblatis nondum consecratis benedictione scripsit, id reapse nobis mandantibus scriptum fuit (1). In aliis quoque nonnullis indulgentiam ac facultatem, si res ita postularet, tibi commendavimus, idque non ut tibi contradiceremus, sed ut cleri tui paci his minimi momenti concessionibus consuleremus. Gravi tamen cum animi moerore intelligimus, neque districtum rigorem neque quamlibet benignitatem finem consequi salutarem. Quid ergo superest? Nempe illud quod S. Paulus praedicat, et cui nos quoque in tribulationibus nostris, quibus quotidie abundamus obtemperandum credimus: nemini quicquam debeatis nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit (Rom. XIII., 8). Item: quae pacis sunt sectemur et quae aedificationis sunt, invicem custodiamus (Rom. XIV., 19). Ceteroquin meliora tibi nobisque sperantes apostolicam mittimus benedictionem.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die II. augusti MDCCCXXXV., pontificatus nostri an. V.

LXXXVIII.

Confirmat institutionem Vicarii Ap. Calcuttae anno anteriori decretam; eiusque iurisdictionem super ecclesias FF. Ordinis S. Augustini inter limites vicariatus existentes declarat iuxta decretum S. Cong.; derogat constitutioni Pauli V. regiones illas iurisdictioni Episcopi Meliaporensi subiicienti, et ad Vic. Ap. pertinere decernit, qui immediate a Sede Apost. pendeat titulo Vic. Apost. Bengalensis, loci solus Ordinarius.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Commissi nobis pastoralis officii debitum, quo religionis catholicae bono in longinquis etiam regionibus prospicere tenemur, compulit nos ut datis literis in forma brevis die decima octava aprilis anno millesimo octingentesimo trigesimo quarto Vicarium Apostolicum Calcuttae constitueremus, qui populosam illam urbem, eiusque universam politicam praefecturam subiectam haberet, exceptis tantummodo locis, quae vel Vicario Apostolico missionis Thibetanae subiacent, vel quae Vicario Apostolico in regnis Avae et Pegù obtemperant. Quamquam vero sit hoc positum in ipsa Vicariatus Apostolici natura, ut qui eo munere funguntur, a Sede Apostolica dumtaxat dependeant, volumus tamen ad clariorem mentis nostrae significationem, disertis verbis in nostris literis apostolicis affirmare Vicarii Apostolici Calcuttae constituti officium Apostolicae tantum Sedi esse subiectum. Ad vitandum praeterea dissidii praetextum, censuimus deinde declarandum, ecclesias omnes etiam patrum Ordinis Sancti Augustini in Calcuttensi civitate, et in politica Calcuttensi praefectura sub Vicariatu Apostolico Calcuttensi seu existentes, seu aedificandas in posterum, in iurisdictione Vicarii Apostolici esse, ac permanere debere, prout constat ex nostrae

Expositio status vicariatus iam erecta.

---

(1) Ex Reg. ep. S. C. literam de qua pontifex loquitur transcribimus.

Mons. Nurigian Arcivescovo Primate Armeno di Costantinopoli.

7 marzo 1735

Sempre gradisce la S. C. che V. S. Illma le partecipi esatte notizie di cotesta sua Chiesa e governo. Rispondo ora alle due sue lettere nelle quali mi parla del giuramento de' consiglieri e di alcune sacre ceremonie. Tutti sappiamo che niun giuramento può impedire nè la rivelazione, ne il ricorso ad una autorità legittima superiore. Questa è stata senza dubbio altresì l'intenzione di V. S. Illma la quale però se Ella avesse in quella occasione opportunamente dichiarata s'impediva ogni diceria, o sospetto, o scandalo. Potrà dunque supplire, facendo conoscere notoriamente la purezza delle sue intenzioni.

Ha poi fatto benissimo abolendo l'uso di benedire il popolo con le oblate non consecrate, con che Ella ha eseguito un preciso volere di Sua Santità che recentemente fu mossa a ciò ordinare per sedare la discordia del di Lei Clero. Che se per ottenere questo importantissimo scopo giovasse anche il permettere, o praticare il segno della S. Croce in principio della Messa, e le genuflessioni dopo la Consacrazione; io molto la consiglierei di dare al suo Clero anche questa novella prova di condiscendenza; almeno nelle messe basse, specialmente chè amendue questi riti Le sono stati prudenzialmente raccomandati nel breve pontificio *Inter gravissimas.*

In attenzione di udire l'esito di queste disposizioni ecc.

Congregationis de Propaganda Fide decreto, quod die vigesima septima decembris anni millesimi octingentesimi trigesimi quarti Calcuttam ad Vicarium Apostolicum missum est.

Expositio dubiorum excitatorum super validitate erectionis.

§ 2. Post hanc adeo perspicuam mentis nostrae explicationem vix nobis in animo inducere poteramus evenire posse, ut de Vicarii Apostolici iurisdictione, deque locis, in quibus illam exercere possit, dubium aliquod excitaretur. Illud praesertim afferre legitimam de ea re dubitandi causam non poterat a fel. rec. praedecessore nostro Paulo V. anno millesimo sexcentesimo sexto regiones in Bengala comprehensas, Episcopi Sancti Thomae Meliaporiensis iurisdictioni subiectas fuisse, in literis autem apostolicis a nobis scriptis, eiusdem praedecessoris nostri voluntati, peculiari mentione facta non esse derogatum. Mirum profecto est, eos qui tantam erga praedecessorem nostrum observantiam praeseferre videntur, viventem in nobis plenitudinem potestatis nullo modo revereri. Constabat vero ex nostrarum literarum apostolicarum contextu novum prorsus a nobis rerum ecclesiasticarum regimen in iis regionibus esse statutum, et ad illud consilium ineundum nos adductos esse, tum quod ob temporum vicissitudines, diversa nunc sint illarum regionum adiuncta temporale dominium respicientia, ab iis quae Pauli V. praedecessoris nostri aetate obtinebant, tum maxime quod exploratum nobis omnino esset, in extremum discrimen religionem catholicam in iis locis adductum iri, nisi de suprema potestate, quam nobis Deus licet immerentibus in divo Petro tradidit, pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam, omni mora deposita remedium opportunum, et grave tantis malis afferremus.

Tenor concessionis.

§ 3. Haec licet ita sint, volumus tamen omnem perturbandae tranquillitatis rationem penitus auferre. Itaque ex matura scientia ac deliberatione nostra, declaramus apostolica auctoritate nostra derogatum esse, et derogari iis, quae Paulus V. praedecessor noster anno millesimo sexcentesimo sexto statuerat, dum regiones in Bengala, aliasque a nobis in literis apostolicis diei decimae octavae aprilis millesimo octingentesimo trigesimo quarto Vicario Apostolico Calcuttae constituto tributas, ad Episcopum Meliaporensem Sancti Thomae pertinere decrevit. Affirmamus dilectum filium Robertum St. Leger Societatis Iesu, quem Vicarium Apostolicum Calcuttae instituimus et caeteros, qui futuris temporibus ab Apostolica Sede ibi statuentur, ab eiusdem Apostolicae Sedis auctoritate tantummodo immediate dependere, Episcopum Meliaporensem, eiusque administratores, vel alium quemlibet Episcopum nullam in regiones Vicario Apostolico commissas iurisdictionem habere, eumdemque Vicarium Apostolicum posse iure Bengalensis Vicarii Apostolici titulum gerere, et eum solum tanquam verum memoratarum regionum Ordinarium ab omnibus esse habendum, eique omnes obtemperare debere, et ab eo ecclesiasticam iurisdictionem ac facultates accipere.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 4. Satis haec esse putamus ad omnem discordiae rationem auferendam, et ea sublata, confidimus Vicarium Apostolicum pro eo quo praestat religionis amore, tranquillius uberiusque, Deo iuvante, Ecclesiae incrementum esse procuraturum atque effecturum, ut in regionibus ei commissis morum integritas, ecclesiastica disciplina iterum floreat, et fides catholica latius amplificetur. Decernentes has praesentes literas, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et spectabit hoc, futurisque temporibus plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die IV. augusti MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno V.

LXXXIX.

Dismembratio paroeciarum a dioecesi de Quito et earum unio dioecesi Popayanensi in America Meridionali.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Sollicitudo omnium ecclesiarum nobis imposita a Salvatore nostro Iesu Christo, cuius vices in terris licet immerentes gerimus, plane expostulat, ut inter multiplices gravissimasque apostolici ministerii curas, quibus undique circumdamur, studium operamque nostram modo

ad novas erigendas dioeceses, modo vero ad iam erectas aptioribus limitibus circumscribendas conferamus, prout peculiarium gregum commoditati ac eorum utiliori regimini noverimus in Domino salubriter expedire.

Expositio precum.

§ 2. Porro ab iis qui civile regimen Novae Granatae in America Meridionali administrant, alias nobis reverenter expositum fuit, ex minus accurata definitione dioecesum in ea ditione existentium gravissima oriri incommoda spirituali earumdem procurationi ac fidelium saluti, qui ibidem commorantur. Ad hanc autem rem comprobandam plura in medium afferebantur, ingens nimirum distantia, quae ab episcopalibus sedibus nonnulla regionum illarum oppida seiungit, viarum partim defectus partim difficultas, montium asperitas, flumina interfluentia pontibusque ad transitum destituta, multitudo silvarum ac densitas, diversa pro locorum varietate aeris natura, morum dissimilitudo, aliaque eiusmodi, quibus mutua pastorem inter et gregem communio vel erat interclusa, vel maxime retardata, ut proinde nunquam fere possent quidam praesentem Episcopum intueri, hic vero nonnisi perraro valeret sacram instituere visitationem, vel sacramentum confirmationis administrare, imo passim fideles iis destituerentur auxiliis, quae urgens interdum necessitas postularet. Addebatur praeterea ob novas rerum vices divisis regionibus illis inter gubernia illic nuper constituta, non posse nec facile nec expedite spiritualem geri administrationem praedictarum dioecesum, quae civili duorum regiminum inter se discrepantium iurisdictioni subessent.

Ratio concessionis.

§ 3. Haec equidem nos, qui in beati Petri Sede tamquam in specula constituti ovibus et agnis nobis divinitus commissis quantum ex alto conceditur advigilare nitimur, vix intelleximus, apostolicae nostrae curae et auctoritatis partes illico interponere decrevimus, simulque perpendentes pastoralis sollicitudinis commodo ac fidelium utilitati satius consultum fore, si paroecias Pampelonis, Sancti Iosephi de Cucuta, Limonciti et Sancti Faustini de Chios in praefata Novae Granatae ditione positas archiepiscopatui Sanctae Fidei de Bogota coniungeremus, memoratas quatuor paroecias ab Emeritensi dioecesi, cui etiam tum suberant, per nostras literas, quarum initium *In eminenti*, datas apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo quarto pridie nonas maii, pontificatus nostri anno quarto, dismembravimus ac divisimus, easque sic avulsas et separatas eidem dioecesi Sanctae Fidei de Bogota perpetuo univimus et incorporavimus. Neque tum primum ab hac Apostolica Sede immutata est dioecesum eiusmodi descriptio, ipsarum finibus ad opportunitatem ac fidelium necessitatem redactis: Romani namque Pontifices praedecessores nostri paucorum annorum spatio in iisdem regionibus quatuor novas dioeceses instituendas putarunt, ad quas erigendas necesse fuit territorium ab aliis, quae iam existebant, mutuari, et has in arctiores terminos cohibere.

Idem ut supra.

§ 4. Iam vero ad imitationem non minus illorum, quae peracta fuerant in nova episcopatuum erectione, quam nuperrimae avulsionis quatuor memoratarum paroeciarum a dioecesi Emeritensi, earumque archiepiscopali ecclesiae Sanctae Fidei adiunctionis, similis apostolicae providentiae ratio a nobis implorata est pro aliis quoque paroeciis, in quibus partes vel etiam graviores intercederent causae illas segregandi a dioecesi, cui pluribus ab hinc annis adhaerent, et eas adiungendi alteri sedi episcopali, ad quam primitus pertinebant, et in cuius finibus spiritualis earumdem administratio, sublatis iam difficultatibus, quibus ipsa implicabatur, expeditior ac utilior evaderet. Huiusce rei gratia instituebatur descriptio paroeciarum de Tumaco, de Barbacoas, de Isquande, de Guapi in littore fluminis eiusdem nominis, de Irapiche ad ripam fluminis Micay, Sancti Iosephi, ut aiunt, ad lacum Timbigni, de Zaija et de Micay: quibus adiungebantur omnes ecclesiae parochiales, vice parochiales et auxiliares provinciae quam vocant *de Pasto,* sitae intra limites regionemque ditionis Neogranatensis, et ad extremos fines dioeceseos Popayanensis collocatae, in cuius iurisdictione manebant antequam ad Quitensem transirent dioecesim, quae tum circa primariam episcopalem sedem, tum circa reliquas populi partes temporali nunc subest dominio reipublicae, quam ab Aequatore consueverunt appellare.

Difficultates subortae ad retardandam concessionem.

§ 5. Cumque hinc postulatio fieret de seiungendis tam memoratis paroeciis, quam praefata provincia de Pasto a dioecesi Quitensi, eisque adiungendis episco-

pali sedi Popayanensi, illud etiam animadvertabatur, ex dismembratione ac unione ista nihil aliud oriturum praeter ecclesiae Popayanensis redintegrationem; ita namque illi redderetur iurisdictionis pars, qua olim fruebatur, et quam Popayanensis Episcopus solummodo ad tempus Antistiti Quitensi exercendam commiserat ob frequentissimas in ea sylvestrium hominum incursiones, quibus mutua pastoris cum grege communio impediebatur; qua nunc causa penitus sublata, aequum esset, ut cessaret quoque effectus. Cum enim hac super re nulla interfuerit Apostolicae Sedis auctoritas, nulla potest firmitatis canonica ratio inveniri pro ecclesia Quitensi, in detrimentum Popayanensis, cuius certe iuribus non poterat Episcopus nulla suffultus apostolica facultate renunciare, neque iacturam vel minimam inferre. In eamdem ivit sententiam modernus Episcopus Popayanensis per literas ad nos datas die quinta martii millesimo octingentesimo trigesimo tertio, iisdem namque causis rationumque momentis nomine illorum qui ditionibus Novae Granatae praesunt, superius expositis similiter innixus praefatam dismembrationem, seu redintegrationem tamquam iure debitam, ac spirituali fidelium saluti et meliori Ecclesiae rerum in iis locis ordinationi evidenter utilem supplici obsecratione petebat, urgebatque vehementer, illud insuper commodum exinde manare innuens, quod civiles ditionis fines cum dioecesanis limitibus conformarentur.

Idem ut supra.

§ 6. Iam tum profecto pro pastorali, quam in omnem gerimus Ecclesiam, sollicitudine, cogitationem curamque inivimus huiusce rei, cum vero ab iis, qui rempublicam ab Aequatore nuncupatam tunc administrabant, nobis significatum fuerit petitam avulsionem et unionem rebus Quitensis dioecesis fore obfuturam, a quavis pontificiae providentiae ratione duximus abstinendum, donec verus rerum status apertius innotesceret, quaeque obstare videbantur difficultates penitus eliminarentur. Accidit interim, ut in consistorio habito die vigesima nona iulii millesimo octingentesimo trigesimo tertio, eidem Quitensi ecclesiae Episcopum daremus venerabilem fratrem Nicolaum de Arteta, quin ulla nobis petitio antea facta esset de reservanda nobis in actis consistorialibus et in apostolicis literis facultate dioecesim illam in posterum dismembrandi, novamque illis circumscriptionem peragendi. Quare canonicis sanctionibus inhaerentes, ac vestigiis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum insistentes electum Episcopum Quitensem hoc super negotio rogavimus, datis ad eum literis die vigesima sexta aprilis superioris anni millesimi octingentesimi trigesimi quarti, celerem quoad fieri posset responsionem ab ipso postulantes. Hanc sane agendi rationem nobis ineundam censuimus non solum quia ipsa rei gravitas ita expostulare videbatur, verum etiam ut illa omnia, quae praesidi memoratae reipublicae ab Aequatore literis diei tertiae augusti millesimo octingentesimo trigesimo tertio nos facturos nuntiaverimus, religiose servaremus.

Causae ad decernendam unionem impellentes.

§ 7. Quum vero nulla nobis adhuc responsio reddita sit a Quitensi electo Episcopo, cui fuerat commissum, ut ea de re ageret cum illis, quorum interesset; aliunde vero creverit in dies spiritualis fidelium necessitas, ex eo praesertim, quod ob novas rerum civilium vicissitudines nondum potuerit idem electus Antistes sacra consecratione inaugurari, hinc est quod nos officio nostro deesse arbitraremur, si apostolicae providentiae curas longius protraheremus.

Tenor concessionis.

§ 8. Nos itaque rerum statu matura consideratione ponderato, perpensisque locorum ac temporum adiunctis, caeterisque omnibus quae erant serio diligenterque pensanda (consilio tamen de conformitate finium civilium cum limitibus dioecesanis omnino reiecto, utpote Ecclesiae consuetudini, disciplinae et libertati plane contrario), ex certa scientia, motu proprio, deque apostolicae potestatis plenitudine, defectum consensus partium, quarum interest, supplentes, illumque uti libenter datum, vel sine cura denegatum habentes, a dioecesi Quitensi in ditione Aequatoriali paroecias ut supra nuncupatas de Tumaco, de Barbacoas, de Isquando, de Guapi in littore fluminis eiusdem nominis, de Irapiche ad ripam fluminis vulgo Micay, Sancti Iosephi ut vocant ad lacum Simbiqui, de Zajia et de Micay, nec non paroecias omnes ecclesiasque eisdem inservientes vel opitulantes, quas idcirco auxiliares appellant, sitas in civitate seu provincia vulgo de Pasto ditionis Novae Granatae, omniaque et singula ipsis adhaerentia perpetuo dividimus, seiungimus ac divellimus, easque a dioe-

cesi et iurisdictione Episcopi Quitensis hoc modo disiunctas, avulsas ac separatas, ecclesiasque in eis positas, nec non monasteria, siquae sint, ac alia quaecumque saecularia vel regularia beneficia, itemque clerum, populum ac utriusque sexus personas, habitatores et incolas, tam laicos, quam clericos cuiuscumque gradus, ordinis et conditionis existant, dioecesi Popayanensi in America Meridionali perpetuo unimus, coniungimus et incorporamus, eiusque pro tempore existentis Episcopi ordinariae iurisdictioni et auctoritati, salvis tamen exemptionibus cuilibet de iure legitime competentibus, perpetuo pariter supponimus atque subiicimus.

Deputatio executoris apostolici.

§ 9. Quocirca venerabili fratri Emmanueli Iosepho de Mosquera Archiepiscopo Sanctae Fidei de Bogota, quem in harum literarum nostrarum exequutorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes et opportunas ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates, ut ipse per se, vel per alium virum ecclesiastica dignitate insignitum, ab eo subdelegandum, praesentes nostras literas ubi et quando opus fuerit, vel quoties ab iis, quorum interest, vel aliquo eorum fuerit requisitus, solemniter publicet et exequatur, ac omnia et singula in eis contenta faciat auctoritate nostra ab omnibus, ad quos spectat atque pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, atque ut tam ipse, quam persona ab eo subdeleganda super quacumque oppositione in actu executionis quomodolibet forsan oritura, servatis tamen servandis, etiam definitive et quavis appellatione remota, libere et licite definire ac pronunciare possit et valeat, contradictores quoslibet ac rebelles per sententias, censuras, poenasque ecclesiasticas, aliaque iuris ac facti remedia compescendo, invocato, etiamsi opus fuerit, auxilio brachii saecularis, plenam et omnimodam facultatem similiter concedimus atque impartimur. Eidem vero Archiepiscopo Sanctae Fidei de Bogota praecipimus et mandamus ut singulorum actorum in praesentium literarum executione conficiendorum exemplar authentica forma exaratum intra annum ab expleta ipsarum exequutione ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in archivio Congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservari edicimus atque iubemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 10. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii, quorum interest aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari atque definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane decernimus atque declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, ac nostris et cancellariae apostolicae regulis et in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus ac ordinationibus apostolicis supradictarum Quitensis et Popayanensis ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 12. Huiusmodi vero literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum, in iudicio et extra, fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae dismembrationis, divisionis, separationis, unionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo quinto, decimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno quinto.

XC.

Erectio novae cathedralis ecclesiae Pampelonensis in America.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Coelestem agricolam in cunctis suis gloriosum operibus, quantum nobis ex alto conceditur, aemulantes, oculos nostrae mentis ad universum Domini agrum ex supereminenti beati Petri Sede semper intentos tenemus, ac instar vigilis patrisfamilias inspicimus quid per apostolicae providentiae officium impendere debeamus, ut quaevis Dominici agri pars ab operariis excolatur ac fructum afferat in salutem. Quapropter inter maximas officii nostri curas eam agnoscimus, ut dioecesum territoria ea ratione dividamus, prout Orthodoxae fidei dilatationi et christifidelium saluti conspicimus expedire.

Expositio precum.

§ 2. Sane qui civile regimen gerunt ditionis Neogranatensis in America Meridionali, iampridem humillimis precibus a nobis postularunt, ut a dioecesi et iurisdictione Ordinarii Emeritensis in Maracaibo nonnullas paroecias positas in circuitu provinciae Pampelonensis, quae temporali praedictae ditionis dominationi subdita est, benigne distraheremus, easque metropolitanae ecclesiae Sanctae Fidei de Bogota eiusdem Americanae regionis uniremus atque coniungeremus. Precibus huiusmodi, rerum statu diligenter inspecto, et audito etiam quorumcumque venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium voto, libenter annuimus per nostras apostolicas literas sub plumbo datas apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo quarto pridie nonas maii pontificatus nostri anno quarto. In hac vero nostra imploranda providentia petentibus inerat consilium Apostolicam Sedem rursus adeundi, ut nuper memoratam provinciam Pampelonensem ab archidioecesi Sanctae Fidei de Bogota penitus avelleremus, illamque in novam dioecesim sedemque episcopalem, eius territorio ad naturales provinciae fines emenso, erigere ac instituere dignaremur.

Ratio concessionis.

§ 3. Iam vero haec ipsa consilii forma non potuit non ultro facileque probari, quippe quae decentiorem catholicae Ecclesiae et religionis statum directe spectaret, praeberetque fidelibus quidem ampliorem Orthodoxae fidei profitendae christianaeque legis servandae facultatem, infidelibus autem faciliorem viam ad religionis ipsius, eiusque dogmatum ac praeceptorum agnitionem assequendam. Quae quidem utilitates et commoda evidentiora etiam evadunt, inspecta locorum difficili conditione ob nimiam pastoris a non exigua populi parte distantiam, viarum partim inopiam, partim asperitatem ob interiacentes montes horridasque sylvas et flumina interfluentia: quibus omnibus alia sunt insuper addenda, praesertim vero frequentes sylvestrium hominum tribus evangelica luce destitutae, clero nequaquam suppetente ad spirituales populorum necessitates curandas, opemque sacri ministerii iisdem impertiendam. His profecto de causis nos pro apostolica sollicitudine, qua Ecclesiae bono et animarum saluti assidue studemus, in consistorio habito die decima nona decembris superioris anni, cum ad metropolitanam ecclesiam Sanctae Fidei de Bogota eveheremus venerabilem fratrem Emmanuelem Iosephum de Mosquera hodiernum eiusdem ecclesiae Antistitem, ius facultatemque nobis reservavimus archidioecesis huiusce dividendae, ac denuo circumscribendae, si post accuratissimum, quod super tanto negotio inituri eramus, examen, intelligeremus, ipsum divinae gloriae incremento, aeternaeque fidelium salutis commodo profuturum. Re dein tota diligenti considerationi subiecta, exhibitisque documentis ad trutinam vocatis, evidentissima patuit negotii, de quo agitur, utilitas, quae inspecto fidelium statu spiritualis auxilii plane indigentissimo, tanta quidem est, ut ad veram redigi necessitatem facile possit.

Idem ut supra.

§ 4. Nobis namque relatum fuit provinciam Pampelonensem iacere intra fines septentrionales illius, quam Novae Granatae rempublicam appellant, caputque illi esse cognomine urbem a sede Archiepiscopi Sanctae Fidei, cuius tamquam Ordinarii iurisdictioni paret, centumque pene leucas distantem; vias autem intermedias difficillimas esse et maxime periculosas, utpote intersectas fluminibus, quae per magnam anni partem traiici nequeunt absque vitae discrimine, cum pontibus aptisque ad transeundum subsidiis omnino ca-

reant: provinciae vero huiusmodi superficiem amplius quadratis leucis mille et quingentis patere, montibus alicubi occupatam, quos magna ex parte incolunt numerosae tribus indigenarum ethnicorum, quibus nondum fidei lux affulsit, eo quod in illorum vicinia nullus ad haec usque tempora extiterit Episcopus, cuius apostolica sollicitudine posset eadem ipsis inferri: in eiusdem autem provinciae regione contineri hominum fere octoginta millia catholicam religionem profitentium, quos oppida quadraginta quatuor ab invicem secernunt, ex quibus quatuor numerantur maiores urbes, sex vero minores ubi plures degunt familiae, quae colendis agris et mercatura exercenda fortunas sibi maximas compararunt, virosque identidem protulerunt cognitione, et dexteritate in peragendis negotiis aeque ac honestae vitae consuetudine et scientiarum notitia praestantes.

Idem ut supra.

§ 5. Neque hic praetereundum crescente in die necessitate ob ingentem a pastore distantiam coactos fuisse praeteritis temporibus memoratos populos ad civilis auctoritatis opem confugere, ut ipsius patrocinio proprium ab Apostolica Sede Episcopum impetrarent, sedisque episcopalis erectionem una cum convenienti dioecesi, caeterisqne institutionibus, quae in episcopatibus erigendis fieri consueverunt. Cuius rei gratia ipsos proventus decimarum, quos Archiepiscopo vel capitulo metropolitano parva cum sui utilitate solvebant, in necessariam obtulerunt episcopalis mensae dotationem, qua decorae Episcopi substentationi, curiaeque sumptibus subveniretur. Atque ea quidem de re ceperat iniri tractatio, quae tamen ob inortas civilium rerum vices penitus intermissa est.

Idem ut supra.

§ 6. Hi vero populi proprium efflagitantes Episcopum, qui ipsorum necessitati, quam maxime sentiunt, prospiciat, cum a civili cultu minime abhorreant, persuasum habent, episcopali dignitati in urbe eorumdem principe constitutae nihil omnino defuturum ad necessarium decus et ornamentum assequendum. Nam praeter aeris salubritatem in tota provincia Pampelonensi, magna est illic copia optimorum fructuum, qui florentissimum faciunt illius commercium; terrae vero ubertate agricoltura maxime viget, unde cacaum, gossypium, tabacum, caeterique fructus aestimabiliores gignuntur; quemadmodum etiam ars pastoritia plurima habet commoda ex copia et pulchritudine pecoris omnigeni, quod ibidem alitur. Nec minoris sane facienda incolarum industria, qui ex fodinis auri omnium purissimi officinisque indici passim institutis optime didicerunt magnum sibi quaestum parare, quem augent quotidie per assiduum domi forisque commercium, cum utrinque flumina vulgo Zulia et Sogamoso ad rerum invectionem exportationemque maxime conducant; nec minorem ad id praebeant facultatem flumen, cui nomen Magdalena, spectans in provincias Carthagenae et Sanctae Marthae ipsius Novae Granatae regioni inhaerentes, et aliud praeterea, quod appellant Orinocco, respiciens ad provincias reipublicae Benecuela cum provincia Pampelonensis ab archidioecesi Sanctae Fidei de Bogota et dioecesibus Sanctae Marthae et Emeritensi in Maracaibo terminetur.

Idem ut supra.

§ 7. Dotes porro istiusmodi ex loci natura et incolarum industria manantes satis quidem decoris ingerunt provinciae Pampelonensi, ut illam peculiari consideratione dignam efficiant, omnemque praecludant causam timendi, ne constituta ibidem episcopalis dignitas vilescat; ipsae vero nobiliores etiam apparent socialibus civilibusque et religiosis relationibus inspectis. Urbs namque princeps, in qua sedes episcopalis foret statuenda, Pampelo nempe, veluti provinciae centrum obtinet, unde propterea facilis est cum singulis eius partibus licet extremis communio; aer illic saluberrimus; populi multitudo ad hominum fere decem millia pertingens; honestiores ditioresque provinciae familiae; collegium rite instructum rectore, ludimagistris, redditibusque ad publicam iuventutis institutionem. Itaque factum hinc est ut in ea, tamquam omnium aptissima, totius provinciae magistratus sedem fixerint suam, unde maximarum quotidie rerum in partes singulas effluit administratio. Ad religionem vero quod pertinet, excellit haec eadem urbs populi pietate, multiplici templorum numero, quae ad novem usque, duabus inter ipsa paroeciis comprehensis, numerantur, quibus plures adiungendae regulares utriusque sexus familiae, confraternitates, aliaeque id genus institutiones.

Idem ut supra.

§ 8. Ad novam quidem dioecesim conflandam oppida concurrerent quadraginta quatuor, in quibus, uti dictum est, qua-

tuor extant maiores urbes, et sex minores. Singula autem hoc ordine recensentur; Pampelo nempe, Giron, Zalazar, quaeque a Sancto Faustino, a Sancto Iosepho, a Rosario nuncupantur; Piecuesta dein, Bucaramanga, Malacha, et illa, cui a Conceptione nomen datum, quibus adiungendae paroeciae Capitanejo, Sancti Michaelis, Macaravita, Carcasi Eusito, Tequin, Sorbito, Sorrito, Molagavita, Guaca, Sancti Andreae, Sepita, de los Sanctos, Floride, Fona, Silos, Cocota, Retas, Surata, Cucutilla, Canaboral, Arboledas, Pedral, Sancti Iacobi, Sancti Caietani, Limoncito, Cucuta, Bochalema, Chinacota, Chopo, Tholedo, Vesasco, Bateca, Chitaga; quae urbes paroeciaeque cinguntur ad Septemptrionem flumine Sardinata, ad Occidentem et Meridiem fluminibus Sogamoso et Capitanejo, ad Orientem vero flumine Techira montibusque, ubi infideles commorantur ad amnis Apure profluentem.

Idem ut supra.

§ 9. Episcopali sede in saepius memorata urbe Pampelone constituta, paroeciaeque, maiori scilicet eiusdem templo, in cathedralem aedem erecta, dioecesim uti praemonstratum est circumscribendo facile fundi obtinebuntur, qui ad dotationem mensae episcopalis, capituli, cathedralis, curiae ecclesiasticae, nec non ad caeteras institutiones impensasque necessarias requiruntur. Sumpta namque complexiva ex decimis pecunia, quae ex omnibus archidioecesis Sanctae Fidei de Bogota provinciis quotannis habetur, et illius metropolitanae ecclesiae dotationi inservit, ad ipsius propria munera decenter obeunda vis exurgit scutatorum ducentorum octoginta sex millium, ideoque si detrahantur ab hoc cumulo proventus decimarum, quos provincia Pampelonensis suppeditat, nempe scutat. circiter viginti quinque millia ad triginta millia, eaque novae ecclesiae adiudicentur, par illius habebitur dotatio partienda iuxta modum, quem veteres statuunt leges legitimaeque invectae consuetudines, ad illorum commodum, qui ad ipsam debita pro parte ius habent: qua detractione facta, sufficiens adhuc superesse intelligitur. redditus ecclesiae metropolitanae ad tuendam honoris sui dignitatem, et pastoralia munia, ut par est explenda; idque eo etiam magis quod redditus huiusmodi satis apparet in dies augendus per progressus agriculturae aliarumque artium, ex quibus hauriri decimae consueverunt.

Sequitur ut supra.

§ 10. Sic, ut expositum est, nova episcopali sede, propriaque illius cathedrali ecclesia instructa, licet dioecesi nondum suppeteret per redditus facultas dotationes aemulandi, posset tamen et ipsa meliorem in dies conditionis statum sibi auspicari tam ex optima decimarum administratione, tam ex subsidiis certo sperandis a fidelium pietate, qui munificentia praestare consueverunt in iis, quae religionis sunt, etiamsi haec ad extraneam sibi regionem pertineant. Interim vero esset capitulum cathedrale ad quatuor tantummodo capitulares praefiniendum, quorum primus decani titulo deberet insigniri, alter instituti scholarum magister, caeteris titulum unice canonicorum praebendatorum servantibus. Maior Pampelonis paroecia, ubi sedes episcopalis esset erigenda, in hoc tantummodo immutaretur, quod scilicet in peculiari sacello seu altari foret cohibenda ad functiones sui muneris peragendas, retento tamen, quo ad haec tempora insignitur, titulo; cum templum interea dignitate cathedrali et eximiis, quae inde profluunt, dotibus honestaretur, novumque obtineret titulum, quo ipsum deinceps decerneremus nuncupandum. In reliquis autem spectaret ad Episcopum cura studiumque novae episcopalis ecclesiae cumulatissime instruendae.

Utilitates a concessione expectandae.

§ 11. Per hoc apostolicae providentiae genus praeter remedia relatis superius incommodis afferenda, maximae essent utilitates in Ecclesiae et religionis catholicae bonum, et amplissimae illius provinciae populorum salutem expectandae. In curam namque incumbens Episcopus optimi cleri, per constitutum ad haec rite seminarium efformandi, egregios sibi ex eo viros comparabit, quibus locorum, linguae, morumque notitia satis pollentibus tuto valeat committi paroeciarum administratio, quae antea longo tempore vacabant ob cleri inopiam dissitamque nimis pastoris residentiam. Quo quidem distantiae impedimento sublato, facile eidem erit clericorum mores investigare per frequentem iuxta sacros canones pastoralem visitationem, illosque studiose excitare ad ministerium suum fideliter implendum, verbi Dei praeconio, sacramentorum administratione, caeterisque ipsorum curae demandatis. Hinc vero populi spiritualibus subsidiis bene suffulti, in catholicae

religionis dogmatibus atque praeceptis eruditi, et ad pietatem quotidie magis inflammati, cum in dies animadverterent impensa a seipsis subsidia piis fundationibus et sacris institutis in spirituale sui commodum cedere, numquam certe deficient, imo vero largiori usque pergent munificentia in datum sibi pastorem ad illius necessitates adiuvandas. De qua illorum propensione certa merito potest capi fiducia ex eo quod pro Episcopo impetrando certant inter se mirum in modum bonorum omnium in dicta provincia degentium vota: quae nimirum sibimetipsis feliciter eventura pollicentur ex perspecta Sedis Apostolicae benignitate, quae alias Americae populis circa huiusmodi postulationes, licet minore quandoque innixas fundamento, clementer indulsit.

Tenor concessionis.

§ 12. Quae cum ita sint, rerum statu accuratissime perpenso, spirituali necessitate, qua populus provinciae Pampelonensis maxime premitur, inspecta, evidenter autem patente ipsiusmet populi utilitate et commodo ex nova episcopatus in ea provincia erectione, uti moderatorum ditionis Neogranatensis precibus postulatum est; supplicationibus huiusmodi indulgendum censemus, ulteriori quavis dilatione penitus remota: et licet apostolicae huic providentiae nihil possit officere ex parte illorum quorum interest, cum sede adhuc vacante capitulum metropolitanum suam adhaesionem praedictae dismembrationi iam significaverit, atque in canonica hodierni Archiepiscopi institutione per opportunam clausulam nobis reservaverimus facultatem archidioeceseos limites redigendi, novamque illius ineundi circumscriptionem; nihilominus ad meliorem omnem rei, de qua agitur, effectum, plenitudine apostolicae potestatis sanamus, sanatumque haberi volumus quemlibet defectum consensus, si qui fuisset praestandus, declarantes propterea nullas hac in parte, effectusque prorsus expertes, minimeque curandas querelas cuiuscumque ius sibi aliquod hac in re vindicantis, et utcumque insuper in huiusmodi negotio canonicae consuetudinis regula servata non sit circa inquisitionem, sive processum super nova dioeceseos circumscriptione delegato apostolico in partibus committendum, et in exhibitis documentis nonnulla desiderata sint, quae in actis consistorialibus fuissent exprimenda, habita tamen ratione rei plane gravissimae, ingentisque locorum distantiae, factaque praemonitione de gratia in exemplum nunquam afferenda, ad supradictam episcopatus erectionem deveniendum arbitramur, mandantes executori praesentium literarum mox deputando, ut circa reliqua suppleat caeteris actis, prout inferius indicabitur, omni ipsis robore tributo, quod iis apostolica potestas valeat impertiri.

Extinctio veteris iuri metropoliticis.

§ 13. Quamobrem nos, qui divini nominis gloriae, Orthodoxae fidei incremento, et aeternae animarum saluti valde profuturam confidimus, memoratam novae cathedralis ecclesiae erectionem, ex certa scientia, motu proprio, deque apostolicae potestatis plenitudine integram provinciam Pampelonensem nuncupatam ab ecclesia et dioecesi metropolitana sive archiepiscopali Sanctae Fidei de Bogota in America Meridionali ditionis, ut vocant, Neogranatensis perpetuo dividimus, seiungimus ac dismembramus, nec non in ea consistentes et consistentia ecclesias, paroecias, monasteria, coenobia, et alia quaecumque saecularia, ac quorumvis ordinum regularia beneficia, itemque in ea degentes utriusque sexus personas, habitatores et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant ab ordinaria iurisdictione, potestate, ac superioritate Archiepiscopi pro tempore existentis Sanctae Fidei de Bogota, seu eius dioecesis Ordinarii, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo eximimus et absolvimus.

Erectio civitatis Pampelonensis in civitatem episcopalem.

§ 14. Dein civitatem Pampelonensem, quae in provincia eiusdem nominis praecipua est, quaeque aeris salubritate, territorii feracitate, aedificiorum nobilitate, familiarum opulentia, civium praestantia, populi frequentia, civilium provinciae magistratuum residentia, templorum copia, regularium familiarum utriusque sexus commoratione, collegii pro literis scientiisque addiscendis institutione, aliisque praerogativis prae aliis distinguitur, in civitatem episcopalem auctoritate apostolica erigimus et constituimus, eique sic erectae et constitutae civitatis titulum ac denominationem cum omnibus et singulis honoribus, iuribus, privilegiis ac praerogativis, quibus caeterae civitates episcopali sede insignitae, earumque clerus, cives et populi in America Meridionali utuntur et gaudent, ac uti et gaudere possunt ac poterunt quomodolibet in futu-

rum, concedimus atque elargimur: ecclesiam vero parochialem, quam maiorem vocant, in praedicta civitate Pampelonensi existentem, in cathedralem ecclesiam erigimus et attollimus, et eam, qua cathedralem, beato Petro sanctorum Apostolorum principi dicamus, atque hoc titulo in posterum appellari volumus et decernimus, simulque in eadem ecclesia sedem, cathedram ac dignitatem pontificalem conferendam pastori seu praesuli ipsius ecclesiae canonice in Episcopum instituendo, cum titulo Sancti Petri Apostoli Pampelonis seu Pampelonensis, ut sic institutus et Episcopus habitus Sancti Petri Pampelonis eidem ecclesiae, civitati ac dioecesi ut infra assignandae, illiusque clero et populo praesit, synodum convocet, pastoralem visitationem et curam agat, ac omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat exerceatque, cum suis capitulo, arca, sigillo, curia, cancellaria, mensa episcopali, ut infra explicabitur, caeterisque fruatur pontificalibus insigniis, iuribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, iurisdictionibus, indultisque realibus, personalibus ac mixtis, quibus reliquae cathedrales ecclesiae in America Meridionali existentes, earumque praesules, non tamen titulo oneroso aut ex indulto seu privilegio particulari, utuntur et fruuntur, simili apostolica auctoritate perpetuo erigimus atque instituimus: servato tamen statu et titulo paroeciae in praefato maiori templo Pampelonensi existentis cum iuribus quibus antea potiebatur, assignato eidem sacello sive altari minori ad eas explendas sacras functiones, quae muneri parochiali congruunt, nisi forte ipse literarum praesentium exequutor infra designandus duxerit, praebendam parochialem capitulo ipsi adiungendam, et parochum pro tempore existentem inter canonicos ecclesiae cathedralis connumerandum.

Novi metropolitici iuris creatio.

§ 15. Ipsam vero episcopalem ecclesiam Sancti Petri Pampelonensis metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore Sanctae Fidei de Bogota subiicimus, et in suffraganeum assignamus cum omnibus facultatibus, exemptionibus, praerogativis, honoribus et iuribus, quae ad ceteras cathedrales ecclesias suffraganeas eiusdem metropolitanae sedis pertinent ac pertinere poterunt.

Creatio novae dioecesis.

§ 16. Praefatam autem universam provinciam Pampelonensem, in qua quadraginta quatuor regiones sive oppida aut civitates superius recensitae intra praestitutos fines reperiuntur, ab ordinaria iurisdictione Archiepiscopi sive archidioecesis Sanctae Fidei de Bogota seiunctam et avulsam eidem ecclesiae Sancti Petri Apostoli ut supra in cathedralem erectae pro suo territorio ac dioecesi attribuimus et assignamus, eamdemque provinciam Pampelonensem ac in ea existentes et existentia paroecias, collegiatas, si quae sint, aliasque ecclesias quascumque, monasteria, conventus et omnia sive saecularia, sive quorumvis ordinum regularia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, ac pariter utriusque sexus personas et incolas, tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus, ordinis et conditionis ordinariae iurisdictioni, regimini ac potestati futuri ac pro tempore existentis Episcopi Sancti Petri Apostoli Pampelonensis similiter perpetuo submittimus atque subiicimus: eidem vero literarum apostolicarum executori superius memorato curam committimus accuratius describendi omnia et singula oppida, civitates et regiones, quae in praedicta Pampelonensi provincia habentur, et ad novam dioecesim spectare debent cum designatione finium, quibus circumscribitur, et inter quos perpetuo erit continenda; ita tamen ut in ea parte, quam infideles populi incolunt, latiores termini protendendi sint, ut, si, miserante Deo, opera et zelo Episcopi novae dioecesis Pampelonensis pro tempore existentis evangelicam lucem ipsi fuerint assecuti, et catholicam fidem amplexati, eos ordinariae suae iurisdictioni ac dioecesi Pampelonensi adiungere Episcopus praedictus iure ac merito possit et valeat.

Concessio domus pro Episcopo.

§ 17. Similiter pro decenti et commoda futuri Episcopi eiusque in Pampelonensi episcopatu successorum habitatione et curiae episcopalis residentia proprias aedes proximiores, quam fieri possit, ecclesiae cathedrali quam primum assignari et attribui, statuto quoque censu pro earum manutentione, decernimus atque mandamus; quae si modo desint et conducendae sint, rationem haberi pensionis pro earum locatione solvendae omnino iubemus. Ut futurus autem pro tempore existens Pampelonensis Episcopus pontificalem suam dignitatem tueri, ac vicario generali et curiae episcopali apte providere valeat, congruam partem decimarum in

ea provincia colligendarum mensae episcopali et curiae ecclesiasticae Pampelonensi perpetuo pariter assignamus et attribuimus. Executori tamen literarum apostolicarum, attentis rerum circumstantiis, officium et curam committimus, eam ratam partem decimarum praedictarum pro locorum more et usu definiendi et describendi in hoc casu, qua decenti Episcopi eiusque curiae statui satis consultum sit caeterisque institutionibus rite provisum, ac propterea eidem executori, ut super his opportuna decreta proferre valeat, necessarias facultates impertimur atque concedimus.

Erectio capituli cathedralis.

§ 18. In memorata autem ecclesia Sancti Petri Apostoli Pampelonensis ad cathedralis honorem evecta instituimus atque erigimus capitulum quatuor saltem constans canonicalibus praebendis, inter quas duae dignitates, nempe decanatus, quae prima erit post pontificalem dignitas, et magistri scholae, quae erit altera, et duo canonicatus cum utraque praebenda ut infra constituenda, huiusmodi tamen canonicatuum numerum, quo citius fieri poterit, augeri edicimus, ut et praebenda theologalis ac poenitentiaria iuxta canonicas sanctiones et sacrosancti Concilii Tridentini decreta constitui valeat. Chori autem servitium rite exerceri queat ad officia divina sedulo peragenda, Deique cultum maiori quo decet splendore ac reverentia decorandum, atque hac super re zelum et curam omnem nedum eiusdem literarum apostolicarum executoris, sed et praecipue futurorum Episcoporum excitamus, eosque in Domino monemus. Huiusmodi autem dignitatum, non minus quam canonicatuum, futuri ac pro tempore existentes possessores apud eamdem ecclesiam cathedralem Sancti Petri Apostoli Pampelonis personaliter residere, ac in ea divina quoque officia caeterasque ecclesiasticas functiones celebrare, horasque canonicas persolvere, missam conventualem pro benefactoribus in genere applicare, ipsique cathedrali ecclesiae in omnibus laudabiliter deservire, ac illius statuta in posterum edenda diligenter observare teneantur.

Dotatio capituli.

§ 19. Capitulo autem novae cathedralis ecclesiae Sancti Petri Apostoli sic erecto et constituto assignamus atque tribuimus ratam partem decimarum, quas supra memoravimus, habita tamen proportione inter singulos canonicos iuxta uniuscuiusque dignitatem et gradum, quo instituitur, ut scilicet prima dignitas ditiorem obtineat praebendam, secunda vero, etsi minori redditu, quam prima, constabilienda, maiorem tamen censum percipiat, quam caeterae simplices canonicales praebendae. Si vero animarum cura capitulo cathedrali adiungenda sit, et canonico eiusdem capituli committenda, congrui eius census rationem haberi volumus, itemque si fuerit instituenda praebenda theologalis ac poenitentiaria, similis ratio erit habenda: super quibus eiusdem literarum apostolicarum executoris sollicitudinem hortamur, eumque necessariis facultatibus communimus.

Dotatio ecclesiae.

§ 20. Fabricae autem et sacrario praedictae cathedralis ecclesiae illam pro eius cultu ac tuitione dotem assignamus, quam ei ex earumdem decimarum proventu, sin minus ex censibus aliisque bonis stabilibus, quatenus adsint et sint sufficientia, praefinierit et assignaverit praesentium literarum executor.

Privilegia capitulo concessa.

§ 21. Eisdem quoque futuris ac pro tempore existentibus dignitatibus et canonicis, ut ipsi capitulariter congregati pro praefatae cathedralis ecclesiae Sancti Petri Apostoli, ac illius mensae capitularis, sacrarii et fabricae, earumque rerum ac bonorum prospero felicique statu ac regimine, et onerum eis incumbentium implemento, horarum canonicarum aliorumque divinorum officiorum celebratione, fructuum distributione, et quorumcumque emolumentorum partitione atque administratione, poenarumque per absentes aut negligentes contrahendarum impositione, quaecumque statuta, ordinationes ac decreta, sacris tamen canonibus, Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis non contraria, condendi ac edendi, sub Episcopi tamen pro tempore existentis praesidentia et approbatione, plenam ac omnimodam potestatem concedimus et impertimur.

Idem ut supra.

§ 22. Praeterea eidem capitulo et canonicis pro tempore existentibus indulgemus atque elargimur ius utendi ac fruendi omnibus et singulis tam spiritualibus quam temporalibus gratiis, privilegiis, immunitatibus, praeeminentiis et favoribus, quibus aliarum similium in America Meridionali existentium cathedralium ecclesiarum capitula, dignitates et canonicatus iure, consuetudine, privilegio aut alias quomodolibet, non tamen titulo one-

roso aut indulto vel privilegio particulari, utuntur ac fruuntur, dummodo adhuc sint in usu et non fuerint revocata, sacrisque canonibus, constitutionibus, et decretis apostolicis non repugnent.

Erectio et dotatio seminarii clericorum.

§ 23. Ut vero adolescentes in sortem Domini vocati non minus pietate, quam humanioribus literis sacrisque disciplinis instituantur et informentur, ecclesiasticum clericorum seminarium in civitate Pampelonis iuxta sacrosancti Concilii Tridentini decreta quam primum erigi, ipsique aedes opportunas attribui et congruam dotationem vel ex earumdem decimarum proventu vel ex ipsa benefactorum largitione assignari mandamus, et pro huiusmodi institutione studium et curam omnem nedum praefati literarum apostolicarum executoris et futuri pro tempore Episcopi, sed et civilis potestatis omniumque fidelium in ea provincia existentium in Domino excitamus ac vehementer hortamur.

Praeceptum de inscribendis fructibus in libris Camerae.

§ 24. Perpensis autem redditibus ac fructibus ecclesiae episcopalis Sancti Petri Apostoli ut supra attributis, eamdem ecclesiam Sancti Petri in florenis auri de Camera triginta tribus, ac in tertia floreni parte de more taxari, ac eiusmodi taxam in libris Camerae apostolicae describi volumus ac praecipimus.

Deputatio executoris apostolici.

§ 25. Quapropter venerabili fratri Emmanueli Iosepho de Mosquera Archiepiscopo Sanctae Fidei de Bogota in America Meridionali ditionis Neogranatensis, quem in praesentium literarum nostrarum executorem eligimus ac deputamus, per apostolica scripta mandamus, ut ipse per se vel per alium virum ecclesiastica dignitate insignitum ab eo subdelegandum, has nostras literas, ubi et quando opus fuerit, aut quoties ab iis quorum interest, vel ab aliquo eorum fuerit requisitus, solemniter publicet et exequatur, omniaque et singula in eis contenta faciat auctoritate nostra, ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; atque ut tam ipse quam persona ab eo subdeleganda super quacumque oppositione in actu executionis quomodolibet oritura, etiam definitive et quacumque appellatione remota pronunciare et iudicare libere et licite possit valeatque, contradictores quoslibet ac rebelles per censuras, poenasque ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, plenam et omnimodam facultatem concedimus atque elargimur.

Praeceptum de remittendo exemplari actorum.

§ 26. Eidem Archiepiscopo Sanctae Fidei de Bogota praecipimus et mandamus, ut singulorum actorum in praesentium literarum executione conficiendorum exemplar authenticum intra annum ab expleta ipsarum executione ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in archivo congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservari volumus.

Clausulae salutares et irritantes.

§ 27. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii, quorum interest aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari, inpugnari, vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios ac integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non alias, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritates fungentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi seu interpretandi facultate, iudicari ac definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane decernimus atque declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 28. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de dismembrationibus ad partes committendis, etiam vocatis omnibus, quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis ac Lateranensis concilii novissime celebrati, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, supradictaeque metropolitanae ecclesiae Sanctae Fidei de Bogota, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et literis apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§ 29. Huiusmodi vero literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum in iudicio et extra fidem haberi volumus,

quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Sanctio poenalis.

§ 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae dismembrationis, divisionis, erectionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXV. sept. MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno V.

XCI.

Visitatorem Ap. delegat ad Chaldaeos, per S. Congr. in eo munere gerendo instruendum (1).

Venerabili fratri Ioanni Baptistae Auvergne Archiepiscopo Iconien. Vicario Apostolico Alepi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter praecipuas apostolici officii curas, quibus incessanter perfungimur, illud magnopere animum nostrum promovet, ut prospiciamus ne in regionibus ab Apostolica Sede valde remotis religionis necessitati opportuno tempore ob nimiam locorum distantiam occurrere non possimus. Neque enim ignoramus, remedia quae maturo tempore allata magnam utilitatem afferrent, vix ullam parere posse, si nimis aliquando retardentur.

§ 1. In hac animi nostri sollicitudine non potuimus diutius abstinere aliis providendis, quae in regionibus Patriarchae Babylonensi Chaldaeorum Catholico subiectis, infelix ecclesiae praesens conditio requirit. Nam vel a tempore, quo nos S. Consilio Christiano nomini propagando praeeramus, operam impense dederamus, ut sublata animorum discordia, quae iamdiu inter ecclesiastici ordinis viros in iis regionibus excitata erat, Catholicae religionis negotia rite recteque ibi pertractarentur. Ac speravimus in primis id esse eventurum, cum fel. rec. Pius VIII. praedecessor noster, rebus omnibus accurate perpensis, ven. fratrem Ioannem Hormez Archiepiscopum Mosulensem Patriarcham Chaldaeorum Babylonensem confirmavit, eique Pallium de divi Petri Corpore sumptum concessit. Iure enim existimavimus futurum ut, regiminis forma rite constituta, omnia ad rectum ordinem revocarentur.

§ 2. Verum neque id tunc contigit, neque posterioribus temporibus, cum licet immerentes ad Divi Petri Cathedram evecti fuimus. Doluimus enim neque dissidium esse deletum, postquam omnibus innotuerat quisnam a Sede Apostolica veluti totius gentis catholicae Patriarcha haberetur, neque prudentissima ea, quae nostra Congregatio Propagandae Fidei statuerat ad omnia tranquille componenda, satis esse potuisse ut querelarum et discordiae finis esset. Immo vero quotidie magis perspeximus in his locis, in quibus messis multa esse posset, inimicum hominem superseminare zizaniam, ne Catholica fides ibi incrementum capiat, atque ingemuimus interea, disciplinam ecclesiasticam everti, morum integritatem in summum discrimen vocari, religionis studium ubique deficere. Commiseramus quidem ven. fratri Petro Marcellino Bonamie, quem Baydati seu Babylonis Episcopum latini ritus institueramus, ut tamquam Delegatus Apostolicus rebus ecclesiasticis Chaldaeorum nationis praeesset. Sed cum deinde ob graves causas fuerimus adducti ad ratam habendam abdicationem episcopatus illius quam nobis ipse obtulit, et ad episcopatum Smirnensem ei conferendum, eius opera ad Chaldaeorum negotia moderanda uti revera non potuimus.

§ 3. Rebus igitur ita se habentibus atque in tanta religionis apud illam gentem adiuvandae necessitate, de consilio VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum statuimus atque decrevimus te, ven. fr., Episcopum Visitatorem totius Patriarchatus Chaldaeorum constituere cum iis omnibus iuribus, privilegiis et auctoritate, quae huius muneris propria sunt. Volumus ergo te, cuius peritia in gravibus rebus

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 188.

gerendis, pietas ac religionis boni procurandi studium nobis notissimum est, iter ad eas regiones suscipere, atque eo profectum omnia inquirere, quae dissidiorum causa fuerunt, conari ut ecclesiastica disciplina in pristinum restituatur, et pax atque tranquillitas inter Patriarcham et Episcopos instauretur, stabiliendo denique atque regendo Monachorum statui consulatur. Nostra vero Congregatio de Propaganda Fide instructionem de his rebus apposite tibi communicabit. Si qua tamen gravioris momenti, et excelsioris auctoritatis indiga decernenda existimaveris, ea iudicio nostro confirmanda reservamus. Age igitur, ven. fr., omnique mora seposita in id incumbe, ut commissum munus diligenter impleas. Accedet enim hoc veluti novum caeteris meritis tuis incrementum, et nova haec erit occasio, ut de Christi Ecclesia optime merearis.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die xxv. septembris MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno v.

XCII.

Damnatio operum Georgii Hermes Germani.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Dum acerbissimas catholicae religionis calamitates et iacturas ex teterrimo diuturnoque bello, quo nefarii homines apertique Ecclesiae hostes coacto undique agmine totis viribus, totisque artibus, tum armis, tum calumniis, tum contumeliis et maledictis, tum seditiosis denique sacrilegisque libellis eam, si fieri posset, prorsus exinanire ac destruere adnituntur; dumque immanem eorum illacrymantes execramur barbariem, qui propterea in regularium claustra religiososque viros diabolica furentes insania, ad eos penitus rapinis, incendiis caedibusque perdendos, divina omnia et humana violare non desinunt; ad augendas, quibus diu noctuque ob id premimur, angustias, illud etiam calamitosissimum ac summopere deplorandum accedit, quod inter eos, qui pro religione editis operibus certant, nonnulli simulate se intrudere audeant, qui similiter pro eadem videri volunt et ostentant se dimicare, ut, retenta religionis specie, veritate autem despecta, facilius possint per philosophiam, seu per vanas eorum philosophicas commentationes et inanem fallaciam, incautos seducere atque pervertere, hinc et populos decipere, fidentiusque inimicis palam saevientibus adiutrices porrigere manus. Quapropter ut nobis impiae et insidiosae quorumdam horum scriptorum molitiones innotuerunt, non distulimus, per nostras encyclicas aliasque apostolicas literas, callida eorum et prava denunciare consilia erroresque damnare, simul et exitiales patefacere fraudes, quibus divinam Ecclesiae constitutionem et ecclesiasticam disciplinam immo et totum ipsum publicum ordinem funditus evertere vaferrime contendunt. Et quidem tristissimo facto comprobatum est, eos, deposito tandem simulationis velo, perduellionis vexillum contra quamcumque a Deo constitutam potestatem alte iam extulisse. Verum non haec sola subest gravissima lugendi causa. Praeter enim eos, qui omnium catholicorum scandalo se perduellibus devoverunt, ad amaritudinum nostrarum cumulum, in theologicum etiam stadium prodire videmus, qui novitatis cupidine et aestu semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, magistri existunt erroris, quia veritatis discipuli non fuerunt. Peregrinis quippe improbandisque doctrinis sacra ipsi inficiunt studia et publicum etiam, si quod tenent in scholis et academiis, docendi magisterium profanare non dubitant, ipsumque, quod tueri se iactant, sacratissimum adulterare dignoscuntur fidei depositum.

§ 2. Atque inter huiusmodi erroris magistros, ex constanti et fere communi per Germaniam fama adnumeratur Georgius Hermes, quippe qui audacter a recto, quem universa traditio et sancti patres in exponendis ac vindicandis fidei veritatibus, tramite stravere, deflectens, quin et superbe contemnens et damnans, tenebrosam ad errorem omnigenum viam moliatur in dubio positivo tamquam basi omnis theologicae inquisitionis, et in principio, quod statuit, rationem principem, normam, ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem. Quae cum ex plurium Germaniae theologorum sacrorumque Ecclesiae pastorum denunciationibus, reclamationibus et expostulationibus ad Ratio constitutionis.

nostras pervenerunt aures, ne credito nobis apostolatus officio ac sacrosancti fidei depositi custodiendi muneri deessemus, statim curavimus, ut Hermesii opera ad Sanctam Sedem mitterentur examinanda; quod et factum est.

Tenor propositionum quae damnantur.

§ 3. Sunt autem sequentia (germanice edita) « I. Einleitung in die Christkatholische theologie, von Georg Hermes, professor der dogmatischen theologie an der universitat zu Münster. Erster Theil. » Philosophische Einleitung Münster in » der Coppenrathschen Buch - und Kunsthandlung 1819. II. Einleitung in die » christkatholische theologie von Georg » Hermes, doctor der theologie und philosophie, professor der theologie an der » Reinischen Friedrich - Wilhelms - universitat Bonn, und domkapitular der metropolitankirche zu Kölln. Zweiter Theil. » Positive Einleitung erste Abtheilung. » Münster in der Coppenrathschen Buch- » und Kunsthandlung 1829. III. Christkatholische dogmatih, von Georg Hermes, » doctor der theologie und philosophie, » professor der theologie an der Rheinischen Friedrich - Wilhelms - universitat Bonn; und domkapitular der metropolitankirche gu Kölln, nachdessen Jode » heransgegeben von D. S. H. Achterfeldt, » ordentl. Professor der theologie an der » universitat, und inspector des Katholisch - theologischen convictoriams zu » Bonn, Erster Theil. Münster, in der » Coppenrathschen Buch-und Kunsthandlung 1834. » (videlicet latine) I. Introductio in theologiam christiano-catholicam, auctore Georgio Hermes, theologiae dogmaticae in academia Monasteriensi professore. Pars prima, introductionem philosophicam continens - Monasterii ex biblio atque Iconopolio Coppenrath 1819. II. Introductio in theologiam christiano catholicam, auctore Georgio Hermes, teologiae et philosophiae doctore, in Rhenana, Friderico Wilhelmiana academia Bonnensi theologiae professore et capitulari cathedrali ecclesiae metropolitanae Coloniensis. Pars altera introductionem positivam continens. Monasterii ex biblio atque Iconopolio Coppenrath 1829. III. Dogmatica Christiano-Catholica, auctore Georgio Hermes theologiae et philosophiae doctore in Rhenana Friderico Wilhelmiana academia Bonnensi theologiae professore et capitulari cathedrali ecclesiae Metropolitanae Coloniensis; post eius mortem edita a D. F. H. Achterfeldt in academia theologiae professsore ordinario ac catholici convictorii theologici Bonnensis inspectore. Pars prima. Monasterii ex biblio - atque Iconopolio Coppenrath 1834. Hos igitur libros tradi iussimus theologis germanicae linguae peritissimis omni ex parte diligentissime perscrutandos, qui praecipua ex eisdem notanda loca excerperent, longo etiam, si opus fuisset, orationis tractu, prout sensuum verborumque contextus exigere videretur, eaque in latinum versa accuratis notarent animadversionibus: quae omnia sedulo et consideratissime praestiterunt, atque cum iam vulgata fama inveniuntur omnino concordes. Praeterea eadem excerpta loca una cum censoriis memoratorum theologorum notationibus tradita sunt aliis etiam sacrae theologiae magistris ad catholicam trutinam iterum revocanda; et omnes unanimi consensione convenerunt, illis in locis contineri doctrinas absonas a catholicarum veritatum principiis, plura reperiri perperam disputata, plura ex ambiguo dicta, plura flexiloqua et obscura ad implicandam et vitiandam catholicorum dogmatum intelligentiam arte et apte concinnata, et ut plurimum ex acatholicorum commentatis erroribusque congesta. Tandem rem totam ex integro discutiendam et examinandam deferri voluimus ad ven. fratres nostros S. R. E. Cardinales in tota republica christiana inquisitores generales. Hi autem omni studio, prout rei gravitas postulabat, cuncta et singula expendentes, post maturam discussionem in congregatione coram nobis habita, diiudicarunt, evanescere auctorem in cogitationibus suis, pluraque in dictis operibus contexere absurda, et a doctrina catholicae Ecclesiae aliena; praesertim vero circa naturam fidei, et credendorum regulam: circa sacram scripturam, traditionem, revelationem et Ecclesiae magisterium: circa motiva credibilitatis: circa argumenta, queis existentia Dei adstrui confirmarique consuevit: circa ipsius Dei essentiam, sanctitatem, iustitiam, libertatem, eiusque finem in operibus, quae a theologis vocantur ad extra: nec non circa gratiae necessitatem, eiusdemque ac donorum distributionem, retributionem praemiorum et poenarum inflictionem: circa protoparentum statum, peccatum originale, ac hominis lapsi vires; eosdemque libros, tamquam continentes doctrinas et

propositiones respective falsas, temerarias, captiosas, in scepticismum et indifferentismum inducentes, erroneas, scandalosas, in catholicas scholas iniuriosas, fidei divinae eversivas, haeresim sapientes, ac alias ab Ecclesia damnatas, prohibendos et damnandos esse censuerunt.

Decretum damnationis.

§ 4. Nos itaque auditis praefatorum Cardinalium suffragiis et omnibus plene perpensis, de eorum consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictos libros ubicumque et quocumque idiomate, seu quavis editione, aut versione huc usque impressos, aut in posterum, quod absit, imprimendos, tenore praesentium damnamus et reprobamus, ac in indicem librorum prohibitorum referri mandamus; hortantes et obtestantes in Domino venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, aliosque locorum Ordinarios, ut memores districti ac durissimi iudicii, quod eis a pastorum principe fiet de instructione, regimine et custodia gregis ipsis commissi, nedum memoratos libros a scholis repellere, verum etiam proprias oves ab huiusmodi venenatis pascuis omni cura et sollicitudine avertere satagant.

Publicatio decreti.

§ 5. Ut autem eaedem praesentes literae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac cancellariae apostolicae, nec non curiae generalis in Monte Citatorio ac in acie Campi Florae de urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXVI. septembris MDCCCXXXV., pontificatus nostri anno V.

XCIII.

Electionem Maximi Mazlum Arch. Myrorum in Patriarcham Antiochenum Graeco-Melchitarum confirmat (1).

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE I. FEBRUARII MDCCCXXXVI.

Anno iam ab hinc tertio die V. aprilis, cum Ignatii Cattani Patriarchae Antiocheni Graeco-Melchitarum obitu sedes illa vacaret, illius nationis Episcopi in monasterio S. Georgii Algarbi monachorum Ordinis S. Basilii intra fines dioecesis Berytensis congregati Maximum Mazlum Archiepiscopum Myrorum in partibus infidelium Patriarcham Antiochenum suae nationis elegerunt. Supplicatum quidem illico nobis fuit, ut electionem auctoritate nostra confirmaremus, huiusmodi documentis ab electo Congregationi nostrae Propagandae Fidei oblatis, ex quibus gravissima haberi visa sunt argumenta, eum morum integritate, ingenio, doctrina et in Sedem Apostolicam Romanam obsequio collatam dignitatem ita fore gesturum, quemadmodum publicum et illius gentis et Ecclesiae bonum requirit: sed tamen gravior nobis visa res est, quam ut sine sedula diuturnaque deliberatione, multisque ad Deum luminum patrem fusis precibus esset perficienda. Itaque hoc intervallo temporis factum est, ut electi ratio magis in dies nobis probaretur. Nam insignia pietatis studiique religionis praebuit argumenta, bonos elegit Pastores ecclesiis regendis, nonnullis exortis controversiis, praescripto ac monitis apostolici in Syria Delegati submisse obtemperavit. Digna vero peculiari mentione nostra concio illa

---

(1) Cum per obitum Ignatii Chattan Patriarchae Antiocheni Graeco-Melchitarum Sedes illa Patriarchalis vacaverit, et Episcopi memoratae nationis in monasterio Sancti Georgii Algarb monachorum Ordinis Sancti Basilii intra fines Barytensis Dioeceseos die V. aprilis MDCCCXXXIII. congregati R. P. D. Maximum Mazlum Archiepiscopum Myrorum in partibus infidelium in Patriarcham Antiochenum suae nationis elegerint; Sacra Congregatio de Propaganda Fide expensis documentis ab eodem electo oblatis, quibus gravissima habet argumenta, eum et morum integritate, ingeuio, doctrina et in Sanctam Apostolicam Sedem devotione, dignitatem collatam ita fore gesturum, quemadmodum publicum et gentis illius et Ecclesiae bonum requirit; censuit ac decrevit supplicandum esse SSmo Domino Nostro, pro admissione electionis de qua agitur, cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium, quatenus opus sit, nec non ut praevia absolutione a vinculo Ecclesiae Archiepiscopalis Myrorum praedictus R. P. D. Maximus Archiepiscopus, Ecclesiae Patriarchali Antiochenae Graecorum-Melchitarum praeficiatur, eique pallium insigne Pontificalis plenitudinis tribuatur.

Quam Sacrae Congregationis sententiam a R. P. D. Angelo Maio Sacrae eiusdem Congregationis Secretario SSmo Domino Nostro Gregorio divina providentia PP. XVI. in audientia habita die XVII. iulii MDCCCXXXV. relatam, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, et praeconizationem confirmationis electi Patriarchae, ac sacri pallii eidem concessionem in consistorio habito die I. feb. MDCCCXXXVI. disponit. Bulla vero pro nominatione et pallii concessione non potuimus ex Dataria habere.

est, quae, eodem testante Delegato Apostolico, ab eo publice habita fuit Damasci de primatu Romani Pontificis, haereticorum et schismaticorum indignatione contempta. Quae quidem iis apprime respondent, quae antea sui dederat specimina. Nam ex parocho Alepi a Patriarcha suo Matario consecratus eiusdem civitatis Archiepiscopus, cum appellatio intercessisset, iudicio se subiecit Sanctae huius Sedis, titulum accipiens Archiepiscopi Myrorum in partibus infidelium, ac diu Romae commoratus ingenium industriamque suam contulit multis arabico sermone conscribendis et in lucem edendis utilibus Religioni libris, quos postea per orientis regiones spargendos curavit: neque ab Urbe discessit ante annum MDCCCXXXI.; cum facta a nobis facultate, Aintrezium in Syria profectus est, ut ecclesiasticum aperiret regeretque seminarium, quod ipse una cum Patriarcha Matario multis curis impensisque fundaverat, qua in provincia, uti diximus, defuncto Cattano Patriarcha ab Episcopis fuit electus.

Omni vero suspicione studuisse eum aliquando erroneis Adami olim Archiepiscopi Alepini sententiis, sese exsolvit, datis ad Nos et ad Congregationem Propagandae Fidei litteris expresse asseveranterque declarans illius sententias nullo unquam tempore fuisse suas.

Ad Synodum autem Carcafensem quod attinet, cuius fuerat ab actis, a Congregatione libris Ecclesiae orientalis corrigendis praeposita iure notatam, quod missis ad nos et ad Congregationem Fidei Propagandae litteris cum omni significatione paratissime ad parendum Sanctae Sedi voluntati, quidquid de ipsa Synodo esset iudicatura, se facturum promiserat, fideliter est exsecutus. Nam damnata a nobis eadem illa Synodo, ut primum ei damnationis decretum allatum est, statim iudicio nostro acquievit, quemadmodum epistola autographa ex Collegio Aintreziensi die XV. octobris anni proximi ad nos data planissime declaravit.

Quae cum ita sint, cum Maximum Mazlum Archiepiscopum Myrorum in partibus infidelium dignum agnoverimus, qui ad Sedem Patriarchalem Antiochenam nationis Graeco-Melchitarum provehatur, electionem admittimus ab Episcopis eiusdem nationis factam, cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium, quatenus opus sit, eundemque electum a vinculo Ecclesiae Archiepiscopalis Myrorum absolventes, Patriarcham Antiochenum Graeco-Melchitarum constituimus ac declaramus, eique sacrum pallium insigne plenitudinis potestatis Archiepiscopalis mittendum decernimus.

In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

XCIV.

Aversionem probans sibi manifestatam ab Episcopo Basileensi consilii Solodurensis et gubernii Bernensis ab articulis conventus Badensis a Sede Apostolicâ damnatis, improbat facultatem ab eodem Episcopo datam parocho Filisbacensi proclamandi absque stolâ matrimonia mixta, licet pars acatholica alteri coniugi sit alligata, etsi ab eo divisa (1).

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Accepimus benevolo plane animo, venerabilis frater, literas tuas die XX. decembris proximi ad nos datas, quibus significasti, supremum pagi Soloduzensis consilium articulos Badensis conventus ab hac Apostolicâ Sede semel et iterum damnatos prorsus reprobasse ac reiecisse. Quantam ex hoc ceperimus laetitiam, satis per te poteris coniicere. Atque eo iucundius inde fuimus affecti, quo firmius, ex tuo iudicio, sperare licet, eiusmodi exemplo excitatum Bernense gubernium non absimili ratione se fore gesturum. Quod quidem ut et ipse, quantum industriâ et auctoritate vales, impense cures etiam atque etiam commendamus. Hanc porro occasionem nacti, non possumus, ven. frater, quin alia sane gravissima tractemus.

§ 1. In eâ namque expositione quam, post collationes tecum habitas pro componendis dissidiis cum Argoviensi gubernio, publici iuris fecerunt viri ad id per Lucernense consilium deputati, illud ad-

(1) Ex Roskovany de Matr. mixt. t. 1, p. 243.

ditur: factam a te parocho Filisbacensi facultatem proclamandi, dimissâ stolâ, matrimonium inter homines diversae religionis contrahendum, licet pars acatholica alteri coniugi, utcumque divisa ab ipso, foret alligata. Equidem non dissimulamus, venn. frater, persuasum nobis esse, non omnia, quae tibi in praedictâ expositione adiudicantur, ita se habere quemadmodum in eâ reservantur, pluraque ex iis alio prorsus sensu a te prolata censere. At cum in epistolâ, quam die XXX. praeteriti mensis octobris ad memoratos viros per Lucernense consilium delectos misisti, quaeque ab ipsis edita est, promptum te paratumque exhibeas ad conventionem ineundam cum iis, qui in pagis intra tuae dioeceseos fines existentibus civiles res administrant, quo scilicet dissidiis inter laicam et ecclesiasticam potestatem omnis in posterum via praecludatur; hinc supervacaneum non erit mentem nostram circa istiusmodi negotium tibi declarare.

§ 2. Notum itaque fraternitati tuae sit ratam a nobis haberi non posse facultatem, si forte per te parocho Filisbacensi concessa fuisset, proclamandi matrimonium inter homines diversae religionis, licet pars acatholica alteri coniugi, utcumque divisa ab ipso, foret alligata. Cum enim matrimonium, si semel valide contractum et consummatum fuerit, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, quam Synodus Trident. *Sess.* XXIV. *Can.* 7. confirmavit, solvi inter christianos, quoad vinculum, omnino nequeat; non modo illicitum sed et invalidum quoque foret matrimonium, quod catholicus vir aut mulier cum acatholico, altero huius coniuge adhuc sospite, iniret. Nefas autem esse matrimonio illicito atque invalido operam praestare, nemo unus ignorat. Atque id per proclamationes fieri declaravit pluries Apostolica haec Sedes, ac praesertim fel. rec. praedecessor noster Pius VI. in suis literis ad Card. Archiepiscopum Mechliniensem die XIII. iulii MDCCLXXXII. datis (2). Nec vero res inde potest honestari quod parochus stolam dimittat in matrimonio proclamando: natura siquidem actus satis aliunde constituitur per loci, temporis, personae ac finis circumstantias. Mittimus matrimonio superius memorato obstitisse impedimentum mixtae religionis, atque adeo sine veniâ Sedis Apestolicae et conditionibus, quae ab eâ solent praescribi, contrahi nullo pacto potuisse.

§ 3. Habes in his, venerabilis frater, quae sit super negotiis huiusmodi mens nostra, a qua te nullatenus discessurum fore confidimus. Atque hac de te ipso fiduciâ freti apostolicam bened. tibi gregique pastorali solicitudini tuae commisso peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VIII. febr. MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno I.

XCV.

Ad revocandum ad pristinum institutum Collegium Missionum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantiâ in conventu S. Bartholomaei in Insula Tiberis existens, Visitatorem Apostolicum deputat Carolum Mariam S. R. E. Cardinalem Pedicini.

Venerabili fratri nostro Carolo Mariae Episcopo Praenestino Card. Pedicini S. R. E. Vice-Cancellario,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Gravissimum munus, quo functuri sunt ii, quibus catholicae Religionis in regionibus infidelium vel haereticorum potestati subiectis propagandae cura tribuitur, omnino requirit, ut non ante exploratam eorumdem vitae ac doctrinae probationem ad ea loca mittantur. Nulla enim probabilis sperandi ratio afferri posse videtur, futurum ut Religioni utile et animarum saluti procurandae opportunum illorum ministerium esse possit, qui vitae sanctitatis exemplum exhibere populo nequeunt, quique eâ doctrinâ destituantur, quae ad errores refellendos et ad fidei veritatem confirmandam necessaria est. Prooemium.

§ 1. Huius rei consideratione permota venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregatio de Propagandâ Fide, cui fel. rec. praedecessor noster Gregorius XV. universum Religionis in iis lo- Cura S. C. de P. F. de idoneitate Missionar.

(1) Vide vol. IV. pag. 268, *Non potiam* etc.

cis augendae negotium procurationemque commisit, diligentiam omnem semper impendit, ut qui ad missionarii munus obeundum eliguntur, morum integritate, religionis studio, ac doctrinae laude commendentur. Plane sentiens quantopere sit cum missionum utilitate coniunctum, ut ad eas nonnisi spectatae probitatis ac doctrinae viri destinentur, fel. record. Clemens XI. praedecessor noster libenter confirmavit initum ab eâ Congregatione sapientissimum consilium de praecipiendâ nonnullorum Ordinum regularium superioribus conventuum seu coenobiorum deputatione pro Collegiis missionum, in quibus ad ministerii opera et ad sacra studia religiosi viri instituerentur, qui deinde ad missionum loca profecturi sunt. Nos etiam, quamdiu illi Congregationi praefuimus, omnem operam impense dedimus, ut ea collegia rite recteque gubernarentur, et expectationi responderent propter quam instituta fuerunt. Eamdem curam ostendimus cum, ad D. Petri Sedem licet immerentes evecti, opportunâ auctoritatis nostrae remedia adhibuimus, si quod ex iis debuit ad meliorem ordinem revocari.

Status collegii missionum Sancti Bartholomaei.

§ 2. Haec cum ita sint, non potuerunt solicitudinem nostram non excitare quae accepimus de Collegio missionum, quod in conventu S. Bartholomaei in Insulâ Tiberis Ord. fratrum Minorum S. Francisci de Observentiâ anno MDCCX., incipientibus *Commissi nobis,* confirmavit ac servandas perpetuo iussit. Non modo enim leges adeo sapientes ad illius Collegii bonum latae non diligenter servantur, sed pluries contigisse relatum est, ut dissidia in eâ domo commoverentur, religiosi viri, qui ad missiones ibi informantur, vel parum studiis dediti, vel parvo numero reperiantur, vel iis virtutum exemplis destituantur, quae in primis utilia sunt, ut adolescentium praesertim vitae ratio ad arduum missionarii munus gerendum idonea evadat. Quamobrem volentes his incommodis occurrere, et ad optimum regimen illud Collegium perducere, in quo instituendi religiosi viri, qui praeter ceteras missiones ei Ordini commissas ad sacrum ministerium exercendum destinantur in ssmis Palestinae locis, Religionis nostrae mysteriis et ipsius D. N. Iesu Christi exemplis ac passione nobilitatis, statuimus egregium aliquem virum et rerum ad missiones spectantium peritum designare, cui Visitationem Apostolicam in eo Conventu et Collegio faciendam committeremus.

Visitatorem iuxta modum constituit.

§ 3. Ad te igitur, venn. frater noster, oculos cogitationemque convertimus, teque aptissimum esse iudicavimus, quem ad Visitationem illam utiliter peragendam eligeremus. Assuetus enim prorsus es rebus missionum pertractandis, cum multos annos Secretarii primum, deinde Praefecti Congregationis de Propagandâ Fide munus diligentissime gesseris; te ergo, ven. frater noster, Conventus et Collegii missionum apud S. Bartholomaeum in Insulâ Tiberis Visitatorem Apostolicum cum omnibus et singulis facultatibus, iuribus, indultis ei muneri adnexis auctoritate apostolicâ ad nostrum et Apostolicae Sedis beneplacitum eligimus, constituimus et deputamus. Valde autem in Domino confidimus fore, ut, rerum statu adiunctisque omnibus mature perpensis, proponas nobis talia, quae ad Collegii illius regimen optime stabiliendum, et ad uberes ex eo fructus in posterum colligendos opportuna sint.

Obedientiam ordinibus visit. omnibus praecipit.

§ 4. Quamobrem universis et singulis, ad quos spectat ac spectabit in posterum, mandamus, ut tibi in praemissis prompti pareant atque obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter excipiant, et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem Conventus et Collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI. feb. MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

XCVI.

Cum Vicarius Apostolicus Coreae in hoc regnum ingredi non posset, addit Vicariatui Coreano regnum Lieu Kieu, ubi Vicarius residere possit, et utrique regno ministerium suum exhibere.

GREGORIUS PP. XVI.
ad futuram rei memoriam.

Pastoralis ministerii munus nobis supernâ Dei providentiâ commissum omnino postulat atque efflagitat, ut singulari curâ et studio universi dominici gregis bono prospiciamus, iisque praesertim ovibus consulamus quae regiones longe ab hac Apostolicâ Sede dissitas incolunt.

§ 1. Itaque cum accepimus plurimis obortis difficultatibus venn. fratrem Bartholomaeum Bruguiere Episcopum Capsensem Coreae fines ingredi nondum potuisse, ac propterea commode obire non posse munia Vicariatus ab hac Apostolicâ Sede pro Coreanis nuper erecti, ut spirituali christianorum bono consulatur qui in eo regno degunt et iamdiu a finitimis Episcopis derelicti, hinc de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum consilio opportunum esse censuimus, ut eidem Vicario Apostolico alibi sedem suam statuere liceat, ubi utiliter officium suum exercere valeat, tam pro Coreanis quam pro incolis, quos inter ille tuto manere possit.

§ 2. Quare cum nobis relatum fuerit esse in mari indico proprio Regi subiectum partemque regni praecipuam esse Insulam Lieu Kieu proprie dictam, in qua Rex ipse residet in palatio Chieu lis nuncupato, regni autem huiusmodi incolas optimae indolis, sinceros, comes, mansuetos et erga advenas, qui eos visitant, benignos et hospitales, proindeque sperandum, cessurum esse in magnam eorum utilitatem, si apud eos Vicarius Apostolicus Coreae sedem suam statuat, eidemque eorum spiritualis cura committatur; idcirco de eorumdem venn. fratrum sententiâ regnum Lieu Kieu Vicariatui Apostolico Coreae adiungendum existimavimus.

§ 3. Quamobrem hisce literis de potestatis nostrae apostolicae plenitudine Vicariatui Apostolico Coreae regnum Lieu Kieu adiungimus, ita ut idem Vicarius Apostolicus in spiritualis iurisdictionis exercitio in utroque regno huic Apostolicae Sedi immediate subiectus maneat, et populi eidem commissi a quacumque aliâ episcopali dioecesi apud Sinas constitutâ separati censeantur et sint, prout eâdem auctoritate nostrâ apostolicâ harum literarum vi separamus atque seiungimus.

§ 4. Haec volumus, statuimus atque mandamus etc. ceterisque etiam speciali individua et expressa mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI. apr. MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

XCVII.

Occasione dissidiorum inter Armenos Constantinopolit. exortorum post decreta a Sede Apostolicâ (an. MDCCCXXXII.) lata circa ritus ibi servandos, eosdem Armenos, iudicatâ ratione eorumdem decretorum, hortatur, ut in unitate spiritus concordes, eisdem decretis se conforment, insuper etiam proprio Archiepiscopo Primati subiiciantur (1).

Dilectis filiis Clero et Populo catholico Armeno Constantinopolitano,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Studium paternae benevolentiae, quo universam catholicorum Armenorum gentem, vosque speciatim, dilecti filii, prosequimur, urget nos, ut iuvandis ecclesiae vestrae rationibus, communique saluti ac tranquillitati tuendae et confirmandae assiduas curas impendamus. Prooemium.

§ 1. Sane quo ex tempore iussu Leonis XII. gl. mem. decessoris nostri Praefecturam inivimus Congregationis Propagandae Fidei, fuit nobis plane iucundissimum adesse consiliis et operâ summo eidem Pontifici, ac subinde proximo eiusdem successori fel. item record. Pio Papa VIII., dum uterque ipsorum allevare anniteretur calamitates quibus vexati fui- Cura decessorum et Pontificis pro Armenis.

(1) Vide supra pag. 36.

stis, et causas removere, unde aliae in posterum oriturae metuebantur. Cum autem id Deo dante feliciter contigisset, et vobis per nova celsissimae Othomanae aulae decreta a schismatici praesidis iugo subtractis, plenioremque ssmae Religionis palam exercendae libertatem adeptis, peculiarem quoque Pius VIII. Archiepiscopum Primatem tribuisset, nos, qui licet immerentes Pontifici eidem paulo post defuncto successimus, haud certe destitimus singularem de vobis solicitudinem gerere, ac providere, quantum in nobis esset, ut melior ille vestrarum rerum status solidaretur quotidie magis, et ampliora, quoad fieri posset, incrementa susciperet.

§ 2. Et quoniam relatum ad nos fuerat de aliquâ sacrorum rituum varietate in liturgiam vestram inductâ, et de dissensionibus apud vos ea propter exortis, nostrum omnino esse censuimus providere in tempore, ut ipsa illa contentionum causa removeretur. Itaque venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus praedictae Congregationis Propagandae Fidei mandavimus, ut rem universam diligenti examine perpenderent atque componerent, prout opportunum in Domino visum foret. Qua quidem in re nobis ac memoratae nostrae Congregationi illud omnino propositum fuit, ut ex ratione a SS. Patribus circa probatas orientalium nationum liturgias perpetuo constanterque servatâ, quam in suis Encyclicis literis (1) disertissime exposuit Benedictus XIV., ipsa etiam vetus et venerabilis liturgia Ecclesiae Armenae sarta tecta haberetur. Id tamen impedimento esse non poterat, quominus retinerentur simul ritus nonnulli ex aliis ecclesiis accepti, quos maiores vestri, aut quia rectiores visi fuerant, adamarunt, aut tanquam notam ab haereticis schismaticisque vos discernentem aliquo abhinc tempore assumpserunt. Nec enim novum est, ut inter ecclesias catholicâ invicem unitate coniunctas, propriamque liturgiam firmiter custodientes, quaedam huiusmodi rituum communicatio contigerit; et ipsa quoque aliarum ecclesiarum mater et magistra Romana Ecclesia haudquaquam dedignata est nonnullos adsciscere ritus in Orientis ecclesiis usitatos, sicuti ex iis manifestum est quae afferuntur memoratis in literis a Benedicto XIV.

§ 3. Quid est igitur, dilecti filii, quod, post plures seu declarationes seu literas a Congregatione Propagandae Fidei super negotio illo Armenorum rituum auctoritate nostrâ datas, sunt adhuc inter vos, qui aut nimio novarum consuetudinum amore decepti, aut inducti falso quodam zelo vetustatis vel in minimis suis partibus defendendae, scissuras fovent inter fratres, nec decretis memoratae Congregationis, nec ven. fratris Antonii Primatis Archiepiscopi monitis acquiescunt? Equidem vix explicare verbis possumus quantam nobis acerbitatem animi vestrae huiusmodi dissensiones attulerint. Os nostrum patet ad vos, o carissimi, cor nostrum dilatatum est; audite vocem amantissimi Patris non aliud certe quam salutem animarum vestrarum et veram ac solidam vestri generis utilitatem quaerentis. Agnoscite subdolas satanae artes, qui cum nihil profecerit calamitatibus paucos ante annos inductis ad vestram fidem labefactandam, viderítque immo vexationem illam in amplius cessisse Religionis catholicae emolumentum, nunc novis insidiis conturbare vos, atque ab obedientiâ legitimae auctoritatis ecclesiasticae abducere conatur; ut ita scilicet fructus amittatis in glorioso illo certamine acquisitos, ac mutuâ contentione et aemulatione discissi opprobrium sitis vicinis vestris, subsannatio et derisus his qui in circuitu vestro sunt. Vos igitur qui malignum vicistis apertâ vi animas vestras oppugnantem, cavete adhuc, ne illius artibus dolisque capiamini. Sed memores illius, quod a Domino Redemptore nostro accepimus, novi mandati (2), diligite invicem sicut Ipse dilexit nos, et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore. Sicuti autem ex membris unius corporis non omnia eundem actum habent, ita unusquisque vestrum maneat oportet in ordine suo, ut laici sacerdotibus reverentiam exhibeant, ut sacerdotes laicis dilectionem impendant, omnes autem subiecti per omnia sint Romano Pontifici, cui, propter illam, quam in B. Petro accepit, plenam universalis Ecclesiae regendae auctoritatem, obedientia a cunctis ubique fidelibus necessario debetur.

Acerbitatem doloris animi sui ostendit ob dissentiones Armenorum.

(1) Datis XXVI. iulii MDCCLV. quarum initium *Allatae sunt*, vide vol. III. Iuris.

(2) Ioan. XIII., 34.

Archiep. Primati obediendum esse praecipit.

§ 4. Sed et Archiepiscopo Primati vestro obedire vos, dilecti filii, necesse est, qui omnium vestrum ab Apostolicâ hac Sede constitutus est pastor. Toto igitur corde eidem subiacete, ipse enim pervigilat quasi rationem pro animabus vestris redditurus, ut cum gaudio hoc faciat, et non gemens, hoc enim non expedit vobis. Atque ita et in obedientiâ manebitis S. ipsius Sedis cui Archiepiscopus idem ad exemplum fidelissime obsequitur.

Armenos ad pacem noviter exhortat.

§ 5. Videte, dilecti filii, qualibus literis scripsimus vobis, ut nostram in vos ardentissimam caritatem nostramque de vestris rebus solicitudinem magis magisque perspiciatis. Interea Deum, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera, humiliter per merita Iesu Christi obsecrare non desistimus, ut effundat super vos misericordiam suam, et corda vestra caelestis gratiae suae rore perfundat, quo ad eius iustitiam faciendam fovendamque inter vos tranquillitatem et pacem vestra procedant eloquia, et cogitationes atque opera dirigantur. Id vos adiutore Domino alacriter cumulateque praestituros nobis omnino pollicemur, ac benedictionem apostolicam ex visceribus paternae nostrae caritatis depromptam vobis omnibus, dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die II. maii MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

XCVIII.

Separat a dioecesi Quebecensi districtum Marianopolitanum in inferiori Canada, et in novam erigit dioecesim ab Apostolicâ Sede immediate dependentem, cum sede in urbe Marianopolit., assignatis ecclesiâ Cathedrali et clero qui novo Episcopo subiici debeat, et datâ eidem Episcopo facultate Capitulum Cathedrale constituendi (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Apostolici ministerii munus nobis licet immerentibus in D. Petri personâ ab alto commissi requirit ut, de religionis bono in remotissimis etiam regionibus amplificando solicitudinem nostram impendentes, nihil omittamus, quod cum fidei catholicae incremento quacumque ratione coniunctum sit.

§ 1. Itaque cum indubiis gravibusque testimoniis acceptis nobis constiterit, valde opportunum futurum religionis utilitati in Canadensi regione procuranddae, si civitas Marianopolitana, quae in inferiori illius provinciae parte sita est, et regio tota quae Marianopolitano districtu continetur, a dioecesi Quebecensi separata in peculiarem dioecesim ab Apostolicâ Sede immediate dependentem erigatur, non omisimus ea praescribere, quae ad grave hoc negotium absolvendum opportuna esse iudicavimus. Communicato igitur cum venn. fratribus nostris S. R. E.

(1) Marianopolitanae novae dioecesi praefecit Ger. Lartigne sequenti litera ex reg. brev. desumpta.

Venerabili fratri Ioanni Germano Lartigne Episcopo Thelmessensi in partibus,

GREGORIUS PAPA XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium etc. contigerit attentari. Cum igitur per alias nostras similes litteras hoc ipso die editas, quarum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus et in quib. plenius continetur, novus Episcopatus in Inferiori Canadâ fuerit erectus, qui civitatem Marianopolitanam et totam regionem in Metropolitano districtu a dioecesi Quebecensi distractas comprehendat, et cuius sedes esse debeat in urbe Marianopolitana, ac Cathedralis Ecclesia templum S. Iacobi recenti memoria Marianopoli conditum, et qui denique nobis et huic Apostolicae Sedi immediate subiectus esse debet: Nos ad huiusmodi novae Episcopalis Ecclesiae provisionem celerem atque felicem in qua nullus etc. personam utilem ac fructuosam cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, ad te, qui nunc Episcopus Thelmessensis in partibus infidelium existis, et qui hactenus summa cum laude tamquam Vicarius Generalis suffraganeus auxiliaris Archiepiscopi Quebecensis ecclesiastico illius civitatis et districtus regimini praefuisti, atque ea in regione de catholica religione optime meritus es, prout ex fide dignis testimoniis nobis innotuit, oculos mentis nostrae direximus. Rebus itaque omnibus maturo examine perpensis, atque eamdem novam episcopalem Ecclesiam Marianopolitanam de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus, ob tuorum exigentiam meritorum, accepta, de eorumdem VV. FF. consilio providere volentes, teque a quibusvis excommunicationis etc. te ab episcopatu Thelmessen. in partibus infidelium in illam transferimus, teque in Episcopum Marianopolitanae Ecclesiae praeficimus atque Pastorem, curam, regimen etc. incrementa suscipiet. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris etc. esse commissam etc. et gratiam. Non obstantibus etc. caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. maii MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

Cardinalibus Propagandae Fidei praepositis consilio, eorumque communi suffragio de novae huius dioecesis erectione libenter probato, de qua faciendâ non modo consensum sed preces etiam a venn. fratre Iosepho Signay Archiepiscopo Quebecensi accepimus, haec decernenda esse arbitrati sumus.

§ 2. Motu scilicet proprio, et ex certâ scientiâ ac deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, Marianopolitanam civitatem in inferiori Canadâ totamque regionem quae Marianopolitano districtu continetur, a dioecesi Quebecensi perpetuo separantes, civitatem illam totumque eius districtum in peculiarem episcopatum erigimus, qui huic Apostolicae Sedi immediate subiectus esse debebit, cuiusque sedes sit civitas ipsa Marianopolitana, ex qua eiusdem episcopatus titulus seu appellatio derivetur.

§ 3. Statuimus praeterea ut cathedralis ecclesia Episcopi a nobis in eâ civitate instituendi sit templum Deo in honorem S. Iacobi Apostoli dicatum recenti memoriâ inibi conditum. Tribuimus Episcopo a nobis instituendo facultatem Cathedrale Capitulum statuendi eo modo et formâ, quibus pro iudicio ac prudentiâ suâ magis in Domino expedire compererit. Volumus praesentem clerum ad civitatem et districtum Marianopolitanum pertinentem sub Episcopi Marianopolitani esse iurisdictione. Declaramus denique eos, qui vel origine vel domicilio ad districtum ac civitatem illam spectant et in ecclesiasticis ordinibus sunt constituti, vel titulo illius missionis ad sacros ordines sunt promoti, in Episcopi Marianopolitani dependentiâ esse debere.

§ 4. Haec sunt, quae ad novam istam dioecesim rite instituendam decernenda esse censuimus. Confidimus autem futurum ut, Deo O. M. initum a nobis consilium benedicente et laboribus obsecundante, quos ecclesiastici viri in illâ regione pro fidei catholicae propagatione et in animarum salute procurandâ alacriter impendunt, religio nostra ampliorem quotidie splendorem illic consequatur.

§ 5. Decernentes, has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore etc. in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. maii MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

XCIX.

Vicarium Apostol. charactere episcopali insignitum Ioannem Baptistam Pompellier Congregationis Marianae Lugdunensis in eâ Oceaniae parte constituit quae eiusdem Congregationis curae commissa est, et cuius terminos describit.

Dilecto filio Ioanni Baptistae Pompellier dioecesis Lugdunensis in Galliis presbytero Congregationis Marianae,

GREGORIUS PP. XVI.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Pastorale officium nobis ex alto commissum postulat atque efflagitat, ut animarum saluti summâ vigilantiâ, curâ et studio pro viribus consulamus.

§ 1. Itaque cum nuper missio fuerit decreta in eâ Oceaniae parte, quae insulas omnes Oceani Pacifici tam septentrionalis quam australis in occidentali plagâ complectitur, ab Arcipelago sic dicto de Mangeâ inclusive et rectâ lineâ a septentrione in meridiem per eamdem insulam Mangea ductâ, iis locis exceptis, in quibus ecclesiastica catholica auctoritas legitime iam instituta reperitur, eiusque missionis cura spiritualis sacerdotibus Marianae Congregationis Lugdunensis et Bellicensis fuerit demandata, ad rectius eiusdem missionis regimen, atque ad spirituale bonum felicius procurandum tot populorum, qui in tenebris adhuc sedent et umbrâ mortis, conducere existimavimus Vicarium Apostolicum charactere episcopali insignitum in remotis adeo atque inter se dissitis regionibus deputare, cuius iurisdictioni praedictarum insularum missionarii subesse debeant. Eiusmodi vero munus de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio tibi committendum censuimus, quem spectatâ fide, morum integritate, doctrinâ, prudentiâ, pietate et catholicae religionis zelo maxime commendatum cognoscimus, eâ profecto spe freti fore, ut hoc munere summâ cum laude perfungaris.

§ 2. Quamobrem hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ te, quem per similes apostolicas literas hoc ipso die datas

Episcopum de Maroneâ in part. infid. renunciavimus, peculiari beneficentiâ complecti, et a quibusvis etc. censentes, in Vicarium Apostolicum in eâ Oceaniae occidentali parte, de qua habita mentio est, ad nostrum et huius Apostolicae Sedis beneplacitum eligimus, constituimus et deputamus cum omnibus et singulis iuribus, honoribus, facultatibus, quae eiusmodi propriae sunt muneris, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus propterea omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit pro tempore, ut tibi in praemissis prompte pareant et obediant etc. observari.

§ 3. Non obstantibus apostolicis etc. ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. maii MDCCCXXXVI. pontificatus nostri anno VI.

C.

Ad missiones Capuccinorum in Mari Aegeo, Asiâ Minori et Constantinopoli rectius dirigendas, earum Visitatorem deputat Iosephum Angelum Fazio eiusdem Ordinis electum Episcopum Tipasitanum in part. infid. datâ ei potestate regulas etiam in iisdem missionibus statuendi, quae vim habeant donec a S. Congregatione secus decernatur.

Dilecto filio Iosepho Angelo Fazio a Planellâ dioecesis Pinnensis Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum electo Episcopo Tipasitano,

GREGORIUS PP. XVI.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Apostolici ministerii munus nobis divinitus concreditum postulat atque efflagitat, ut omni quidem vigilantiâ et studio ea peragenda curemus, quae ad religiosarum familiarum praesertim bonum atque utilitatem pertinent, ut earum alumni coelestis vocationis spiritum nunquam extinguant, sed aemulentur semper charismata meliora.

§ 1. Cum igitur missio in insulis Maris Aegei, Asiae Minoris et Constantinopolis, cuius cura fratribus Minorum Ord. Sancti Francisci Capuccinorum concredita, ab eo statu, in quo antea floruerat, nonnihil deflexisse videatur, idcirco de venn. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, aliquem spectabilem virum in eiusdem missionis Visitatorem Apostolicum eligendum censuimus, ut defectus huiusmodi quae verae sint causae clarius dignoscere, eisque consulere possimus, ac nonnullae statuantur regulae a missionis Praefecto et missionariis servandae, quarum usu in excolendâ eâ Domini vineae parte eorumdem opera utilior evadat. Huiusmodi vero munus de eorumdem venn. fratrum nostrorum consilio tibi, dilecte fili, quem per similes apostolicas literas Episcopum Tipasitan. eligimus, committendum existimavimus eâ profecto spe freti, fore ut singulari tuâ pietate, doctrinâ ac prudentiâ, et catholicae Religionis zelo atque animarum salutis studio, nostris desideriis cumulatissime respondeas.

§ 2. Itaque hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ ad nostrum et Apostolicae huius Sedis beneplacitum te in Visitatorem Apostolicum missionis memoratae eligimus, constituimus et deputamus, tibique omnes et singulas facultates concedimus atque impertimur, quae eiusmodi propriae sunt muneris, tibique committimus, ut diligenter inspicias qui sunt abusus, eosdemque tollere cures, novasque regulas, quoties opus fuerit, proponas, quae quidem regulae plenarium habeant effectum, donec eadem Congregatio super his quid in posterum servandum sit iudicaverit. Volumus vero ut omnia tuae Visitationis acta ad eamdem congregationem mittas, eamque de rebus omnibus vel diligentissime certiorem facias.

§ 3. Mandamus propterea omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompte pareant atque obediant, tuaque etc.

§ 4. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. maii MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

CI.

Collegium Hibernorum Urbis ex Ginnasiano domicilio transfert ad domum et templum S. Agathae in Suburra, utriusque usum eidem Collegio tribuens, salvo tamen iure S. R. E. Cardinalis Diaconi Titularis pro tempore, ac servatis Collegio privilegiis iam concessis.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram maxime decet, ut in ipsâ Urbe, in qua D. Petri Apostolorum Principis Sedes posita est, pateant domicilia, ad quae ex longe dissitis regionibus adolescentes confluant, in iisque ad scientiarum studia, ad omnem pietatem atque ad ecclesiasticum ministerium rite obeundum informentur. Summopere enim congruum est ut ad religionem propagandam sacerdotes proficiscantur ex eâ Urbe cui Apostoli acceptam a Christo doctrinam proprio sanguine firmatam tradiderunt. Haec praecipue causa fuit cur Romani Pontifices praedecessores nostri tantâ solicitudine curarint, ut Romae collegia gentium exterarum quantâ potuit amplitudine instituerentur, atque iis privilegiis ornarentur, quae ad ecclesiasticum ministerium utiliter in patriâ suâ implendum adolescentes alumnos idoneos efficerent.

Cura Pont. colleg. post restitutum pontificium regimen.

§ 1. Perspicuum huius curae pastoralis argumentum praedecessores nostri exhibuerunt, cum post publicam ditionis pontificiae calamitatem, quae recenti memoriâ nostrâ contigit, civile regimen pontificium restitutum est. Inter cetera religionis instituta, quae durantibus iis vicissitudinibus iacere coacta sunt, omnem operam diligentissime dederunt, ut collegia iamdiu in Urbe condita in veterem splendorem revocarentur. Tale fuit collegium Cardinalis Ludovici Ludovisii munificentiâ constitutum, quod ad Hibernorum adolescentium doctam ecclesiasticamque institutionem pertineret. Cum enim illud quoque clausum eo tempore fuisset, neque opportunum videretur, ut vetus illa domus, quam Hibernenses alumni antea incoluerant, ad collegii restitutionem adhiberetur, fel. rec. praedecessor noster Leo XII. decrevit, ut satis amplum domicilium, in quo antea Ginnasium monialium coenobium et deinde collegium Umbro-Fucciolium fuit, ad Hiberniae nationis collegium iterum stabiliendum destinaretur. Videbatur quidem commodae alumnorum habitationi Leo XII. prospexisse. Sed illud interea deerat, quod in collegio adolescentium ecclesiasticorum institutioni destinato necessario requiritur. Desiderabatur enim ut templum aliquod, collegio adiectum, ad collegium ipsum pertineret, in quo sacris caeremoniis exercendis alumni possent operam dare. Id autem valde difficile erat efficere, cum templum Deo in S. Luciae Martyris honorem dicatum, et Ginnasianis aedibus adiunctum, a presbyteris Romanis iamdiu diligenter procuretur.

Translationem collegii disponit.

§ 2. Cupientes igitur nos huic rei consulere, et simul animi nostri erga collegium Hibernorum studium quotidie magis demonstrare, statuimus collegium ipsum alio transferre, atque prospicere, ut aedes aptas aeris salubritate opportunas haberet, quibus templum additum sit, quod ecclesiasticorum in collegio commorantium curae committeretur. Haec animo volventes, et de implendo consilio a nobis inito studiose cogitantes, mentem nostram ad celeberrimam S. Agathae Martyris ecclesiam convertimus, quae Gothorum et in Suburrâ solet appellari. Optabamus dudum vehementer, templum illud vetustate et populi veneratione commendatum, quod S. Gregorius ipse Magnus, cuius dignitatis et nominis licet immerentes nos haeredes sumus, ab Arianorum invasione purgatum Deo opt. max. iterum consecraverat, assiduae sacerdotum curae tribuere, qui quotidianâ praesentiâ suâ ibi sacra ministeria peragerent. Notum enim est ex quo inde abierunt monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Virginis, quibus Gregorius XIII. fel. rec. praedecessor noster apostolicis literis, incipientibus *Regimini,* diei XXIV. martii MDLXXIX. illud templum adiectaque domicilia tradiderat, deficientibus sacerdotibus, qui quotidianam in eo templo operam suam adhiberent, multum de veteri erga Martyrem illam, in cuius honorem aedificatum est, observantiâ remissum fuisse. Laetati igitur maxime sumus oblatam nobis occasionem fuisse, ut initi consilii executione templi superius memorati splendorem excitaremus, et collegium Hibernense, cuius utilitatem magnopere

quaerebamus, aptiori commodiorique domicilio donare possemus.

§ 3. Mentem nostram de eâ re cum dilecto filio nostro Ioanne Francisco S. Agathae in Suburrâ diacono S. R. E. Cardinali Marco y Catalan communicavimus. Is autem sibi gratissimum fore demonstravit, domiciliis, quae templum S. Agathae attingunt, ad collegii Hibernensis habitationem destinatis, templi curam ab ecclesiasticis in posterum geri, qui illi collegio addicti sunt. Fuit hoc etiam valde iucundum dilecto filio nostro Iacobo Philippo tituli S. Mariae in Aracoeli presbytero Cardinali Fransonio, qui tanquam S. Consilii christiano regimini propagando Praefectus, Hibernensis collegii Patronus est. Rebus denique omnibus, quae negotium hoc respiciunt, mature perpensis, apostolicâ auctoritate nostrâ haec decernenda esse iudicavimus.

S. Agatham in Suburra Collegio Hibernensi, iuxta modum, concedit.

§ 4. Collegium Hibernense ex veteri Ginnasiano domicilio ad S. Agatham in Suburrâ transferimus, ampla domicilia quae ecclesiae S. Agathae adiecta sunt, cum omnibus pertinentiis suis collegio Hibernensi in perpetuam habitationem tribuimus et destinamus. Templum S. Agathae collegii curae committimus, salvo in omnibus iure, quod dilecto filio nostro Ioanni Francisco Marco y Catalan veluti S. Agathae S. R. E. Cardinali diacono eiusque successoribus ex nomine convenit. Volumus quae ad templum illud pertinent, quaeque quacumque ratione hactenus ob templi S. Agathae procurationem proveniunt, ad collegium Hibernense eâdem de causa spectare; declaramus omnia privilegia, facultates, indulta, quibus collegium Hibernense hactenus ab Apostolicâ Sede donatum est, in suo robore permanere; derogamus Gregorii XIII. constitutioni, cuius facta superius mentio est, et Pii VII. praedecessoris nostri mandato, quo utraque illa domus piis foeminis tributa fuit, quae puellarum christianae institutioni per urbis regiones operam impendunt, quibusque habitationem in veteri Ginnasiano monialium coenobio destinamus. Confidimus denique futurum ut Hibernorum natio, quae singulari in catholicâ religione constantiâ, et praecipuâ erga Sedem Apostolicam veneratione commendatur, ex novo hoc nostrae in collegium illud voluntatis testimonio ad religionem impensius fovendam animetur etc.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die III. iunii MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

CII.

Gaudet de novâ ad Ecclesiae unitatem accessione quingentorum schismaticorum ex oppido Lugos sibi ab Episcopo Csanadiensi relatâ, praeter illam plurium millium quae biennio ante contigerat, eiusdemque Episcopi et per eum cleri ipsius zelum excitat ad nova Ecclesiae incrementa verbo ac praesertim exemplo provehenda (1).

Venerabili fratri Iosepho Csanadiensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Literas accepimus sensibus plenas Episcopo plane dignis, quas die X. mensis februarii ad nos dedisti, tibique, venn. frater, gratias persolvimus pro libello tuae dioeceseos conspectum quemdam continente, cuius exemplum mittere nobis voluisti. Illud deinde longe gratissimum fuit quod renunciasti de catholico populo, qui nova istic suscipit incrementa. Nam praeter plura illa schismaticorum millia, qui binos ante annos ab errore viae suae conversi sunt, nuper etiam unus schismaticus presbyter et laici homines quingenti ex oppido Lugos unitati Ecclesiae sunt aggregati; quod quidem exemplum nos quoque tecum una confidimus fore perutile aliis plurimis ad recipiendae salutis aemulationem excitandis. Benedictus Deus et Pater D. N. Iesu Christi qui te, venn. frater, nosque ipsos tantâ huiusmodi consolatione consolari dignatus est. Tu igitur Dei eiusdem auxilio innixus perge, ut facis, alacriori usque sedulitate implere munus tuum ac mysticam exercere talentorum negotiationem, quae est de animabus Christo lucrandis, et cura praesertim ut catholicus iste clerus, eodem ac fraternitas tua spiritu animatus, non verbo so-

(1) Ex Reg. Vat. ep. ad Principes etc.

lum praeluceat caeteris sed etiam exemplo. Huius enim, ut probe nosti, magna vis est sive ad fideles oves in officio continendas, sive ad devias attrahendas reducendasque ad ovile. Quod superest, te ac memoratum clerum reliquumque gregem tuum Deo et Verbo gratiae ipsius humillime commendamus, et nostrae praecipuae caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, venn. frater, atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die VIII. iunii MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

CIII.

In Orâ Coromandalicâ Vicariatum Apostolicum erigit, qui complectatur regiones curae presbyterorum Seminarii Parisiensis missionum ad Exteros concreditas.

GREGORIUS PP. XVI.
ad futuram rei memoriam.

Apostolici muneris officium nobis ex alto commissum postulat atque efflagitat, ut omni quidem vigilantiâ et studio dominici gregis bono et commodo consulamus.

§ 1. Itaque cum ad catholicae religionis bonum procurandum utile omnino esse acceperimus in missionibus, quae Seminario Parisiensi missionum ad Exteros in orâ Coromandalicâ commissae sunt, Vicariatum Apostolicum constituere, qui loca illa omnia comprehendat, in quibus memorati Seminarii sacerdotes missionarii munere in eâ regione hactenus consueverunt, eiusmodi Vicariatum erigendum decrevimus.

§ 2. Quamobrem de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio hisce literis de apostolicae nostrae potestatis plenitudine Vicariatum Apostolicum in Orâ Coromandalicâ erigimus, et in eo Vicarium Apostolicum constituimus. Ipsi autem Vicario, ab hac Apostolicâ Sede adlegendo, omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas, eâdem auctoritate nostrâ concedimus et impertimur. Haec statuimus atque decernimus volentes has praesentes literas etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris die VIII. iulii MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

CIV.

Visitatorem monasterii S. Clarae ord. S. F. prope Dublinum instituit (1).

Venerabili fratri Danieli Murray
Archiepiscopo Dublinensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nobis innotuerit monasterium Ord. S. Francisci Monialium S. Clarae Kingstonii prope Dublinum constitutum, magno in discrimine versari tum ob aes alienum, quo gravatur, tum ob excitatas circa temporalia negotia controversias, tum denique ob alia plura, quae internam animorum tranquillitatem attingunt, Visitatorem eidem monasterio praeficere statuimus, qui omnia mala, quae in illud irrepsere sua prudentia ac dexteritate de medio tollere possit. Itaque probe noscentes te, venn. frater, singulari prudentia, doctrina, integritate, pietate praeditum iis fulgere dotibus, quae ad eiusmodi munus obeundum sunt accommodatae, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, munus ipsum tibi concredere censuimus, ea profecto spe freti, fore ut singula quaeque quae ad illius monasterii bonum procurandum pertinent, cumulate sis expleturus. Quocirca peculiari te benevolentia complecti volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te venn. fr. hisce litteris auctoritate nostra apostolica in visitatorem apostolicum monasterii Ordinis S. Francisci Monialium S. Clarae Kingstonii prope Dublinum constitutum ad nostrum et huius Apostolicae

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 207.

Sedis beneplacitum eligimus, constituimus et deputamus cum iis omnibus et singulis facultatibus, quae eiusmodi propriae sunt muneris, suspensa interim omni superiorum regularium in idem monasterium iurisdictione. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompte pareant et obediant tuaque mandata ac salubria praecepta reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, secus sententiam seu poenam quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XV. iunii MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

CV.

Ex mente Visitatoris Apostolici collegium missionum S. Bartholomaei in Insulâ Tiberinâ S. Francisci Observantium separat a provincia Romana ac subiicit immediate ministro generali; iubet insuper ut ex collegio amoveatur quamprimum philosophiae studium et inducatur vita communis; statuit quae esse debeat collegii dependentia a S. Congregatione; praecipit tandem ut in ceteris servetur Clementis XI. constitutio.

GREGORIUS PP. XVI.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Divino penitus consilio fel. rec. Clemens XI. praedecessor noster sententiam Congregationis de Propagandâ Fide libentissime confirmans, nonnullorum Ordinum regularium superioribus praecepit, conventuum, seu coenobiorum deputationem pro collegiis missionum, in quibus religiosi viri, qui se ad missiones apud infideles obeundas vocari dicerent, per statutum tempus vocationis suae maturius experimentum facerent, et orationi ceterisque pietatis officiis impensius vacantes, et studia theologicarum disciplinarum atque orientalium idiomatum sedulo persequentes, ad ardui ministerii opus, ut par est, exequendum instituerentur. Vidit enim sapientissimus Pontifex quanti intersit missionum bono, quae in regionibus infidelium et haereticorum potestati subiectis habentur, ut ad eas nonnisi probatae vocationis spectataeque pietatis atque doctrinae viri deputentur. Hac nos consideratione permoti, quam praecipuam curam gerere studuimus quamdiu memoratae Congregationi de Propagandâ Fide praefuimus, ut missionum collegia, quae laudati aliorumque Pontificum praedecessorum nostrorum pastorali sollicitudine erecta in Urbe inveniuntur, rite sancteque administrarentur, eam postquam ad D. Petri Cathedram, meritis licet imparibus, evecti fuimus, non solum servavimus sed etiam pro viribus auximus, nec auctoritatis nostrae opportuna remedia adhibere unquam desivimus, si quod ex illis debuit ad meliorem formam revocari.

§ 1. Cum vero nuper, nec sine animi nostri dolore noverimus de collegio missionum in conventu S. Bartholomaei in insulâ Tiberis Ordinis fratrum Minorum D. Francisci de Observantiâ anno MDCCX. instituto, cuius regulas Clemens XI. apostolicis literis XXI. ianuarii eiusdem anni incipientibus *Commissi nobis,* confirmavit, et servandas perpetuo iussit, quod in eo non modo leges adeo sapientes ad rectum eiusdem collegii regimen latae non diligenter observarentur, sed non semel contigerit, ut dissidia in eâ domo commoverentur; nullâ interpositâ morâ statuimus, aliquem ex Cardinalibus negotiis de Propagandâ Fide praepositis designare, cui visitatoris apostolici praedictorum conventus et collegii munus committeremus. Ad huiusmodi autem munus utiliter adimplendum aptissimum iudicavimus venn. fratrem nostrum Carolum Mariam Episcopum Praenestinum S. R. E. Card. Pedicini nuncupatum, ad cuius pietatem, prudentiam, religionis amplificandae studium, ceterasque egregias dotes accedit etiam experientia atque usus in rebus missionum pertractandis, cum multos annos Secretarii primum deinde Praefecti Congregationis de Propagandâ Fide munus diligentissime gesserit. Eum igitur conventus ac collegii missionum apud S. Bartholomaeum in insulâ Tiberis visitatorem deputavimus, ut de obortis in illo abusibus inquireret, causas eorumdem Status collegii.

cognosceret, et quid factu opus esset, nos certiores accurate redderet.

Ex relatione visitatoris.

§ 2. Quo ille officio perfunctus, qua solet in rebus gravissimis sedulitate, studio et prudentiâ, deinde nobis peractae visitationis narrationem fecit. Ex eâ porro apparet in illâ religiosâ domo qui vigent abusus, quae saepe saepius exoriuntur dissidia, ea praecipue ex importunâ duarum communitatum commixtione provenire, collegii videlicet iuvenum ad missiones instituendorum, et conventus, in quo seniores aliis officiis et occupationibus sunt addicti, diversâque horarum distributione uti solent; inde contentiones et pacis atque ordinis perturbatio, resque eo perducta, ut, nisi malis promptâ et opportunâ providentiâ occurratur, emolumenti vix aliquid ad bonum et incrementum religionis sperari amplius ex eo missionum collegio possit.

Media ab ipso proposita.

§ 3. Hoc rerum statu nobis renunciato, praelaudatus Cardinalis ad rationem descendit, quam ineundam putat, ut dissensionibus finis imponatur, atque novae in posterum non exurgant praecaveatur, ut abusus tollantur et disciplina ita statuatur, ut collegium missionum, de quo agitur, sanctissimo fini respondeat, ad quem fuit institutum. Optimum igitur factu videri sibi dicit, ut quae nos ipsi pro conventu et collegio S. Petri in Monte Aureo decrevimus literis nostris, diei XXII. martii anno MDCCCXXXIII., videlicet ut ab eo conventu studium philosophiae removeretur, isque unam cum collegio familiam constituens a Romanâ provinciâ separaretur, ut uni subderetur P. ministro seu vicario generali Ordinis Minorum de Observantiâ Cismontanae familiae cum dependentiâ a Congregatione de Propagandâ Fide, quae item circa administrationem, et vitam communem perfectam ibidem praecepimus, eadem omnia pro conventu S. Bartholomaei statuamus. Addit his Cardinalis visitator alia quaedam decernenda, videlicet, ut praedictus generalis Cardinali in Urbe Vicario nostro generali praesentet religiosum doctrinâ, pietate, ceterisque dotibus ornatum, quae ad paroeciam S. Bartholomaei in insulâ Tiberis bene regendam necessariae sint; ut lectori theologiae moralis, quem in eo collegio instituendum Congregatio de Propagandâ Fide provide decrevit, a P. Commissario Terrae Sanctae in Urbe degente vestiarium subministretur, prout vigore apostolici Brevis Innocentii XI. subministratur lectori controversiarum; ut procurator missionum eligatur iis praeditus dotibus, quae in constitutione Clementis XI. *Commissi nobis* assignantur; ut expensae itineris quod religiosi alumni e respectivis provinciis ad collegium suscipere debent inter conventum S. Bartholomaei et P. Commissarium Terrae Sanctae aequaliter dividantur. Tandem ut ad plenam observantiam omni ex parte saepius citatum providissimum Clementinum Breve *Commissi nobis* revocetur.

Iuxta visitatoris postulationes disponit.

§ 4. Nos igitur ad ea attendentes, quae de statu collegii apud S. Bartholomaeum in insulâ Card. Visitator explicuit, mature etiam perpensis quae ut illud ad meliorem ordinem revocetur putat decernenda, id tandem consilii cepimus ut eidem collegio opitulemur, quod pastoralis officii nostri ratio postulat, modo ac formâ ab eodem visitatore propositis. Quocirca per praesentes literas statuimus atque iubemus, ut conventus apud S. Bartholomaeum in insulâ Tiberis, qui hactenus provinciae Romanae fratrum Minorum de Observantiâ addictus fuit, et eius provinciali paruit, ad eamdem amplius provinciam non pertineat, a qua idcirco per praesentes perpetuo seiungimus, eumque statuimus sub immediatâ patris vicarii vel ministri generalis Ordinis Minorum Observantiae Cismontanae familiae pro tempore existentis iurisdictione, ut eius in posterum consilio et imperio administretur, eâ tamen lege ut, quoties de novo guardiano eligendo casus advenerit, praedictus pater vicarius vel minister generalis negotium hoc agat prius cum Congregatione de Propagandâ Fide, ut eâ acceptante et consentiente novus guardianus eidem conventui praeficiatur; in omnibus praeterea quae tum conventus tum collegii disciplinam et negotia spectare poterunt, ad eamdem Congregationem se referat tam idem pater generalis quam pater guardianus. Cum autem is nobis propositus sit finis, ut conventus S. Bartholomaei, quem unam cum collegio familiam efformare volumus, iuvenibus religiosis ad munus missionis instituendis inservire tantum debeat, ut omnis causa absit, qua finis iste vel intercipi vel retardari possit, praecipimus et iniungimus eidem P. vicario generali ut, quam primum fieri possit, studium philosophiae ab eo conventu removeat et curet, ut quos religiosos vi-

ros manere in eo conventu oportet, seu pro ecclesiae D. Bartholomaei servitio, seu pro alumnorum regimine atque institutione, ii spectatae sint vitae, qui suo exemplo ad pietatem alumnos suos iuvenes incendant, his inde amotis, qui habitâ ratione novi rerum status iam non sunt necessarii vel opportuni.

De eccl. S. Bartholomaei disponit.

§ 5. Quoniam autem praedicta ecclesia S. Bartholomaei una est ex Urbis paroeciis, hinc ad P. vicarium vel ministrum generalem Cismontanae familiae pertinebit Cardinali Vicario Generali in Urbe nostro religiosum virum praesentare doctrinâ, pietate, ceterisque praeditum dotibus, quae ad animarum curam sancte et utiliter gerendam necessariae dignoscuntur. Volumus igitur et iubemus, ut in eo conventu vita communis perfecta perpetuo servetur: hac enim vitae ratione servatâ discent iuvenes alumni animum avertere a rebus temporalibus, et totum ad Deum convertere, cui uni in sanctis missionibus inservire debebunt. Praeterea praecipimus, ut lectori theologiae moralis a patre commissario Terrae Sanctae in Urbe degente vestiarium subministretur, prout vigore apostolici Brevis Clementis XI. subministratur lectori controversiarum; ut pro itinere, quod religiosi alumni e respectivis provinciis ad collegium suscipere debent, expensae inter conventum S. Bartholomaei et eumdem patrem commissarium aequaliter dividantur; ut procurator missionum eligatur iis ornatus dotibus, quae in constitutione Clementis XI. *Commissi nobis* assignantur. Cetera vero quae ab eodem praedecessore nostro in eâ Constitutione congrue ac sapienter ad illius collegii regimen disciplinamque spectantia ordinata sunt, eadem omnia ut sarta tecta sint, et in perpetuum et adamussim serventur omnino praecipimus, mandantes illis, quibus id curae et sollicitudinis esse debet, ut eadem omni quo poterunt studio servari faciant. Haec volumus, statuimus etc. expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XIX. augusti MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

CVI.

Praesidi Reipublicae Haitarum mittenti Delegatum Apostolicum cum articulis conventis ad ordinandum regimen ecclesiasticum in iis regionibus respondet, illos confirmari non posse, nisi antea removeantur impedimenta quae oriuntur ex legibus civilibus, et cautum sit tum de auctoritate ecclesiastica exercenda, tum de clero instituendo et sustentando. Rursus itaque Delegatum Apostolicum ad eum mittit sperans collatis simul consiliis omnia ad rectam normam conformatum iri (1).

Dilecto filio illustri et honorabili Viro Ioanni Petro Boyer Haitarum Reipublicae Praesidi,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili illustris et honorabilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Rediens istinc ven. frater Ioannes Episcopus Carolopolitanus, cui de aeternâ gentis Haitianae salute vehementer soliciti spiritualem totius insulae curam interim commiseramus, nobis obtulit, una cum nobilitatis tuae epistolâ, articulos, de quibus inter ipsum delectosque ad id per te viros convenerat, ut iis confirmationem nostram adiiceremus. Laeti lubentesque ac paternae nostrae caritatis viscera dilatantes illum excepimus, quod confideremus, rem eâ ratione fuisse compositam, quae menti nostrae tibi iampridem explicatae responderet. Meminisse namque debes, dilecte fili illustris et honorabilis vir, quemadmodum per literas datas ad te die XXI. augusti MDCCCXXXIV. opportune declaraverimus (quod ceteroquin et ipsi nobilitati tuae persuasum esse non ignorabamus) ad religionis ordinem istic integre restituendum omnino oportere, ut ante removerentur impedimenta ex quibusdam Haitianae Reipublicae legibus Ecclesiae doctrinae et sacrae eius auctoritati adversantibus profecta, simulque de ecclesiasticâ iurisdictione libere exercendâ cautum esset, clerique indigeni disciplinae prospiceretur per optimam illorum institutionem qui in sortem Domini vocati essent, instructis ad hoc iuxta ca-

(1) Ex Reg. epist. ad principes viros etc.

nonicam formam seminariis; et ipsi praeterea clero certa adesset se sustentandi ratio pro illius necessitate ac decore comparanda.

Atqui tamen videmus, neque haec hactenus praestita, nec quae commemoravimus impedimenta fuisse reapse sublata. Quare cum res eodem plane loco permaneant quo initio esse noveramus; non sine animi nostri molestiâ sentimus, nondum patere nobis aditum ad definitivam providentiae rationem ineundam, qua recta stabilisque religionis forma inter istius insulae populos valeat ex communi voto constitui; quod quidem et ipse pro eximiâ qua polles prudentiâ satis intelligis, et fusius etiam nobilitati tuae erit explicaturus ven. frater Episcopus Carolopolitanus. Ceterum id apostolicae nostrae solicitudini firmiter propositum esse, ut quo melius ac citius liceat catholicae Ecclesiae res istic ordinentur, te pro certo habere minime dubitamus: siquidem hoc cumulatissime testantur paternae curae in opus eiusmodi tertio abhinc anno susceptae et nunquam intermissae. Quod si in vastissimas alias Americae regiones oculos paulisper intendas, evidentiora percipies argumeuta huiusce studii per nos vel ab ipso pontificatus exordio ad bonum religionis inibi curandum indesinenter impensi. Atque in eo, qui consolationis Deus est, laetari merito possumus, quod, ipso conatus nostros adiuvante, a desiderio non simus fraudati. Maxima namque illarum ecclesiarum pars suos habet legitime institutos Antistites pastorali ministerio fungentes una cum fundatis rite capitulis ac paroeciis, reliquo clero interim coalescente non sine ingenti gaudio fidelis populi ob eam, quam inde sentit, spiritualis commodi ubertatem.

Quam porro in illas regiones gessimus solicitudinem, eâdem et in Haitianam gentem ardentissime afficimur, illam non minori zelo impendere paratissimi statim ac quae obstant impedimenta tollantur. Hac de causâ mittendum rursus in Haitianam insulam statuimus ven. fratrem Ioannem Episcopum Carolopolitanum, non modo ut iisdem instructus facultatibus quas illi tribuimus per literas apostolicas in formâ Brevis die XXI. augusti MDCCCXXXIV. vicariâ nostrâ et S. huius Sedis auctoritate spiritualem gerat curam locorum omnium quae istâ ditione continentur; sed insuper ut collatis tecum consiliis singula studeat parare, nobisque opportuna referre, quae ad religionis ordinem in ipsius insulae finibus integre solideque restituendum pertinere videbuntur.

Quem quidem pietate ac virtute praestantem ven. fratrem eo libentius ad te mittimus, quod ex iteratis tuis tum ad nos tum ad ipsum literis comperimus, quantam is apud nobilitatem tuam de se opinionem excitaverit, quamque adeo tibi acceptus existat. Et sane laudandum illius erga nos obsequium in hac novâ missione subeundâ, licet ei non exigua oriretur difficultas non tam ex valetudine atque itineris incommodo, quam quod molestum ipsi est a carissimâ sibi Carolopolitanâ Ecclesiâ abesse. Unum superest, dilecte fili illustris et honorabilis vir, ut is abs te benignissime excipiatur, quod certo coniicere fas est ex praeclarâ tuâ voluntate religionis negotium istic adiuvandi, et ex humanitate illâ plane singulari, qua ipsum ad insulam Haitianam alias advenientem cumulasti: cuiusmodi de re permultam tibi gratiam habemus, mercedem amplissimam a Deo, qui dives est in retribuendo, etiam atque etiam adprecantes. Interea nobilitati tuae, quam Deus sospitem diutissime servet, paternae nostrae benevolentiae et caritatis pignus apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x. octobris MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

CVII.

Cardinali Pro-Datario tradit regulas sequendas super petitiones dispensationum matrimonialium.

Reverendissimo Card. Bartolomeo Pacca nostro Pro-Datario,

GREGORIUS PP. XVI.

§ 1. La moltiplicità delle domande di dispense matrimoniali per *affini in primo grado, e per consanguinei, o affini in primo misto al secondo grado,* ha richiamato le paterne nostre sollecitudini nel ravvisare da questo stesso moltiplicate altresì quelle circostanze, che accompagnate il più delle volte dal delitto se ne allegano per cause. Nè isfuggì alla nostra considerazione il riflesso, che con agevolarne le

concessioni specialmente fra persone di inferiore condizione, tra le quali suole essere più libero e meno riservato il tratto, toglierebbesi ogni ritegno a quella immoralità, che tanto aumentasi e per la continuità dell' occasione, e pel maggior comodo di appagarla nella fiducia eziandio di poterne con un nodo coniugale ricuoprire le conseguenze infelici, e con esse le reità, che il precedettero. Compresi perciò da ben giusto timore di potere colla nostra indulgenza dare occasione all' illanguidimento di una sacra disciplina, che dalla santità del Sacramento si esige, e tanto giova per la conservazione del costume, per la pace delle famiglie, e per il pubblico bene, vedemmo la necessità di attenerci immobilmente ad un sistema, che consentaneo alle prescrizioni del Tridentino, e fondato sulle particolari circostanze di istraordinaria urgenza di fatto, ci tranquillizzasse nell'uso di quella autorità, che alla nostra debolezza affidò il Pastore dei Pastori.

§ 2. Fermi pertanto nel valutare quelle sole cause, che per canoniche disposizioni, o per una diuturna osservanza costantemente tenuta dalla Sede Apostolica si riconoscono per legitime, per tali non riconosceremo quelle, a cui possa farsi fronte con altri mezzi senza dover derogare al divieto di matrimoniali congiunzioni entro gradi così prossimi di parentela. Troppo difatti sconverrebbe, sottrarre colla pontificia dispensa l'incestuoso a quelle pene, a cui lo sottoponessero le leggi civili, mentre con ciò renderebbesi essa dispensa quasi istromento della impunità. Tanto potrebbe pur rimarcarsi sulle minaccie di vendicare colla morte del reo l' onore violato di persone congiunte, se col matrimonio non venga esso riparato; minaccie, le quali e possono dalla pubblica forza comprimersi, e simulate sono comunemente, nè provate per lo più che con false ed espiscate testimonianze.

§ 3. Tali ed altri non dissimili riflessi, siccome meritano tutta la nostra considerazione, così non possono non convincere gli Ordinarii sulla necessità di non essere tanto facili a riconoscere anche in queste cause titoli canonici alla dispensa.

§ 4. Mentre quindi incarichiamo la coscienza di essi nell' interporre le loro premure per quelle dispense, che motivi canonici raccomandino, è nostra volontà, che in avvenire per le dispense *in primo grado di affinità, o in secondo misto al primo di consanguinità o affinità* non colle consuete testimoniali di formolario, ma, ove il possano, con loro apposite lettere debbano direttamente i Vescovi istessi, i Vicarj Capitolari, i Vicarj Apostolici, e gli Abbati Ordinarj per gli respettivi sudditi enunciare le *cause canoniche*, che concorreranno in ciascun caso particolare, e le circostanze, per cui giudichino necessaria la grazia, e il pericolo, ove vi sia, almeno verisimile della vita, il quale non possa evitarsi che col matrimonio. Renderassi con tal provvedimento più difficile la riunione di cause sufficienti alla dispensa, e sarem noi più tranquilli nell' annuire a concessioni, le quali rinverremo giustificate dalla necessità, tantopiù imponente, quanto minori sono i mezzi per rimediarvi con altre disposizioni.

§ 5. Resteranno poi gli Ordinarii strettamente incaricati di verificare l' esposto nel dare esecuzione alla grazia, il che sarà loro molto più facile, se prima di scriverne alla S. Sede ne avranno tali prove, quali stimino giuste bastantemente per raccomandarne la petizione. Abbiano essi su ciò presente, quanto sulla esecuzione delle matrimoniali dispense prescrissero i nostri gloriosi predecessori, ed in ispecial modo Benedetto XIV. Rammentino secondo il di lui avvertimento, che l' espressione delle cause nelle lettere apostoliche, e la loro verificazione, lungi di essere, come alcuni dicono, *solitas, vanas et superfluas, et tanquam inanes curiae formalitates, parvi aut nihili faciendas,* spettano anzi positivamente *ad substantiam et validitatem dispensationis,* e da ciò stesso impegninsi ad usare ogni più rigorosa cautela nell' eseguire le dispense, che loro si commettono (1).

§ 6. Siccome poi comunemente vuolsi col matrimonio rimediare agli infelici effetti di scandalose corrispondenze, di accanite gelosie, e di altre non meno gravi e talvolta notorie reità; è nostra mente, che premettansi dagli oratori salutari penitenze, e pii esercizii in espiazione e riparazione dello scandalo dato, secondo che le circostanze e la gravità del caso lo esigano.

(1) Bened. XIV. Const. *Ad apostolicae* § 6.

§ 7. Ansiosi noi in fine di impedire, per quanto sia possibile, ogni irregolarità in oggetto di tanto rilievo, colle parole del lodato Benedetto XIV. *hortamur, monemus, et praecipimus omnibus et singulis negotiorum gestoribus, procuratoribus et expeditoribus litterarum apostolicarum, ut cum supplices preces pro aliqua matrimoniali dispensatione porrecturi sint..... facti speciem nitide ac sincere exponant, caveantque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, corrumpant, sed stricte adhaereant iis, quae ab oratoribus sibi exposita fuerunt, et multo magis abstineant, ne quid falsi aut facti proprio ingenio inventum, vel excogitatum ad gratiam dispensationis facilius obtinendam in precibus obtrudant* (1). Che anzi per fare argine a tanto disordine, per cui con irrite ed invalide concessioni procurasi l'eterna rovina delle anime, *et honor, et decus huius almae urbis dehonestatur, et Sedis Apostolicae splendori ac dignitati officitur*, rinnoviamo contro quelli, che dimentichi del loro dovere in ciò mancassero, le provvidenze, che sanzionate già da S. Pio V. si confermarono dallo stesso predecessore nostro Benedetto XIV. (2), in forza delle quali *poenam ipsi falsi incurrerent, et ea puniri omnino deberent, sine praeiudicio obligationis refundendi expensas oratoribus, qui ob illorum culpam eiusmodi dispensationes, quae executioni demandari nequeunt, obtinuerint:* penali, che oltre la nullità della grazia incorrono secondo reiterati decreti dei nostri predecessori quegli eziandio, *qui ubi primam Congregationem...... contrariam habuerunt, vel habere suspicantur, studiose tentant alteram adire Congregationem, ut tamquam minus informata ipsis concedat, quod altera vel denegavit, vel denegasset* (3).

§ 8. Laonde potrete comunicare questa nostra pontificia disposizione agli Ordinarii d'Italia, agli officiali della nostra Dateria Apostolica, e a chi crederete convenire, acciocchè sia la medesima eseguita, astenendovi di dar corso a petizioni, che con diversa maniera si presentino, e procurando ancora, che nelle lettere Apostoliche secondo il prescritto dello stesso Benedetto XIV. le cause addotte per le dispense *dilucidius et apertius exponantur et declarentur*, dal che più manifesta renderassi la ragionevolezza della grazia, e meno difficile sarà all'esecutore il verificarle.

§ 9. Tanto vogliamo, che si eseguisca in avvenire sempre ed in perpetuo nonostante qualunque osservanza, ordine e decreto contrario alle presenti nostre disposizioni, derogando noi per tale effetto ai medesimi, sebbene meritevoli di menzione speciale.

Dato dalle stanze del Vaticano li 22 novembre 1836.

CVIII.

Vicariatum constituit in Indiis pro populis degentibus ad orientem montium Gates et a flumine Chavery ad promontorium Comorinum; ipsos vero eximit a iurisdictione Arch. Goani et aliorum Episcoporum, quam confert Vic. Apost. Societatis Iesu (4).

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Catholicae Ecclesiae regimini Deo sic disponente praepositi, eo curas omnes intendere ab ipso pontificatus nostri exordio conati sumus, ut catholica fides in remotissimis etiam regionibus et conservaretur, et maiora in dies incrementa susciperet. Quare multa iam tum alibi tum praesertim in amplissimis quibusdam Indiarum provinciis pro commissarum nobis ovium salute decrevimus, atque aliis quoque, quae fidelium utilitati decernenda supersunt, operam et auctoritatem nostram omnem, divino freti auxilio conferre statuimus. In his peculiarem certe sollicitudinum nostrarum partem meretur ea Indiarum plaga quae ad meridiem peninsulae cis Gangem sitae late protenditur. Memoria enim repetimus quantum in ea excolenda insignis ille Indiarum Apostolus S. Franciscus Xaverius adlaboraverit, quot ibi ab errorum tenebris erutos ad veram fidem traxerit, quot florentissimas Ecclesias fundaverit, quae ad

---

(1) Const. *Ad apostolicae* § 4.
(2) S. Pius V. Constit. *Sicut accepimus* v. dec. MDLXVI. Bened. XIV. cit. const. § 5.
(3) Dec. Innocentii XII. IV. iunii MDCXCII. Ac Clementis XIII. diei XV. aprilis MDCCLVIII.
(4) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 216.

exitum prope elapsi saeculi per apostolicos viros eiusdem Societatis quam Xaverius ornavit excultae copiosissimam messem fidei et sanctitatis dedere.

De statu animarum in Indiis conqueritur.

§ 1. Vehementer quidem commovit animum nostrum tristissima quam accepimus de ecclesiarum illarum statu relatio, fideles scilicet qui populosam illam memoratae Peninsulae partem incolunt, quae ad Orientem Montium Gates vergit, et a flumine Chavery ad Promontorium usque Comorinum protenditur, magno in salutis aeternae discrimine versari.

Ex quo necessitas instituendi Vic. Apostolicos.

§ 2. Quare de consilio VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide negotiis praepositorum, et matura deliberatione nostra iudicavimus in toto illo tractu regionis Vicariatum Apostolicum esse constituendum, cuius iurisdictio regna omnia, sive provincias intra fines iam descriptos contentas seu Madurae, Tanjorii, Maravae et Misorii complectatur ac idoneos omnino missionarios vicariatus, sive missionum illorum administrationi et curae destinandos esse.

Derogat constitutionibus antecessor. de dependentia hor. populorum ab Archiep. Goae et aliis Episc.

§ 3. Cum vero hactenus regiones illas iurisdictioni tum Archiepiscopi Goani, tamquam Metropolitani, tum ordinaria aliorum Episcoporum subiectas esse cognoverimus iis quae a fel. rec. praedecessoribus nostris Paulo IV. constitutione *Etsi sancta* IV. februarii MDLVII. de Metropolitici Archiepiscopi Goani iuribus; Paulo item IV. constitutione *Pro excellenti* IV. februarii MDLVII.; Clemente VIII. constitutione *In supremo* IV. augusti MDC.; Paulo V. constitutione IX. februarii MDCVI., et constitutione *Alias postquam* VI. februarii MDCXVI. de finibus et iurisdictione episcopatuum Cranganorensis, Coccinensis, Meliaporensis statuerunt, expresse de plenitudine potestatis nostrae derogamus. Memoratas propterea regiones omnes a cuiuscumque ex memoratis vel in India existentibus Episcopis iurisdictione perpetuo eximentes. Solius Vicarii Apostolici et eiusdem successorum iurisdictioni subesse in posterum decernimus.

Vicarium Apostolicum institutum immediate a S. Sede dependeat iuxta modum.

§ 4. Vicarium quoque Apostolicum et successores eius a nostra et Apostolicae Sedis auctoritate immediate dependere declaramus. Ad hoc autem Vicarii Apostolici munus eligimus dilectum filium Iosephum Bertrand presbyterum Societatis Iesu virum pietate, doctrina, prudentia et religionis zelo plurimum commendatum, eique dilectos alios e Societate Iesu viros, quorum nobis perspectus est zelus, tamquam laborum socios, eius auctoritati subiicientes adiungimus. Inhaerentes propterea praedecessorum nostrorum statutis, eaque confirmantes quibus Congregationi de Propaganda Fide missionum omnium negotia pertractanda reservantur, Vicario Apostolico et successoribus eius iubemus, ut facultates exercendo muneri necessarias et opportunas per eamdem Congregationem recipiat, de rebus ad missionem spectantibus cum ea recte agat, a qua si quid novis ad fidelium utilitatam decernendum aut constituendum sit, nobis ac successoribus nostris referetur. Per hanc autem voluntatis nostrae significationem non intendimus memoratum Vicarium Apostolicum ab obedientia praepositi generalis Societatis Iesu subtrahere, neque propterea ab instituti sui legibus, ac a reddenda eidem praeposito de se et ministeriis suis ratione eximimus.

Ex nova Vic. Apost. institutione bonum animarum sperat.

§ 5. Speramus vero et in Domino confidimus fore ut haec quae pro religionis catholicae incolumitate et incremento decrevimus, ad eam erigendam et amplificandam vere conducant, nec dubitamus quin salutaribus hisce statutis pro observantia Apostolicae Sedi debita lubenti animo omnes obsecundent. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illos ad quos spectat et spectabit hoc futurisque temporibus plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. dec. MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

CIX.

Erigit Vicariatum Apostolicum in insulâ Ceylan sublatâ cuicumque Ordinario in eam insulam iurisdictione; Vicarium autem Apostolicum insigniri charactere episcopali, et a Sede Apostolicâ tantum pendere decernit.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex munere pastoralis ministerii supernâ Dei providentiâ humeris nostris impo-

siti, non leve sane totius dominici gregis onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Apostolicâ Sede longe dissitas incolunt, maiori quidem vigilantiâ consulendum esse censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae per apostolicam curam intra verum ovile ad pascua caelestia vocari valeant feliciterque perduci.

§ 1. Hinc cum indubiis monumentis constiterit in vastissimâ insulâ Ceylan catholicorum numerum magnopere auctum esse, et rationem adesse iure sperandi, fore ut in eâdem ampliores progressus religio faciat, nos magnopere optantes prospicere in posterum, atque ea statuere, quae ad religionis incrementum in memoratâ insulâ iuvandum conferre possunt, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum sententiâ, consilium iam initum ad effectum perducere statuimus de universâ illa insulâ cum dependentiis suis Vicarii Apostolici regimini committendâ, qui ab Apostolicâ Sede tantum immediate dependeat, sublatâ Coccinensis vel cuiuslibet Ordinarii in eam insulam iurisdictione, quique episcopali dignitate praeditus sit, quo commodius atque utilius ea omnia curare possit, quae ad Ecclesiae bonum et animarum salutem consequendam opportuna iudicabuntur.

§ 2. Motu igitur proprio, atque ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine insulam Ceylan cum dependentiis suis in peculiarem et distinctum Vicariatum Apostolicum harum literarum vi erigimus, et in eâ Vicarium Apostolicum constituimus, qui ab hac Apostolicâ Sede dumtaxat dependeat, sublatâ Coccinensis vel cuiuslibet Ordinarii in eam insulam iurisdictione. Ipsi autem Vicario, qui episcopali dignitate praeditus esse debebit, atque ab hac apostolicâ Sede erit eligendus, omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eâdem auctoritate nostrâ concedimus et impertimur.

§ 3. Haec volumus, statuimus atque decernimus, volentes, has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac iis ad quos spectat ac in futurum spectabit, plenissime suffragari et ab omnibus inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii nostri apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quoties opus fuerit, nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque etc. quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. dec. MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.

CX.

Fratribus Ordinis S. Augustini Calcuttae renuentibus se Vic. Apost. subiicere, ac Lusitanum Episcopum poscentibus, exponit rationes quibus ductus fuit Vicariatum Apost. erigere in territorio a Meliaporensi dioecesi distracto; eos paterne hortatur ne schismati iam incepto a Vic. Meliaporensi adhaereant etc. (1).

Dilectis filiis religiosis viris Augustinianae familiae sacerdotibus in urbe Calcuttae degentibus,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecti filii religiosi viri, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Epistola vestra, dilecti filii, ex urbe Calcuttâ missa cum documentis aliquot, quae ad excitatam apud vos controversiam pertinent, nuper ad nos ex Angliâ per sedulum nuntium allata fuit. Doluimus sane et quam maxime, intelligentes ex eâdem epistola vos adhuc in vestrâ sententiâ persistere adversus deputationem et auctoritatem Vicarii Apostolici Bengalensis a nobis constituti, debitam ei denegando obedientiam ac submissionem, et partes nondum deseruisse fratris Manuel ab Ave Maria ex-provincialis vestri Ordinis, qui administratorem se nuncupat vacantis episcopatus Meliaporensis, et contra Apostolicam Petri Cathedram contumaciter se extollens, eidem veluti bellum inducere non erubescit. Is enim in suis, Exordium.

(1) Ex vet. Bull. de Prop. Fide, vol. V., pag. 150 collat.

quas vestris adiunctas ad nos misistis encyclicis literis, sensu ac stylo, cui facta respondent, plane schismatico scriptis, totus in eo esse videtur, ut Apostolici Primatus iura labefactet, vosque ac omnes, si fieri posset, Bengalensis vicariatus catholicos ad seditionem concitet, et ab obedientiâ subtrahat huius S. Sedis, sicque a catholicae dividat unitatis centro. Verum quia ipse epistolae vestrae tenor magnam nobis spem iniicit de vestrâ tandem mandatis nostris submissione, ideo vos ut filios paterno animi affectu amplectentes, vobis nos ipsi rescribimus, videlicet ut cognoscatis, quidquid nos pastoralis muneris debito circa catholicam Bengalae ecclesiam eiusque regimen spirituale decrevimus, id omne ad reparanda religionis damna, quam istic iamdiu periclitari rescivimus, fuisse directum.

Rationes novae institutionis P. exponit.

§ 2. Atque in primis vos ipsi fatemini penuriam istic sacerdotum linguâ anglicâ a nativitate loquentium, qui quidem sermo cum in urbe populosâ Calcuttâ eiusque latissimâ praefecturâ maxime vigeat, satis hinc patet cogitandum nobis fuisse de novis subsidiis Calcuttam mitendis, ut illorum numerus augeretur. Ita enim per sacerdotes plures eâ sermonis facultate praeditos et christiana puerorum educatio et populi eruditio et ipsa neophytorum catechesis longe utilius, Deo iuvante, curabitur. Sed et alia solicitudinem nostram excitabat gravis sane calamitas, quod episcopales Lusitanorum in Indiâ sedes pastoribus iamdiu carent et cariturae diutius videntur, praesertim ob turbatum eius regni statum et transmarinorum dominiorum conversiones. Certe vero fieri vix poterat, ut S. Thomae Sedes, quae et ipsa Episcopum tot iam annos desiderat, et exiguo clero utitur, et a Bengalensi ditione plurimum abest, innumeris populis, qui Gangem circumstant, fidei catholicae lumina et ministeria, prout opus est, suppeditaret. Quod igitur Romani Pontifices praedecessores nostri iamdiu fecerunt, nempe ut multa Orientis regna atque provincias a Lusitanis sedibus similes ob causas subtraherent, et Vicariis Apostolicis fructuosius regendas adsignarent, id nos pariter nunc agere necesse fuit, ne creditum nobis a Christo gregem congruâ providentiâ destitutum deseremus.

Quae iam fratribus notae.

§ 3. Porro hanc voluntatem nostram, dilecti filii, satis compertam habuistis primum quidem ex pontificiis literis die XVIII. aprilis MDCCCXXXIV. datis, quibus Apostolicum Vicarium Calcuttae cum generali potestate instituimus; deinde ex decreto Congregationis de Propagandâ Fide iussu nostro edito die XXVII. decembris MDCCCXXXIV., quo, ad sopienda quae oriebantur dissidia, cunctas Calcuttae ecclesias eidem Vicario subiectas expresse declaravimus; tertio denique ex apostolicâ constitutione IV. augusti MDCCCXXXV., in qua rem gestam plenius adhuc explicavimus ac confirmavimus, et antiquis quibusvis praerogativis seu constitutionibus diserte derogatum esse ediximus. Quibus omnibus intellectis, neque a vobis profecto, neque a Vicario Meliaporensi contradicendum erat, sed catholico potius animo et religiosâ obedientiâ acquiescendum. Sed enim quia Meliaporensis Vicarius deplorando consilio ius suum, iam a nobis supremâ auctoritate irritatum, tueri porrexit, vosque eidem contra maioris auctoritatis iussionem obsecundastis, scandalum magnum in populo, et cleri schisma consecutum est. Cui gravissimo malo, ut quamprimum medeamini, et finem denique imponatis plenam praestando S. huic Sedi obedientiam, id vobis denuntiat ac praecipit catholica ipsa religio quam profitemini.

Fratrum rationes refellit et ad obedientiam hortatur.

§ 4. Iam quod attinet ad peculiarem, quem praefertis, gentis vestrae Lusitanae amorem, hunc generatim quidem non improbamus, sed tamen catholicam Ecclesiam unam esse individuamque cognoscitis, monente insuper Paulo Apostolo *(ad Coloss. III., 11)*, nullam esse in Christo nationum distinctionem. Quare magnopere vos hortamur et gravissime commonemus, ut, omisso partium quarumvis vel nationum studio, constitutum a nobis Bengalensem Vicarium debito honore revereamini, atque eidem, nomine nostro vobis praesidenti, nullâ interpositâ morâ obtemperetis et obsequamini. Neque enim Meliaporensi sedi post has nostras constitutiones subesse diutius vobis licet, neque a nobis duplicem in urbe Calcuttae auctoritatem creari expedit: quod neque Ecclesiae mos patitur, neque paci et unitati fovendae idoneum foret. Ceteroquin si, quod confidimus et a vobis praestolamur, re exequemini, nempe ut voluntati nostrae humiliter pieque obediatis, dabimus operam ut Apostolicus noster Vicarius omni vos humanitate atque amore

prosequatur, nosque ipsi nullam vos iuvandi solandique occasionem praetermittemus, et, quod demum plurimi interest, aeternae vestrarum animarum saluti et christiani populi aedificationi consultum erit. Nostras autem has literas notas facite eidem Meliaporensi Vicario, ut et ipse moerenti patri amantissimo auscultans, ad saniora redeat consilia et ad S. huius Sedis obedientiam; quod a divino pastorum Principe non cessabimus enixis precibus implorare. Interim vobis, dilecti filii religiosi viri, pignus paternae nostrae caritatis apostolicam benedictionem intimo cordis sensu peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IV. ian. MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VI.

CXI.

Superiorum literarum exemplar mittit ad Vicarium Capitularem dioecesis Goanae, eumque excitat ad retrahendos fratres Ordinis S. Augustini et Vicarium Meliaporensem ab inchoato schismate, et adducendos ad obedientiam Sedi Apostolicae debitam.

Dilecto filio Paulo Antonio Dias a Conceptione Vicario Capitulari dioecesis Goanae,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Pietatem tuam, dilecte fili, et erga Apostolicam Sedem reverentiam satis compertam habemus, tum ex tuis ad nos et ad Congregationem de Propagandâ Fide scriptis literis, tum etiam ex famâ hominum et opinione. Credimus igitur, ea quae nos circa Bengalensem Ecclesiam, Goanae Metropoli olim subiectam, gravissimis impulsi causis decrevimus, te nedum non contempsisse et improbasse, sed aequo et obsequenti animo accepisse. Nam quae sit sacerdotum anglice apud vos loquentium penuria, quae spes catholicam fidem in latissimis circa Gangem provinciis augendi, quanta rerum publicarum sit facta conversio, ita ut instituta vetera recentibus commutare necesse fuerit, pro tuâ prudentiâ et iudicio optime intelligis. Verum et illud coniicere et intelligere facile potes, in quanto moerore versemur, quantisque in angustiis ob scandalosam quorumdam contumaciam, qui coacto agmine seditionem pertentantes, schismatis vexillum, duce Meliaporensi Vicario, contra auctoritatem Vicarii Apostolici a nobis Calcuttae constituti, ideoque et contra ipsam S. huius Sedis auctoritatem deplorando consilio attollere non erubuerunt. Atque tibi, dilecte fili, super hac re nonnulla ducimus communicanda.

§ 2. Iam probe nosti constitutionem nostram diei IV. augusti MDCCCXXXV., cuius exemplar hisce adiunctum reperies, sicuti antecedentia ac subsequentia facta te non ignorare arbitramur. Iis igitur praetermissis, de uno tantum hic loquimur nuperrimo facto, videlicet de literis nonnullorum religiosorum ex Augustinianâ familiâ Calcuttae degentium ad nos datis, et quas mense decembri proxime elapso accepimus. Eamdem itaque cum Vicario Meliaporensi scandalosam ipsi causam agentes, acerbe in dictis literis conqueruntur, reclamant ac protestantur contra institutionem a nobis factam Vicarii Apostolici, atque horum alterutrum postulant, ut in illis missionibus vel sua Lusitanis pastoribus servetur antiqua iurisdictio, vel Lusitanus Episcopus eis praeficiatur. Quamvis vero neutrum eisdem assentiri potuerimus, ac eo tendere cognoverimus huiusmodi postulata, ut quod constitutum a nobis fuit ecclesiasticum ibi regimen penitus subverteretur; tamen, quia ex officiosis, quibus utuntur, verbis Apostolicam Sedem adhuc revereri videntur, ab eâque separare se nolle, ideo eis pacifice et amantissime nos ipsi rescripsimus, futurum sperantes, ut mandatis ac monitionibus nostris, ut filii obedientes, tandem acquiescant. Quae autem ipsis rescribentes expressimus sensa, ex adnexo nostrarum literarum exemplari cognosces.

§ 3. Haec tibi, dilecte fili, communicamus, ut prudentiâ, zelo ac pietate, qua praestas, afflictissimae matri Ecclesiae, moerentique communi fidelium Patri, et instanti religionis catholicae istis in regionibus periculo opem ferre non desinas, curando quantum poteris, ne inobedientes iam inchoatum schisma pertinaciter compleant, utque Meliaporensis Vicarius a schismatis abysso retrahatur, ut qui-

cumque ipsius partes quoquo modo sequuti sunt, ad obedientiam redeant Apostolicae Sedis; ut ceteri denique, qui ab huius obsequio non declinarunt, in eodem firmiter perseverent. Interim plurimum prudentiae tuae, pietati ac religioni in gravissimo hoc negotio confidentes, tibi, dilecte fili, cunctoque gregi tuae curae commisso apostolicam benedictionem ex intimo corde peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. ian. MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXII.

A latissimo SSmae Trinitatis Vicariatu Apostolico in Indiis Occidentalibus separat insulam Iamaicam, quam cum suis dependentiis et insulis, quae Lucayae seu Bahamae dicuntur, et cum coloniâ Anglicanâ Honduras in peculiarem erigit Vicariatum Apostolicum.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Ex munere pastoralis ministerii supernâ Dei providentiâ humeris nostris impositi non leve sane universi dominici gregis onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Apostolicâ Sede longe dissitas incolunt, maiori paterni animi nostri solicitudine et curâ consulendum esse cognoscimus.

§ 1. Cum itaque ex gravissimis monumentis constiterit, ad recte prospiciendum religionis incrementum in vastissimo regionum tractu, quae hactenus Vicarii Apostolici in insulâ SSmae Trinitatis in Indiis Occidentalibus residentis iurisdictioni subiectae fuerunt, necesse omnino esse novam fieri regiminis ecclesiastici partitionem in tantâ locorum amplitudine, qua factâ, expeditior et commodior evadat Ecclesiae administratio ac populorum cura: probe noscentes impossibile prorsus esse, ut ab uno tantum Vicario Apostolico, licet zelo religionis et fidei propagandae studio praestanti, ea procurari possint, quae Ecclesiae necessitas requirit in vastissimis et longe dissitis regionibus, quae illius Vicariatus limitibus continetur, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, atque de consensu ven. fratris Danielis Episcopi Olympensis et Vicarii Apostolici, insulam Jamaicam cum dependentiis suis ex eodem Vicariatu separandam, et una cum tractu Insularum, quae Lucayae seu Bahamae dicuntur, in peculiarem Vicariatum Apostolicum constituendam decrevimus, cuius iurisdictione comprehendatur etiam Anglicana Colonia, quae Honduras appellatur, quaeque in Peninsulâ Yucatan posita est.

§ 2. Motu igitur proprio, atque ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi insulam Iamaicam cum dependentiis suis, et una cum tractu insularum, quae Lucayae seu Bahamae dicuntur, ab iurisdictione Vicarii Apostolici SSmae Trinitatis subtrahentes, in novum peculiarem Vicariatum Apostolicum erigimus, cuius iurisdictione comprehendatur etiam Anglicana Colonia quae Honduras appellatur, quaeque in peninsulâ Yucatan posita est, atque in eo Vicariatu Vicarium Apostolicum constituimus. Ipsi autem Vicario, ab hac Apostolicâ Sede delegando, omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eâdem auctoritate nostrâ concedimus et impertimur.

§ 3. Haec statuimus atque decernimus, volentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari et ab omnibus inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quoties opus fuerit, nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque etiam speciali et expressa mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X. ian. MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXIII.

Patriarchae Antiocheno Syrorum gratum exprimit animum, quod retulerit schismaticorum Nabehensis dioecesis ad Ecclesiam reditum, partos insuper per Delegati Apostolici labores fructus, et decretam Calendarii Gregoriani adoptionem. Scire tamen optat utrum omnes Episcopi in hoc adoptando convenerint, et adoptio tranquille peracta fuerit. Luget denique immaturam Delegati Apostolici et eius Vicarii generalis mortem (1).

Venerabili fratri Ignatio Petro Patriarchae Antiocheno Syrorum,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Literae, quas inde a die XXIII. aprilis ad nos dedisti, gratae nobis iucundaeque non uno ex capite acciderunt. Significasti enim de Syris pluribus qui, adnitente in primis venn. fratre Matthaeo Episcopo Nabehensi, ad catholicam eâ in dioecesi unitatem reversi sunt; et de uberi fructu parto istic studio et laboribus venn. fratris Ioannis Baptistae Archiepiscopi Iconiensis Apostolici Vicarii et Delegati nostri; de recenti denique decreto edito a te una cum tribus aliis Episcopis suffraganeis tuis ut Gregorianum Calendarium in usum apud vos traducatur. Scire optamus, an reliqui etiam nationis Episcopi in id ipsum consenserint et perfici res potuerit sine ullâ perturbatione tranquillitatis et pacis: quam quidem servari apud vos et religionis interest plurimum et nobis maxime cordi est. Interea plenam habentes fiduciam in prudentiâ tuâ, meritis te prosequimur laudibus, quod catholicam Syrorum gentem custodire in unitate S. huius Sedis, eique arctioribus etiam vinculis adstringere studes.

Iamvero cum mentio facta sit praedicti Vicarii et delegati nostri, abstinere, ven. frater, non possumus quin tecum communicemus de intimo cordis moerore, quem sane gravissimum cepimus ex illius immaturâ morte nuperrime nobis nunciatâ; quam quidem et fraternitati tuae zelum probe noscenti molestissimam accidisse non dubitamus. Sed quoniam sicut Domino placuit ita factum est, restat nunc ut animam eius necnon et Vicarii sui generalis eâdem calamitate defuncti nostris studeamus iuvare suffragiis apud Deum, a quo etiam cum gemitu et lacrymis enixe postulemus, ut alios mittat idoneos operarios in messem suam. Id quidem et nos facere annitimur, et a fraternitate tuâ pariter fieri persuasum habemus. Quod superest, tibi et venn. fratribus Episcopis suffraganeis tuis atque omnibus Syris fidelibus vigilantiae vestrae creditis praecipuam nostram caritatem toto corde testamur iterum et confirmamus. Et apostolicam benedictionem cum verae omnis prosperitatis voto coniunctam tibi ipsi, ven. frater, atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV. ian. MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXIV.

Dismembratio et erectio novae ecclesiae cathedralis in civitate Guayaquilensi in America Meridionali (2).

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

In supremo beati Petri Apostolorum Principis solio tamquam in specula collocati, dominicum agrum, humilitati nostrae excolendum irrigandumque ineffabili Dei bonitate traditum, assidue ac diligenter, quantum ex alto conceditur, circumspicimus, atque illuc apostolici nostri officii curas conferimus libenter, ubi tum animarum salus in remotissimis licet ab Apostolica Sede terris degentium, tum catholicae religionis incrementum atque adeo maior Dei gloria id praecipue postulare videntur. Ex quo sane Eius, cui data est omnis potestas in coelo et in terra, super universam ecclesiam, quamvis immerentes, gerimus vices, eo profecto tempore ad amplissimas quoque Americae regiones studia nostra convertimus, et, praeclara Romano-

---

(1) Ex Reg. Vat. ep. ad principes et alios.

(2) Ex Abrev. de Curia.

rum Pontificum praedecessorum nostrorum exempla aemulantes, huc negotia ecclesiastica componi, disiectam ecclesiae disciplinam restitui, aut dioeceses suis dudum viduatas Pastoribus denuo provideri, illuc vero ampliora dioecesum territoria dividi, vel aptioribus finibus circumscribi, ac etiam novas sedes episcopales iam erigi curavimus, prout conspeximus in Domino magis salubriter expedire.

§ 1. Iamvero nuper accepimus, duas tantum in Aequatoriana Americae Meridionalis ditione, quamquam vastis protensa confinibus, haberi Cathedrales Ecclesias, quarum unam Luitensem, Conchensem alteram appellant. Conchensis autem dioecesis, sive hominum copia, qui in dies augescunt, sive territorii spectetur magnitudo, tam longe lateque patere fertur, ut unus Episcopus cuncto gregi recte utiliterque pascendo impar omnino deprehendatur. Etenim Conchensis dioecesis, quae octo supra nonaginta complectitur paroecias, quibus aliae complures subsunt succursales ecclesiae, adeo praedita est populi frequentia, ut ducenta triginta millia in illa numerentur hominum capita; territorii vero ea est latitudo, ut duabus constet provinciis, Conchensi nimirum et Guayaquilensi, conterminis quidem, sed magnitudine amplissimis, ac ex aeris varietate adeo distinctis maximeque diversis, ut Guayaquilenses aestuantis coeli molestias sustinere, Conchenses autem undique fere frigoris vim perferre compellantur.

§ 2. Praeterea nobis relatum fuit, in tanta locorum distantia aerisque diversitate haud esse praetereundam mutuae inter Pastorem et oves communionis difficultatem, quam graviorem efficiunt viae praeruptae et periculosae propter montes ac presertim rapida flumina pontibus nonnumquam destituta: quo factum narratur, ut nullus hactenus Conchensium Antistitum universam Guayaquilensem provinciam sacra visitatione lustraverit, populi vero ibidem commorantes nunquam Pastoris vocem audierint, multoque minus sacro Chrismate inuncti.

§ 3. Quare nobis humillimae oblatae sunt preces, ut Guayaquilensem provinciam a Conchensi dioecesi, suo nunc destituta Pastore, distrahere, ac novam sedem episcopalem in Guayaquilensi Terra, quam nuncupant civitatem, constituere dignaremur. Guayaquilensis profecto civitas nedum caput est et princepes eiusdem cognominis provinciae, sed insuper aptior ac prae caeteris regionibus dignior, quae praestantissimo cathedrae episcopalis splendore decoretur. Eadem namque civitas, quae olim vix alicuius momenti censebatur, pluribus ab hinc annis tam illustris evasit, ut cum loci qualitate populique frequentia, ad viginti duo millia iam pertingentis, tum florentissimi commercii praestantia, ac potissimum maritimi portus commoditate, ad quam cunctae fere Americae naves nunc appellere solent, scriptorum viatorumque sermone celebretur. In memorata insuper civitate plures existunt et parochiales et simplices ecclesiae, quas inter amplitudine ac pulchritudine eminet matrix et parochialis ecclesia Deo in honorem beati Petri Apostolorum Principis dicata, atque a fundamentis nuper extructa, cui attiguae sunt aedes aliquo iam censu praeditae, in quibos pueri in sortem Domini vocati ad pietatem informantur, sacrisque excoluntur disciplinis. Nec desunt regulares familiae, sodalitates, et alia id genus pia instituta, quibus pollere decet civitates episcopali sede honestandas.

§ 4. Bona similiter ad mensam episcopalem, capitulum, fabricam ecclesiae, ipsumque clericorum seminarium, et alios ministros congrue dotandos, atque ad caetera ferenda impendia praesto esse non dubitatur. Decimae siquidem, quae in tota Conchensi dioecesi quotannis colliguntur, summam conficiunt scutatorum circiter quadraginta quinque millium, scilicet viginti duorum millium in provincia Conchensi, ac viginti trium millium in Guayaquilensi provincia, ac proinde si una cum Guayaquilensis provinciae territorio decimarum quoque decerneretur dismembratio, aequa haberetur utriusque episcopalis ecclesiae dotatio.

§ 5. Nos porro pro ea, qua complectimur, paterna caritate ipsos christifideles terra marique quam longissime dissitos, omnia quae superius exposita sunt, matura deliberatione perpendentes, et porrectis supplicationibus clementer inclinati, motu proprio, ex certa scientia et apostolicae potestatis plenitudine, supplendo defectui consensus capituli cathedralis ecclesiae Conchensis suo nunc viduatae Pastore, a dioecesi Conchensi in America meridionali perpetuo dividimus, seiungi-

mus, atque dismembramus universam provinciam Guayaquilensem nuncupatam, ac trigintaquinque paroecias in ea quomodolibet contentas, nimirum matricem seu Sancti Petri Apostoli in ipsa Guayaquilensi civitate, ac aliam *Conception,* et aliam *Iaguachi,* ac aliam *Puna,* et aliam *Balao,* ac aliam *Samborondon,* et aliam *Chongon,* ac aliam *Naransal* et *Machala,* ac aliam *Floriana,* et aliam *Baba,* ac aliam *Pimocha,* et aliam *Vices,* ac aliam *Palanque,* ac aliam *Babahoyo,* ac aliam *Caracol,* et aliam *Sabaneta,* ac aliam *Puebloviejo,* et aliam *Daule,* ac aliam *Sancta Lucia,* et aliam *Balzar,* et aliam *Sancta Elena,* et aliam *Coloncha,* ac aliam *Morro,* et aliam *Chanduy,* ac aliam *Portovieso,* et aliam *Fosaqua,* ac aliam *Picuase,* et aliam *Pichota,* ac aliam *Chone,* et aliam *Montecristi,* ac aliam *Canoa,* ac aliam *Charapotò,* ac aliam *Ispisapa,* ac aliam denique *Pasan,* nec non reliquas ecclesias sive succursales, sive simplices, monasteria, conventus et alia quaecumque saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia, quae in illis existant. Itemque in eis degentes utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiarios ac religiosos, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis sint, ab ordinaria iurisdictione ac potestate Antistitis Conchensis pro tempore existentis, seu illius dioecesis Ordinario, eadem apostolica auctoritate, ac motu pariter simili iugiter eximimus, liberamus, atque absolvimus.

§ 6. Terram deinde vulgo civitatem Guayaquilensem in provincia eiusdem nominis positam, in civitatem episcopalem auctoritate apostolica erigimus et constituimus, eique sic erectae et constitutae titulum ac denominationem civitatis cum omnibus et singulis honoribus, iuribus, privilegiis et praerogativis, quibus caeterae civitates episcopali sede insignitae earumque cives in America meridionali utuntur et gaudent, ac uti et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, concedimus atque elargimur: ecclesiam vero matricem et parochialem in memorata civitate Guayaquilensi existentem, ac beato Petro Apostolorum Principi sacram, in cathedralem ecclesiam Guayaquilensem nuncupandam, et parochialem ut antea sub eadem Sancti Petri Apostoli invocatione extituram, evehimus et attollimus, simulque in ea sedem, cathedram ac dignitatem pontificalem conferendam Pastori seu praesuli canonice in Episcopum ipsius ecclesiae instituendo et Episcopo Guayaquilensi nuncupando, ut sic institutus et Episcopus Guayaquilensis habitus eidem ecclesiae, civitati ac dioecesi infra assignandae, illiusque clero et populo praesit, synodum convocet, pastoralem visitationem et curam gerat, ac omnia et singula iura, officia ac munia episcopalia habeat, exerceatque cum suis capitulo, arca, sigillo, curia, mensa episcopali, seminario ecclesiastico, caeterisque fruatur pontificalibus insigniis, iuribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, iurisdictionibus, indultisque realibus, personalibus ac mixtis, quibus reliquae cathedrales ecclesiae in America meridionali existentes, earumque praesules non tamen titulo oneroso, aut ex indulto et privilegio peculiari, utuntur et fruuntur, apostolica similiter auctoritate perpetuo erigimus ac instituimus: ipsamque episcopalem ecclesiam Guayaquilensem metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore ecclesiae Limanae, donec aliter ab Apostolica Sede statutum fuerit, subiicimus et in suffraganeam assignamus cum omnibus exemptionibus, praerogativis, honoribus et iuribus, quae ad caeteras cathedrales ecclesias suffraganeas eiusdem metropolitanae sedis pertinent ac pertinere poterunt.

§ 7. Praefatam vero provinciam Guayaquilensem et paroecias ut supra a dioecesi Conchensi seiunctas et avulsas eidem ecclesiae Guayaquilensi in cathedralem erectae pro suo territorio ac dioecesi attribuimus atque assignamus, eamdemque provinciam cum memoratis paroeciis, ac in ea iisque existentes et existentia collegiatas, si quae sunt, ecclesias sive succursales sive simplices, monasteria, conventus, et omnia sive secularia sive quorumvis ordinum regularia cum cura et sine cura beneficia ecclesiastica, item utriusque sexus personas et incolas tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus, ordinis et conditionis, ordinariae iurisdictioni et regimini ac potestati futuri ac pro tempore existentis Episcopi Guayaquilensis pariter perpetuo submittimus atque subiicimus. Hinc praecipimus et mandamus, ut omnia et singula instrumenta, scripturae et alia cuiusvis generis documenta, si quae sunt, ad praedictam provinciam Guayaquilen-

sem, et ad illius incolas, ecclesias et beneficia quomodolibet spectantia ab episcopali Conchensi curia extrahantur et cancellariae novi episcopatus Guayaquilensis libere tradantur.

§ 8. Similiter pro commoda et decenti futuri Episcopi eiusque in Guayaquilensi episcopatu successorum habitatione et curiae episcopalis residentia proprias aedes proximiores, quam fieri possit, ecclesiae cathedrali quamprimum assignari et attribui, statuto quoque censu pro earum manutentione decernimus atque mandamus: quae si modo desint et conducendae sint, rationem pensionis pro earum conductione solvendae omnino haberi volumus atque iubemus. Ut futurus autem pro tempore existens Guayaquilensis Episcopus pontificalem suam dignitatem tueri ac Vicario generali et curiae episcopali apte providere valeat, congruam partem decimarum in provincia Guayaquilensi colligendarum, quae ut praefertur annuam summam scutatorum viginti trium millium circiter attingunt, reliquis viginti duobus millibus ex Conchensi provincia colligendis pro ecclesia cathedrali Conchensi sartis tectis manentibus, mensae episcopali et curiae ecclesiasticae Guayaquilensi perpetuum pariter in modum assignamus atque adiudicamus: executori tamen praesentium litterarum apostolicarum inferius deputando, attentis rerum circumstantiis, officium et curam committimus eam ratam partem decimarum praedictarum pro locorum more et usu definiendi atque praescribendi in hoc casu, qua decenti Episcopi et curiae ecclesiasticae statui satis consultum, caeterisque institutionibus rite provisum sit, ac propterea eidem executori necessarias facultates, ut super his opportuna decreta edere valeat, tenore praesentium impertimur atque concedimus.

§ 9. In memorata autem ecclesia Sancti Petri Apostoli ad cathedralis honorem erecta instituimus atque erigimus capitulum tum quatuor saltem constans canonicalibus praebendis, inter quas habeantur duae dignitates, nempe decanatus, quae prima erit post pontificalem dignitas, et cui erit adiunctum onus curae animarum, quae sicut prius exercebitur absque ulla innovatione, et magistri scholae, quae erit altera, et duo canonicatus pro canonico theologo et canonico poenitentiario, tum duabus aliis praebendis beneficiariis maiori et minori nuncupandis. Huiusmodi vero canonicatuum et beneficiorum choralium numerum, quo citius fieri poterit, augeri edicimus, ut chori servitium rite exerceri valeat ad officia divina sedulo peragenda, et ad Dei cultum maiori, quo decet, splendore ac reverentia decorandum: atque hac in re zelum et curam omnem nedum eiusdem litterarum apostolicarum executoris, sed et Episcoporum Guayaquilensium excitamus, eosque in Domino monemus. In collatione autem tum dignitatis decanatus, cui animarum curam, ut prius obeundam, adhaerere decrevimus, tum utriusque canonicalis praebendae theologalis et poenitentiariae concursum adhibere volumus ad praescriptum Concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum, reliquas vero canonicales et beneficiarias praebendas ut supra erectas, et in posterum erigendas, praesbyteris similiter conferendas edicimus atque mandamus, praevio examine, vel alio experimento per Episcopum Guayaquilensem designando. Huiusmodi autem dignitatum non minus quam canonicatuum et beneficiorum futuri ac pro tempore existentes possessores apud eamdem ecclesiam cathedralem personaliter residere, ac in ea divina quoque officia caeterasque ecclesiasticas functiones celebrare, horasque canonicas persolvere, missam conventualem pro benefactoribus in genere applicare, ipsique cathedrali ecclesiae in omnibus laudabiliter deservire ac illius statuta in posterum edenda diligenter observare teneantur.

§ 10. Capitulo quoque cathedralis ecclesiae Guayaquilensis sic erecto et constituto assignamus atque tribuimus ratam partem decimarum ex Guayaquilensi provincia colligendarum, quas supra memoravimus, habita tamen proportione inter singulos canonicos et beneficiarios iuxta uniuscuiusque dignitatem et gradum, quo instituitur, ut scilicet prima dignitas ditiorem obtineat praebendam, secunda vero etsi minori reditu, quam prima, constabilienda, maiorem tamen censum percipiat, quam caeteri simplices canonici praebendati, ac item canonici pinguiorem quam beneficiarii praebendati: eamdemque proportionem servandam edicimus si vires suppetant pro aliis instituendis ac dotandis sive canonicalibus sive beneficiariis praebendis.

§ 11. Fabricae pariter et sacrario prae-

dictae cathedralis ecclesiae illam pro eius cultu ac tuitione dotem, quam ipsi ex earumdem decimarum proventu, sin minus ex censibus aliisque bonis stabilibus, quatenus adsint et sint sufficientia, praefiniverit et adiudicaverit praesentium litterarum executor, pariter assignamus atque tribuimus.

§ 12. Eisdem quoque futuris ac pro tempore existentibus dignitatibus et canonicis plenam et omnimodam potestátem, ut ipsi capitulariter congregati pro memoratae ecclesiae cathedralis, ac pro illius mensae capitularis, sacrarii et fabricae, earumque rerum ac bonorum prospero felicique statu ac regimine ac onerum eis incumbentium implemento, horarum canonicarum aliorumque divinorum officiorum celebratione, fructuum distributione et quorumcumque emolumentorum partitione atque administratione, poenarumque per absentes aut negligentes contrahendarum impositione, quaecumque statuta, ordinationes ac decreta, sacris tamen canonibus Concilii Tridentini decretis et Constitutionibus apostolicis consona, condendi ac edendi, sub Episcopi tamen pro tempore existentis praesidentia et approbatione, pariter concedimus atque impertimur.

§ 13. Praeterea memorato capitulo et canonicis pro tempore existentibus indulgemus atque elargimur ius utendi ac fruendi omnibus et singulis tam spiritualibus quam temporalibus gratiis, privilegiis, immunitatibus, praeeminentiis et favoribus, quibus aliarum similium in America Meridionali existentium cathedralium ecclesiarum capitula, dignitates et canonicatus iure, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut indulto, vel privilegio singulari, utuntur ac fruuntur, dummodo adhuc sint in usu, et non fuerint revocata, nec sacris canonibus, constitutionibus et decretis apostolicis repugnent.

§ 14. Ut vero adolescentes in sortem Domini vocati non minus pietate, quam humanioribus litteris sacrisque disciplinis instituantur ac informentur, ecclesiasticum clericorum seminarium ex Concilii Tridentini mente et praescripto in civitate Guayaquilensi erigimus atque instituimus, eique aedes prope Ecclesiam Sancti Petri Apostoli ad Cathedralis honorem evectam sitas adscribimus, illamque dotationem, quae eidem iam constituta reperitur, tribuimus atque confirmamus, ac etiam si opus fuerit ex praedictis decimis ab eodem executore augeri mandamus.

§ 15. Perpensis autem reditibus ac fructibus Ecclesiae Episcopali Guayaquilensi, ut supra, attributis, eamdem Ecclesiam Guayaquilensem in florenis aureis de camera triginta tribus ac in tertia floreni parte de more taxari, ac eiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae et sacri Collegii describi volumus atque praecipimus.

§ 16. Quamobrem venn. fratri Nicolao Ioachim de Arteta Episcopo de Quito in eadem Aequatoriana Americae Meridionalis ditione, quem in praesentium litterarum nostrarum executorem eligimus, per apostolica scripta mandamus, ut ipse per se vel per alium virum ecclesiastica dignitate insignitum ab eo subdelegandum has nostras litteras, ubi et quando opus fuerit, aut quoties ab iis quorum interest, vel ab aliquo eorum, fuerit requisitus, solemniter publicet et exequatur, ac omnia et singula in eis contenta faciat auctoritate nostra ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; atque ut tam ipse, quam persona ab eo subdeleganda super quacumque oppositione in actu executionis quomodolibet oritura, quacumque appellatione remota, pronunciare libere ac licite possit et valeat, contradictores quoslibet ac rebelles per sententias, censuras poenasque ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, plenam et omnimodam facultatem concedimus atque elargimur. Eidem vero Episcopo Quitensi praecipimus et mandamus, ut singulorum actorum in praesentium litterarum executione conficiendorum exemplar authentica forma exaratum intra sex menses ab expleta ipsarum exequutione ad hanc Apostolicam Sedem diligenter mittendum curet, illudque in archivio congregationis negotiis consistorialibus praepositae de more asservari volumus.

§ 17. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii quorum interest, aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed

perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam palatii apostolici auditores, Apostolicae Sedis Nuntios et S. R. E. Cardinales, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi ac interpretandi facultate, iudicari ac definiri debere, et, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus atque declaramus. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de dismembrationibus ad partes committendis, etiam vocatis omnibus, quorum interest, aliisque ac nostris et Cancellariae Apostolicae regulis et Lateranensis Concilii novissime celebrati aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis, etim in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, supradictaeque conchensis ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et literis apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 18. Huiusmodi vero litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum in iudicio et extra fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

§ 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae dismembrationis, divisionis, erectionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo septimo quarto kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

CXV.

Statutâ iam separatione Aegypti et Arabiae a Vicariatu Apostolico Hierapolitano (Aleppensi), ut novus ibi constituatur Vicarius Apostolicus, qui ad Nubiam quoque et Abyssiniam missiones extendere satagat, Iosephum Angelum Fazio Episcopum Tipasitanum illuc mittit Visitatorem et Administratorem Apostolicum, ut edoceat quidquid opus sit ad novi Vicariatus erectionem, ac interim missionibus regendis opportunas tradat regulas, si indigeant.

Venerabili fratri Iosepho Angelo Fazio Episcopo Tipasitano,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Universi Dominici gregis ob pastorale ministerium supernâ Dei providentiâ nobis impositum magnopere soliciti, iisque praecipue ovibus, quae regiones ab hac S. Sede longe distantes incolunt, pro viribus consulere cupientes, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, auctoritate nostrâ apostolicâ statuimus atque decrevimus, a spirituali iurisdictione Vicarii Apostolici Hierapolitani Aegyptum et Arabiam seiungere, illisque in regionibus alium Vicarium Apostolicum episcopali charactere insignitum instituere, qui et missionum ibi existentium curam gerat, et antiquas, quae iamdiu defecere, missiones excitare atque ad conterminas quoque, si fieri possit, Nubiam et Abyssiniam extendere satagat. Ut autem huiusmodi gravis momenti providentia plenius ac facilius perfici possit, iisdem Cardinalibus in consilium adhibitis, tua prudentiâ, doctrinâ, integritate et catholicae Religionis studio plurimum confisi, hoc munus tibi conferre censuimus atque decrevimus.

§ 2. Peculiari ergo benevolentiae nostrae testimonio te complecti volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis etc. si qua forte incurreris etc. absolutum etc. fore censentes, auctoritate nostrâ apostolicâ te a munere Coadiutoris Vicarii Apostolici in Indostano solventes, in Visitatorem atque Administratorem A-

postolicum praedicti novi Vicariatus ad nostrum et S. Sedis arbitrium deputamus. In hisce vero partibus obeundis diligenter inspicies quod potissimum factu opus sit ad eumdem Vicariatum Apostolicum rite constituendum (1); num et qui sint in missione superioris Aegypti curae fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum nuncupatorum concreditâ abusus, eosdemque tollere studebis, novasque regulas, quoties opus fuerit, propones a missionis praefecto et missionariis servandas, ut in excolendâ eâ vineae Domini parte illorum opera utilior evadat, quae quidem regulae plenarium habeant effectum, donec ipsorum venn. fratrum nostrorum Congregatio super his quid in posterum servandum sit iudicaverit, ac propterea ad eamdem Congregationem mittere omnino debebis tuae Visitationis et Administrationis acta, eamque de rebus omnibus diligentissime certiorem facies.

§ 3. Haec volumus atque statuimus mandantes idcirco omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis sponte pareant et obediant tuaque salubria monita etc. observari. Non obstantibus apostolicis etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXI. febr. MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXVI.

Archiepiscopali ecclesiae Iconien. providet (2).

Dilecto filio presbytero Nicolao Candoni Metropolitanae Ecclesiae Corcyrensis Canonico,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§ 1. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, talis eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni nostrae reservavimus, decernentes, ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Vacatio ecclesiae Iconien.

§ 2. Postmodum vero archiepiscopalis ecclesia Iconien, quae in partibus Infidelium existit, solatio pastoris destituta, nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni nos fecerunt certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nemo praeter nos se potuit seu poterit intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem,

Nominatum designat.

§ 3. demum ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate etiam legitima constitutus existis, et cuius apud nos de morum integritate, doctrina, prudentia ac pietate, christianae Religionis et catholicae fidei zelo, ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione fide digna perhibentur testimonia, oculos mentis nostrae direximus. Quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem ecclesiam Iconien. de persona tua, nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in Episcopum praeficimus atque pastorem, curam, regimen

---

(1) Erectionem Vicariatus Aegypti et Arabiae vid. infra.
(2) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 222.

et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur, et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa Religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione complectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

Conditiones electionis.

§ 4. Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus atque indulgemus. Tibi insuper ut a quocumque malueris catholico Antistite Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente, adcitis, et in hoc illi adsistentibus, duobus aliis Episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco Presbyteris saecularibus vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Institutor. Regularium similem praefatae huius sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, atque eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a S. Sede propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, praefatum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, plenam harum litterarum serie tribuimus facultatem. Volumus tamen, et eadem auctoritate praecipimus ut, nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque ac synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVIII. febr. MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXVII.

Vicarium capitularem Goanae Dioecesis certiorem facit de nova Vic. Apostolicorum in Indiis constitutione non obstante patronatu regis Lusitaniae (1).

Dilecto filio Paulo Antonio Dias Conceptione Vicario Capitulari Dioecesis Goanae,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Rationes quibus R. P. concessere Lusitaniae regibus privilegium nominandi in Indiis Episcopos.

§ 1. Religionis propagandae et amplificandae studium, quod fidelissimi Lusitaniae et Algarbiorum Reges praesetulerunt, RR. PP. praedecessores nostros permovit, ut amplissimo eosdem patronatus privilegio pro ecclesiis cathedralibus in Indiarum et Sinarum regionibus constitutis decorarent, ita ut illarum regionum Episcopos Lusitaniae Rex nominaret, et Romano Pontifici eligendos offerret. Provisum ita sane fuisse catholicae fidei et conservationi et incremento praedecessores nostri arbitrati sunt, cum fidelissimorum regum pietas ecclesiarum ac seminariorum erectioni, Episcoporum aliorumque sacrorum ministrorum sustentationi omni opera largisque collatis aere suo stipendiis prospexerit:

Quid intelligatur per huiusmodi patronatus concessionem.

§ 2. Verum cum dilatatis in dies christiani nominis in vastissima regione confiniis temporum locorumve adiuncta identidem effecerint, ut difficultates quamplurimae exorirentur, quae impedirent quominus Lusitaniae regis patrocinium tam longe ut antea lateque se protenderet, Romani Pontifices rati per patronatus memorati concessionem non id intellectum iri, ut Apostolica Sedes nihil amplius plenitudine potestatis suae posset constituere, quod bono catholicae fidei agnosceret necessarium, multa praeter concessionis illius rationem, saluti fidelium

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 223. — Vide infra *Multa praeclare* et Leonem XIII. *Humanae salutis.*

in discrimine positae prospicientes, decreverunt. Id sane factum est cum vel in Sinarum Regno vel in Peninsula Indiarum trans Gangem plures ab Apostolica Sede Vicarii constituti sunt, queis iurisdictio in regiones ab episcopalibus sub regio patronatu constitutis subtractas tradita est. Id in Peninsula quoque Indiarum cis Gangem factum est, cum in Malabaria seu Verapoli et Bombayae Vicarii Apostolici constituti sunt.

Privilegia collata principibus non sunt in detrimentum religionis conservanda.

§ 3. Ea igitur omnia nos prae oculis habuimus ab eo tempore, quo licet immerentes ac Divi Petri Apostolorum Principis cathedram evecti fuimus; cumque iniuncti nobis universae ecclesiae pascendae ac gubernandae muneris esse senserimus, ut fidelium saluti etiam in dissitis remotissimisque regionibus pari cura ac studio prospiciamus, id statuimus ut eorum quidem rationem haberemus quae sapienti consilio a praedecessoribus nostris benemeritis de religione principibus collata sunt, sed ita ut apostolici nostri ministerii officiis nec deesse propterea deberemus, nec ex iis quae ad utilitatem tantum et bonum religionis statuta sunt et concessa, detrimentum Religio ipsa sentiret.

Praeter institutos vicariatus novos erigit.

§ 4. Quapropter, ea quae in Vicariatuum Apostolicorum erectione tum Calcuttae tum Madraspatani iam gessimus, quaeque tibi, dilecte fili, iam comperta sunt, animum adiecimus ut alia quoque in vastissimis Indiarum tractibus pro bono et salute fidelium constitueremus. Dolentes siquidem accepimus, florentissimas, exactis iam temporibus, ecclesias sive missiones Ceylani Insulae, Madurae, Tanjorii, Maravae et Misorii in dies deficere et fideles iis in regionibus constitutos, sive ministrororum sacrorum inopia, sive perversorum hominum fraudolentis consiliis et artibus in magno saluti discrimine versari. Sentimus quoque ac plane perspicimus, humanarum rerum vicissitudine factum esse ut Regis Lusitaniae patronatus nullum in praesenti discrimine auxilium ac levamen perditis prope missionum illarum rebus afferre possit.

Novos vicariatus designat.

§ 5. Omnia haec animo reputantes et serio ac mature perpendentes, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei negotiis praepositorum consilio, duos Vicarios Apostolicos instituimus; unum quidem, cui per Breve XXIII. decembris elapsi anni *Cum ad Religionis bonum* amplissimam Ceylanensem Insulam commisimus spiritualiter gubernandam atque ad hoc munus dilectum filium Vincentium de Rosarie presbyterum Congregationis Oratorii Goanae S. Philippi Nerii designavimus; alterum vero cui per Breve *Catholicae Ecclesiae* die item XXIII. decembris superioris anni alias memoratas regiones, totam eam scilicet plagam ad meridiem peninsulae cis Gangem sitam, quae ad Orientem Montium Gates vergit et a flumine Chavery ad Promontorium usque Comorinum protenditur, administrandas spirituali iurisdictione credidimus, atque ad hoc munus dilectum filium Iosephum Bertrand presbyterum S. I. deputavimus.

Vic. Capitul. Goano praecipit constitutiones observare.

§ 6. Hanc voluntatis nostrae dispositionem, tibi, dilecte fili, significavimus *ut cognoscas in regiones illas tuam sive Archiepiscopalis Sedis huius Metropoliticam iurisdictionem prorsus cessasse atque ab episcopali sive archiepiscopali Cranganvrensis, sive Episcopi Meliaporensis, sive Episcopi Coccinensis iurisdictione penitus exemptas fuisse.* Speramus vero te pro debita erga Apostolicam Sedem observantia hanc auctoritatis nostrae constitutionem omni submissione et obsequio fore excepturum; imo confidimus omnem te operam impensurum ut impedimenta tollantur ad plenam eiusdem executionem, ut, qui refragari ausi fuerint, eos auctoritate tua deterreas atque compescas, ut nimirum paterno quo te prosequimur affectui, tamquam obsequentissimus filius plene respondeas.

Derogat contrariis.

§ 7. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illos ad quos spectat et spectabit hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X. martii MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII. (1).

(1) Ex nota marginali Regesti desumimus sub eadem signata die h. ep. fuisse expeditam vicariis in Siam, Granganon, Meliapor et Coccino, his tantum verbis immutatis: « ut cognoscas regionum illarum partem hactenus iurisdictioni Sedis huius ordinariae subiectam ob tua istiusque Sedis, sicut et alias partes ab aliarum episcopalium sedium iurisdictione penitus exemptas fuisse ».

CXVIII.

Episcopo Marianopolitano in Canada Inferiori nunciat, se Coadiutorem ab ipso petitum constituisse, pro quo literas apostolicas adnectit, eique et Coadiutori impense commendat Seminarium S. Sulpitii eiusque sacerdotes valde fidei catholicae benemeritos.

Venerabili fratri Ioanni Iacobo Lartigue Episcopo Marianopolitano in Canada inferiori,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Iucundae nobis fuerunt fraternitatis tuae literae Marianopoli die xv. novembris scriptae. Vidimus enim quam grato erga nos animi tui sensu institutum a nobis Marianopolitanum episcopatum, tuamque ad istam sedem episcopalem designationem prosequaris. Hanc vero ecclesiae perutilem futuram esse in Domino vehementer confidimus. Certum praeterea habemus te novum perspicuum benevolentiae nostrae argumentum esse capturum ex apostolicis nostris literis, quas huic epistolae adiectas mittimus. Nam expedire iudicantes, te Coadiutore non carere quocum labores curasque tuas partiri possis, precibus tuis annuimus et id munus contulimus sacerdoti Ignatio Bourget, eique, prout petebas, episcopalem Thelmessensem titulum tribuimus. Magnam vero spem iure concepimus, sacerdotem hunc, qui tot annos in gerendis ecclesiasticis istius regionis negotiis apud te studiosam operam impendit, cum religionis emolumento munere sibi commisso esse functurum.

§ 2. Haec dum tibi significanda esse duximus, opportunam nobis oblatam esse occasionem censuimus, quâ tibi, ac per te coadiutori tuo, mentem nostram de re, quae cordi nobis magnopere est, luculenter aperiremus. Loquimur videlicet de isto S. Sulpitii seminario, deque sacerdotibus ad illud pertinentibus; et eam domum ac sacerdotes eiusdem quanto possumus studio tibi et successoribus tuis commendamus. Nota nobis vobisque sunt praedictae domus et sacerdotum in eâ degentium in propagandâ istic religione praeclara merita. Scimus fidei catholicae in regione Canadensi amplificationem sacerdotum Sulpicianorum laboribus multum esse tribuendam. Omnem igitur iusti rectique rationem postulare arbitramur, ut Sedes Apostolica domus eius conservationem atque incolumitatem sedulo curare non omittat. Quare gratum nobis semper futurum esse testamur, quidquid ad eius utilitatem prosperitatemque conducet; te vero coadiutoremque tuum commendationi nostrae obsecundaturos esse certo scimus. Interea tibi et Thelmessensi Episcopo apostolicam benedictionem ex intimo cordis affectu impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XIII. martii MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXIX.

Gujanam Britannicam seu Demeraryam seiungit a Vicariatu Apostolico SSmae Trinitatis, illamque in novum Vicariatum Apostolicum erigit.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex pastoralis ministerii munere nobis divinitus concrediti non leve totius dominici gregis onus ferentes, nullis neque curis neque consiliis neque laboribus nobis parcendum esse cognoscimus, quo christifidelium bono atque utilitati quibusque rebus pro viribus consulatur.

§ 1. Itaque cum ad prospiciendum Religionis catholicae incolumitati atque incremento in vastissimis et longissime dissitis regionibus, quae districtu Vicariatus Apostolici insulae SSmae Trinitatis seu Indiarum Occidentalium continentur, necessarium prorsus esse noverimus novam ecclesiastici regiminis in tantâ locorum amplitudine partitionem fieri, quâ factâ expeditior et commodior evadat Ecclesiae administratio et populorum cura, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio censuimus atque decrevimus, Gujanam Britannicam seu Demeraryam, quae hactenus Vicarii Apostolici insulae SSmae Trinitatis iurisdictioni suberat, ab illius iurisdictione subtractam in peculiarem ac

distinctum Vicariatum Apostolicum esse erigendam.

§ 2. Motu igitur proprio, atque ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine harum literarum vi Guianam Britannicam seu Demeraryam ab iurisdictione Vicarii Apostolici insulae SSmae Trinitatis subtrahentes, in peculiarem ac distinctum Vicariatum Apostolicum erigimus, atque in eo Vicarium Apostolicum constituimus. Ipsi autem Vicario, ab hac Apostolicâ Sede adlegendo, omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas, eadem auctoritate nostra concedimus et impertimur. Haec statuimus atque decernimus volentes has nostras literas semper firmas validas et efficaces existere etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XII. april. MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXX.

Condolet cum Principe Davide Sombre de aviae eius Principis Sirdhanae morte; agit de tabula picta quam Romam ipse mittit, de pecuniis a defuncta piis operibus destinatis; ac de discessu, quem improbat, ab India Vicarii Apostolici, eique significat cum ipso principe Romam adventuro de iuvanda in iis regionibus religione se acturum (1).

Dilectissimo in Christo filio nostro Davidi Principi Ochlerlong Dyce Sombre,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilectissime fili salutem et apostolicam benedictionem.

Singulari, ut nosti, paternae voluntatis studio prosequebamur dilectissimam in Christo filiam nostram inclytam Principem Ioannam aviam tuam, ac proinde acerbissimus cordi nostro accidit eiusdem obitus, de quo tum ex aliis antea nunciis, tum nuper ex literis cognovimus nobilitatis tuae datis ad nos die XI. iulii anni proximi. Sed probe memores religionis et effusae in ecclesias ac pauperes liberalitatis suae consolamur una tecum dolorem nostrum firmissimâ spe, qua ipsius animam in locum salutis receptam confidimus. Nec vero intermittimus humilibus precibus et incruenti sacrificii oblatione instare apud Deum, ut per misericordiam suam indulgeat quidquid ei humanae labis expiandum supersit. Ad Tabulam deinde quod attinent dedicationem referentem sacrae aedis Sirdhanensis sumptu eiusdem defunctae Principis magnifico opere esse constructa, iam quidem nunciatum nobis est illam in viâ esse, ac multas tibi gratias persolvimus, qui hanc avitae munificentiae memoriam cito ad nos mittendam curasti. Plurimum vero delectati sumus reliquâ illarum literarum tuarum significatione qua, dilectissime in Christo fili noster, non fortunarum modo aviae tuae, sed pietatis etiam haeredem te ostendis. Nam et pecunias piis pluribus operibus a defunctâ assignatas fideliter erogasti; et de rebus Sirdhanensis ecclesiae ita loqueris, ut ipsam, te opem ferente, in meliorem statum adduci a nobis posse non ambigamus. Molestissimum interea nobis fuit, quod ven. frater Episcopus Amathuntinus, quem in toto Sirdhanensi principatu Vicarium Apostolicum constitueramus, nobis inconsultis teque ipso aegre admodum ferente, ab Indiâ discesserit: et eum quidem per literas nostrae Congregationis Propagandae Fidei nostro nomine reprehendendum curavimus. Praeterea certiorem te facimus, eamdem congregationem scripsisse etiam ven. fratri Episcopo Esbonensi Vicario Apostolico Agrae constituto, ut ei mandatum nostrum significaret de pecuniâ, quam tu eidem ex demortuae voluntate soluturus eras, caute reservandâ in pium usum, quem suo deinde tempore ex aliis literis cognoscet. Enimvero tum de hac re tum de ceteris, quae ad iuvandam inter vos Religionis causam pertineant, statuemus consultius postquam tecum, dilectissime in Christo fili noster, loquuti fuerimus. Speramus enim te, ut proposueras, iam ex Indiâ profectum et Romam in futuri anni exordio adventurum. Vix autem explicare verbis possumus, quanto paterni animi affectu exoptemus, nobilitatem tuam alloqui praesentem atque complecti. Interea non desistimus, Deum per merita Iesu Christi filii eius suppliciter obsecrare, ut

(1) Ex Reg. Vat. ep. ad Principes etc.

te in itinere custodiat, et ab omni malo defendat, atque incolumem ad nos pervenire concedat. Denique praecipuae nostrae benevolentiae, quam coram postea, dante Domino, confirmabimus, pignus nunc habere te volumus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam, et cum verae omnis prosperitatis voto coniunctam, tibi ipsi, dilectissime in Christo fili noster, amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXII. aprilis MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXXI.

Restitutio subiectionis episcopalis ecclesiae Chiapensis Archiepiscopo Mexicano.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Dominico gregi assidua solicitudine moderando tuendoque praepositi Romani Pontifices id unum constanter assequi studuerunt, quod creditarum sibi ovium saluti et commodis comparandis, rei religiosae augendae, divinaeque laudi propagandae conferre videretur. Quapropter eo potissimum suas curas intentas voluere, ubi matura Apostolicae Sedis providentia opus esse intellexerunt, vel quod rei christianae utilitas id exigeret, vel quod vehemens necessitas praesentem seduli Gubernatoris opem exposceret. Inter caetera autem pontificiae sedulitatis munia illud in primis censeri debet, quod episcopatuum respicit vel erectionem vel coadunationem vel dissociationem vel demum exemptionem, siquidem haec gravissimae causae suadere videantur. Hinc cum ea sit rerum humanarum natura ac conditio, ut quae olim habita temporum, locorum et circumstantiarum ratione pro recta dioecesium administratione rite constituta esse conspiciebantur, ea interdum progressu temporis non satis congrua et fortasse minus utilia atque etiam incommoda evadant; necesse propterea est Romanum Pontificem per potestatem illam, quam ad singulas Ecclesiarum necessitates sublevandas divinitus accepit, novam ipsarum administrationem constituere prout noverit in Domino salubrius expedire.

§ 1. Nobis porro, qui ineffabili divinae bonitatis clementia ad universalem ecclesiam regendam gubernandamque vocati fuimus, dilectus in Christo filius Emmanuel Diez de Bonilla Mexicani Gubernii apud nos et hanc Apostolicam Sedem Minister Plenipotentiarius oblatis precibus nuper exposuit Chiapensem Ecclesiam Cathedrae honore a recol. mem. Paulo Papa III. praedecessore nostro anno Domini MDCCCVIII. condecoratam et caeteris sedibus episcopalibus, quae Mexicano Archiepiscopo in America Meridionali olim suffragabantur, adiunctam, deinceps inter alias sedes episcopales et ipsam tamquam suffraganeam metropoliticae iurisdictioni Archiepiscopi Guatimalensis fuisse subiectam an. MDCCXLIII. cum scilicet posterior haec ad archiepiscopatus dignitatem a fel. rec. Benedicto PP. XIV. similiter decessore nostro erecta est. Hinc pluribus gravibusque intercidentibus causis postulavit a nobis, ut rem pristinae formae restituendo Mexicano archiescopatui suffraganeam, qua pridem potiebatur, Chiapensem ecclesiam redderemus. Neque enim, quae antea rationes subiectionem Chiapensis Ecclesiae Guatimalensi archiepiscopatui probabant, eidem hoc tempore pariter suffragantur. Modo namque fidelibus Chiapam incolentibus facillimus, atque expeditissimus ad Mexicanam ecclesiam patet accessus; cum e contra Guatimalam adire ipsis sit maxime incommodum atque periculosum.

§ 2. Siquidem Chiapa iter facientibus Guatimalam teterrimae viae calcandae occurrunt, situ squallentes, pluvialium aquarum impetu erosae, ac deformatae, nulla hominum societate frequentes, nulloque opportunae stationis usu commendatae. Huc accedit asperrimos montes esse viatoribus conscendendos, ac etiam flumina pontibus cymbisque haud instructa traiicienda, ita ut ingruentibus saepe imbribus coeptum iter intercidendum sit, aut observata vestigia relegenda. Contra vero publicae viae, quae Chiapa Mexicum ferunt, praesertim a provincia de Antequera Chiapensi regioni finitima, nullo negocio meabiles, magna hominum frequentia spectatae, nullis ambagibus vel anfractibus impeditae, sed in porrectum euntes, Viatorem commodissimis tractibus traducunt.

§ 3. Nec illud sane negligendum est,

quod cum dioecesis Chiapensis iaceat intra Mexicanae ditionis fines, fideles illam incolentes expeditiorem negotiorum rationem habeant Mexicum potius, quam Guatimalam, adeundo.

§ 4. Nos igitur, quibus fidelium salus in primis proposita est, cunctis, quae superius narrata sunt, matura deliberatione perpensis, humillimis supplicationibus hac de re porrectis annuere volentes, de plenitudine apostolicae potestatis consensui tum vener. fratris Raymundi Casans-y-Torres hodierni Archiepiscopi de Guatimala, tum cuiusvis alterius personae ecclesiastica etiam dignitate et quovis honore ac praeeminentiae gradu fulgentis plane derogantes, ex certa scientia, motu etiam proprio, deque apostolicae potestatis plenitudine memoratam ecclesiam de Chiapa suo nunc Pastore viduatam a iurisdictione metropolitica ecclesiae de Guatimala iugiter et omnimode eximimus ac liberamus, eamque sic exemptam ac liberam perpetuum pariter in modum suffraganeam constituimus Mexicani Archiepiscopi, eiusque metropolitico iuri subiicimus ac supponimus, ipsique metropolitanae ecclesiae Mexici in eamdem ecclesiam de Chiapa iura, privilegia, honores et facultates, quibus metropoliticae sedes ex sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum praescripto in suffraganeas pollent ecclesias, eodem similiter modo, eademque auctoritate concedimus ac tribuimus.

§ 5. Hinc venerabili fratri Francisco Paulo Vasquez Episcopo Ilascanensi, quem exequutorem praesentium literarum apostolicarum eligimus ac deputamus, necessarias facultates, ut ipse per se, vel per alium virum ecclesiastica dignitate insignitum ab eo subdelegandum, has nostras literas solemniter publicet atque exequatur, omniaque et singula in illis contenta auctoritate nostra ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit, curet inviolabiliter servanda, simili modo concedimus et impertimur; atque ut tam ipse quam persona ab eo subdeleganda super quacumque oppositione in actu executionis quomodolibet forsitan oritura, etiam definitive et quavis appellatione remota libere et licite definire et pronunciare possit et valeat, contradictores quoslibet, ac rebelles per sententias, censuras, poenasque ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, plenam et omnimodam facultatem similiter tribuimus atque indulgemus. Eidem vero Episcopo Ilascanensi praecipimus atque mandamus, ut singulorum actorum in praesentium litterarum executione conficiendorum exemplar authentica forma exaratum intra annum ab expleta ipsarum executione ad hanc Apostolicam Sedem mittat, illudque in archivio Congregationis negotiis consistorialibus praepositae de more asservari edicimus atque iubemus.

§ 6. Praesentes vero litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii quorum interest, aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non alias per quoscumque iudices quavis auctoritate fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi seu interpretandi facultate, iudicari et definiri, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane decernimus atque declaramus.

§ 7. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non supradictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, concessionibus et indultis, quamvis specifica et individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis ac etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis: quibus omnibus ac singulis illorum tenores pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum derogamus ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Huiusmodi autem literarum apostolicarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum in iudicio et extra fidem ha-

beri volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam exemptionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo septimo, septimo kalendas maias, pontificatus nostri anno VII.

CXXII.

Electionem vicarii cum futura successione a Vic. Ap. Tunkini factam approbat, et electum exhortatur ad muneris susceptionem.

Dilecto filio Clementi Masson presbytero Missionario Apostolico in Tunkino Occidentali,

GREGORIUS PP. XVI.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Ad supremi apostolatus fastigium evecti, omniumque ecclesiarum solicitudine, meritis licet imparibus, Deo ita disponente onerati, in ipso statim pontificatus exordio peculiares convertimus curas ad christifideles in remotissimis ab hac alma Urbe locis degentes, quorum saluti eo providentius consulendum cognoscebamus quominus expedita illis via est, ut in rebus quae improviso acciderint, opportunum a Sede Apostolica remedium in tempore consequantur.

Electionis historia.

§ 1. Quare quum vener. fr. Iosephus Episcopus Castoriensis Vicarius Apostolicus istius regionis adiutorio indigeret hominis episcopali charactere insigniti, qui et eidem postea in Vicariatus Apostolici munere sine mora succedere posset; nos acceptis etiam in eam rem memorati Castoriensis Episcopi precibus, ac plenam de ipsius zelo prudentiaque fiduciam habentes, dedimus inde ab anno MDCCCXXXII. apostolicas literas sub annulo Piscatoris, quibus ei potestatem fecimus eligendi iudicio suo probatum aliquem missionarium, qui sub titulo Acanthensis ecclesiae Episcopus consecraretur, eiusque coadiutor cum iure futurae successionis constitutus apostolica auctoritate haberetur. Expectabamus in dies nuncium rei universae iuxta mandatum nostrum perfectae; quum contra perlatum ad nos est Apostolicum quidem Vicarium cunctis plaudentibus elegisse te, dilecte fili, qui tamen consentire huic electioni obfirmato prorsus animo renuisti. Grave ac plane molestissimum cordi nostro fuit videre litteras illas nostras suo inde effectu frustratas et christianam apud vos rem in ea adhuc conditione positam, ut si ven. fratri Castoriensi Episcopo aliquid humanitus acciderit, fideles isti, tot iam tantisque calamitatibus vexati, opportuno etiam pastoris solatio haud brevi tempore carituri sint.

De pontificali sua voluntate electum certiorem facit.

§ 2. Iam vero ut nullum tibi de voluntate nostra dubium supersit, has ad te dare voluimus litteras, quibus primo quidem certiorem te facimus, nos iudicium probare ven. fratris Vicarii Apostolici, et electionem de te ab illo factam, ratam prorsus habere. Cognovimus enim ex testimoniis fide dignis te, dilecte fili, non modo pietate, doctrina et prudenti secundum scientiam zelo praeditum, sed diuturna etiam rerum in ardua missione ista gerendarum experientia instructum esse, et communi fratrum tuorum atque indigenarum gratia et favore pollere, ut delato proinde muneri maxime inter alios idoneus sis. Quod non eo sensu dictum volumus, quasi minus bonam de missionariis sociis tuis opinionem habeamus. Immo de his quoque multa accepimus praeclaris sane laudibus digna; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo. Nobis autem ad totam rei causam respicientibus haud facile est alium reperire quem tanto isti officio aeque parem atque aptum tui loco eligamus. Itaque dilectionem tuam vehementer hortamur atque obtestamur in Domino, ut desistas tandem a recusatione illa, quae Castoriensem Episcopum nosque ipsos tantopere contristat et fidelem istum gregem in perniciosissimae orbitatis discrimen adducit. Memento quod S. Augustinus docet de pastoralis officii sarcina, quae proprio qui-

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 230.

dem consilio indecenter appeteretur. « Si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem (1) ». Enimvero, ita loquitur eadem de re S. Gregorius Magnus glor. mem. praedecessor noster, in quantum homo discutere et investigare iudicia superna non sufficit, in tantum sub eis debet cervicem cordis inflectere: et, quia quod sibi tribuitur, quo iudicio disponatur, ignorat, nec ad appetendum locum procax insistere, nec ad repellendum contumax debet inveniri (2).

Electum hortatur ad oneris acceptationem.

§ 3. His igitur hortationibus nostris et SS. Patrum monitis excitatus subde humeros imposito oneri, dilecte fili, nec illius difficultates extimescas propriis quasi viribus superandas; quum et consilium nostrum et fortitudo nostra sit Christus, ac, si sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus. Apud quem ut gratiam semper invenias in auxilio opportuno, perge, ut facis, nihil tribuere tibi ipsi, sed vires tanto muneri pares bonumque villicationis exitum ab illo suppliciter posce, et magna iugiter fiducia expecta. Ita certe continget, ut eo dante fias forma gregis ex animo; et cum deinde apparuerit idem princeps Pastorum, percipies immarcescibilem gloriae coronam. Nos interea optatum de accepto denique a te pastorali munere nuncium praestolantes, benedictionem apostolicam cum verae omnis prosperitatis voto coniunctam, tibi ipsi, dilecte fili, toto paternae caritatis affectu impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die I. maii MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXXIII.

Dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis Zacynthi gestare permittit hiberno tempore cappam violaceam superius ornatam pellibus albae mustellae, servato aestivo tempore palliolo seu mozzetta.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum indulgentia Pontificum peculiaria ornamenta aliquando illis tribuit, qui Deo laudes conspicuis in templis persolvunt, ut externa decora adepti, magis illi conentur internis virtutibus enitere, et ad sacra ministeria accurate implenda benignitatis etiam apostolicae incitamento impellantur.

§ 1. Quapropter quum illustri profecto in templo cultui divino inserviant dignitates et canonici cathedralis ecclesiae Zacynthiensis, quumque demissis precibus ven. frater Aloisius Lastaria eiusdem ecclesiae Episcopus a nobis petierit, ut peculiaribus nonnullis insignibus eos auctoritate nostrâ supremâ exornemus, facile exorari nos patimur ac petitioni huiusmodi obsequimur. Omnes ergo et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, dignitatibus et canonicis cathedralis ecclesiae Zacynthiensis eorumque successoribus auctoritate nostrâ apostolicâ concedimus et indulgemus, ut in choro, in sacris supplicationibus, in conventibus seu, ut dici solet, capitulis deliberationis causâ habendis, et in aliis quibuslibet publicis canonicorum collegii functionibus, a celebritate omnium Sanctorum usque ad Ascensionis Domini festum, gestare libere et licite possint cappam, ut loquuntur, coloris violacei albae mustellae pellibus superiori in parte de more exornatam, sartâ tectâque veniâ pro reliquo anni tempore palliolum seu mozzettam ferendi.

§ 2. Haec concedimus atque sancimus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et spectabit, hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari.

§ 3. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXX. maii MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

---

(1) De civit. Dei lib. 19, cap. 19.
(2) Epist. 32, lib. 1, iuxta ord. Maurinae edit.

CXXIV.

Novum in Promontorio Bonae Spei vicariatum apostolicum erigit a Vicariatu Insulae Mauritii distinctum, et in eo praeficit Raymundum Griffith (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex munere pastoralis ministerii supernâ Dei providentiâ humeris nostris impositi non leve sane totius dominici gregis onus ferentes, omni sane vigilantiâ, studio, consilio, industriâ eo potissimum spectemus oportet, ut catholica fides ubique vigeat et floreat, et cunctis christifidelibus quibusque rebus provide consulatur.

§ 1. Cum itaque perspicuis monumentis constiterit ad Religionis catholicae bonum in Promontorio Bonae Spei promovendum necesse prorsus esse, ut ecclesiasticum illius Promontorii regimen Vicario Apostolico committatur, qui in ipsâ illâ regione resideat, quo commodior ibi et expeditior esse possit Ecclesiae administratio et populorum cura, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio censuimus atque decrevimus, Promontorium Bonae Spei in Vicariatum Apostolicum proprie dictum a Vicario Apostolico in insulâ Mauritii commorante minime dependentem esse erigendum.

§ 2. Motu igitur proprio, atque ex certâ scientia et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine harum literarum vi, Promontorium Bonae Spei, a Vicario Apostolico in insulâ Mauritii omnino seiunctum minimeque dependentem, in proprium ac peculiarem Vicariatum Apostolicum erigimus, atque in eo Vicarium Apostolicum constituimus. Ipsi autem Vicario ab hac Apostolicâ Sede adlegendo omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eâdem auctoritate nostrâ concedimus et indulgemus.

§ 3. Haec statuimus atque decernimus, volentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis ad quos spectat ac in posterum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis au-

(1) Ex Reg. Brev. vol. IV. p. 233 transcribimus lit. qua ad novum vicariat. Raymundum Griffith eligit.

Dilecto Filio Raymundo Griffith
Hiberno sacerdoti professo Ordinis Praedicatorum,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium nobis ex alto commissum nihil nos magis sollicitat, quam ut Christifidelibus omni cura et studio prospiciamus quo in via mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam animarum suarum assequendam salutem opportunis praesidiis adiuventur. Itaque cum ad religionis catholicae bonum in Promontorio Bonae Spei commodius atque expeditius promovendum necesse prorsus iudicaverimus Vicarium Apostolicum, cui illarum regionum ecclesiasticum regimen sit commissum, in ipso Promontorio commorari, atque idcirco Promontorium illud per similes apostolicas litteras in Vicariatum Apostolicum peculiarem proprie dictum a Vicario Apostolico in Insula Mauritii commorante minime dependentem constituerimus; nos de tua pietate, doctrina, morum integritate et rerum gerendarum peritia, et catholicae religionis zelo quamplurimum in Domino confisi quod ea quae tibi committenda duxerimus cumulate sis expleturus, de VV. FF. consilio eidem Vicariatui praeficiendum censuimus. Quamobrem te, quem per similes apostolicas litteras hoc ipso die datas Episcopum Ecclesiae Palaeopolitan. sub Archiepiscopo Ephesino in partibus infidelium renuntiavimus, peculiari beneficientia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te hisce litteris auctoritate nostra apostolica ad nostrum atque eiusdem Apostolicae Sedis beneplacitum in Vicarium Apostolicum Promontorii Bonae Spei eligimus, constituimus et deputamus cum omnibus et singulis iuribus et facultatibus, quae huiusmodi propriae sunt muneris, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus propterea, in virtute sanctae obedientiae, omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut te in Vicarium Apostolicum per nos electum harum litterarum vi recipiant et admittant, tibique in omnibus, quae ad officium huiusmodi pertinent, praesto sint atque obediant, tuaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant, et omnino adimpleant, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris in rebelles sive statueris, ratam habebimus, et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VI. iunii MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

ctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus apostolicis constitutionibus et sanctionibus etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VI. iunii MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXXV.

Subtractam a iurisdictione Episcopi Novae Aureliae in America Septentrionali provinciam Missisipii in novum episcopatum erigit cum sede in Urbe Natchez.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Universi dominici gregis salus nobis divinitus concredita postulat atque efflagitat, ut summo studio et vigilantiâ ea omnia peragenda curemus, quae ad catholicae Religionis bonum et christifidelium utilitatem pertinere posse cognoscimus.

§ 1. Itaque cum venn. fratres Archiepiscopus Baltimorensis atque Episcopi dioecesium confaederatarum Americae septentrionalis provinciarum, in synodo provinciali mense aprili huius vertentis anni MDCCCXXXVII. habitâ congregati, ad nos supplicem miserint libellum, quo petebant ut, ad prospiciendum Religionis catholicae incremento, atque ad commodius et expeditius procurandam animarum salutem, in provinciâ Fluminis Missisipii in civitate Natchetensi novam episcopalem sedem constituere velimus, cui tota Missisipiensis provincia subiiciatur, quae hactenus Episcopi Novae Aureliae iurisdictioni suberat, nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum sententiâ, ac ratione habitâ consensus ab eodem Episcopo Novae Aureliae exhibiti, eiusmodi rem conficiendam censuimus.

§ 2. Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, motu proprio et ex certâ scientiâ, deque nostrae apostolicae potestatis plenitudine hisce literis in civitate Natchetensi novam episcopalem sedem erigimus atque instituimus, cui totam provinciam Missisipiensem subiicimus, quam provinciam ex iurisdictione Episcopi Novae Aureliae omnino subtractam in proprium et peculiarem episcopatum erigimus, atque in memoratâ civitate proprium Episcopum pariter constituimus. Ipsi autem Episcopo ab hac Sede adlegendo omnes et singulas facultates solitas eâdem auctoritate nostrâ concedimus atque impertimur.

§ 3. Haec volumus atque decernimus, derogantes iis, quae apostolicis literis diei MDCCCXXXIV. incipientibus *Benedictus Deus* praescripta sunt de iurisdictione in provinciam Mississipiensem Episcopo Novae Aureliae tribuendâ, ac decernimus, has praesentes literas etc. attentari, non obstante etc. et quoties opus fuerit fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum aliisque constitutionibus etc. quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVIII. iulii MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXXVI.

Erigit episcopatum Dubuquensem in territorio Visconsin in America septentrionali, quod proinde eripit a iurisdictione Episcopi S. Ludovici.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Universi dominici gregis salus nobis divinitus concredita postulat atque efflagitat, ut summo studio et vigilantia ea omnia peragenda curemus quae ad catholicae Religionis bonum et christifidelium utilitatem pertinere posse cognoscimus.

§ 1. Itaque cum venn. fratres Archiepiscopus Baltimorensis, atque Episcopi dioecesium confaederatarum Americae septentrionalis provinciarum in synodo provinciali mense aprili huius vertentis anni MDCCCXXXVII. habita congregati, ad nos supplicem miserint libellum, quo affirmabatur utile religioni et animarum saluti esse futurum, si sedes nova episcopalis in civitate Dubuquensi, nuper quidem aedificatâ, sed valde iam populosâ, in territorio Visconsino erigatur, cui eiusdem territorii occidentalis pars, quod ultra flumen Mississipi, citra flumen Missouri iacet, quae hactenus Episcopo S. Ludovici suberat, subiiciatur, nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, apostolicae potestatis plenitudine, in civi-

tate Dubuquensi in territorio Visconsin novam episcopalem sedem erigimus atque instituimus, cui eiusdem territorii occidentalis partem, quod ultra flumen Mississipi, citra flumen Missouri iacet, subiicimus, quam quidem territorii partem ab iurisdictione Episcopi S. Ludovici omnino subtractam in proprium ac peculiarem episcopatum erigimus, atque in commemoratâ civitate proprium Episcopum constituimus. Ipsi autem Episcopo ab hac sede adlegendo omnes et singulas facultates solitas eâdem auctoritate nostrâ concedimus atque impertimur.

§ 2. Haec volumus, atque decernimus derogantes iis, quae apostolicis literis diei XVIII. iunii MDCCCXXXIV. incipientibus *Benedictus Deus* praescripta sunt de iurisdictione in provinciam Mississipiensem Episcopo Novae Aureliae tribuendâ; ac decernentes has praesentes literas etc. attentari, non obstante etc. et quoties opus fuerit fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum aliisque constitutionibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXVIII. iulii MDCCCXXXVII., pontificatus nostri anno VII.

CXXVII.

Novam sedem episcopalem erigit in urbe Nashville in America septentrionali, cui tota subiiciatur provincia Tennessensis, hactenus subdita Episcopo Bardensi.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Universi dominici gregis salus nobis divinitus concredita postulat atque efflagitat, ut summo studio et vigilantia ea omnia peragenda curemus quae ad catholicae Religionis bonum et christifidelium utilitatem pertinere posse cognoscimus.

§ 1. Itaque cum venn. fratres Archiepiscopus Baltimorensis, atque Episcopi dioecesium confaederatarum Americae septemtrionalis provinciarum in synodo provinciali mense aprili huius vertentis anni MDCCCXXXVII. habita, congregati, ad nos supplicem miserint libellum, quo affirmabatur utile religioni et animarum saluti esse futurum, si in provinciâ Tennessensi nova sedes episcopalis in civitate Nashville in comitatu Davidsoniensi, quae civitas valde populosa est, erigatur, cui tota provincia Tennessensis, quae hactenus Episcopo Bardensi suberat, subiiciatur; nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, in civitate Nashville in comitatu Davidsoniensi novam episcopalem sedem erigimus et constituimus, cui totam provinciam Tennessensem subiicimus, quam provinciam ab iurisdictione Episcopi Bardensis omnino subtractam in propium ac peculiarem episcopatum erigimus, atque in commemorata civitate et dioecesi proprium Episcopum pariter constituimus. Ipsi autem Episcopo ab hac sede adlegendo omnes et singulas facultates solitas eâdem auctoritate nostrâ concedimus atque impertimur.

§ 2. Haec volumus atque decernimus derogantes iis, quae apostolicis literis diei XVIII. iunii MDCCCXXXIV. incipientibus *Benedictus Deus* praescripta sunt de iurisdictione in provinciam Mississipiensem Episcopo Novae Aureliae tribuenda, ac decernimus has praesentes literas etc. attentari, non obstante etc. et quoties opus fuerit fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum aliisque coustitutionibus etc. quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVIII. iulii MDCCCXXXVII., pontific. nostri anno VII.

CXXVIII.

Vic. Ap. Bombaini coadiutorem in vicariatu eligere concedit cum futura successione.

Venerabili fratri Petro De Alcantara Episcopo Antippellensi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, Vicario Apostolico Bombaini in Indiis Orientalibus,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum venerabilis frater Maurelius Stabellini Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Episcopus Dolicensis et coadiutor Petitio.

in tuo Vicariatu iam designatus officium abdicaverit ac propterea tua a nobis petieris ut tibi aetate iam valde provecto et post innumeros in perlongo quadraginta et amplius annorum cursu toleratos labores in eo Districtu gubernando alterum coadiutorem cum iure successionis concedere velimus, qui episcopali charactere sit insignitus, nos, ne in eligenda persona idonea pro huius coadiutoris officio tibi grata et ad munus explendum apta, quae prius a nobis esset uti par est approbanda, tempus frustra decurrat ob nimiam distantiam locorum, neque eveniat, quod absit, ut te deficiente Vicariatus iste diu careat pastore episcopali dignitate ornato, probe noscentes quanta tua sint merita et quanta prudentia, doctrina, pietate, fide, religione praestes, extraordinario modo tibi annuere volentes et a quibusvis etc. tibi, venerabilis frater, necessarias et opportunas facultates tibi eligendi in coadiutorem Vicarii Apostolici Bombaini eum ex missionariis tibi subiectis quem magis dignum et idoneum ad huius coadiutoris munus gerendum pro tua prudentia iudicaveris auctoritate nostra apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur, ita tamen ut coadiutor sic per te electus nonnisi ea quae hac in re tu illi demandaveris, omnino praestare teneatur.

Concessio. § 2. Cum vero munus huius quo tu in praesentia fungeris quomodolibet ex persona tua vacaverit, coadiutorem ut supra a te eligendum loco tui Vicarium Apostolicum Bombaini cum omnibus et singulis facultatibus quae tibi ratione officii huius ab hac sede hactenus quomodolibet concessae sunt, iam nunc auctoritate et tenore praesentis facimus et constituimus, salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Episcopalis titulus coadiutoris. § 3. Praeterea ut idem coadiutor a te adligendus charactere et titulo episcopali praefulgeat, ex nunc pariter pro tunc illum in Episcopum Ecclesiae Calamen. actu per obitum ultimi Episcopi vacantis, quae in partibus infidelium sub Archiepiscopo Carthaginensi existit, eadem auctoritate nostra apostolica eligas atque declares, illique ut ad ecclesiam praedictam, quandiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime teneatur, eadem auctoritate nostra concedas et indulgeas, tibique pariter et eidem coadiutori a te eligendo ac postea in Episcopum Calamen. auctoritate et tenore praed. renuntiando, postquam ab eo professionem catholicae fidei iuxta articulos a sede nostra propositos etc. (Sequuntur clausulae etc.).

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VIII. augusti MDCCCXXXVII., pontif. nostri an. VII.

CXXIX.

Provisio patriarchalis ecclesiae Constantinopolitanae per translationem vacantis pro Antonio Maria Traversi translato praesente, cum retentione canonicatus Basilicae S. Mariae Maioris ac omnium compatibilium (1).

Venerabili fratri Antonio Maria Traversi nuper Archiepiscopo Nazianzen. in Patriarcham Constantinopolitanum electum,

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei.

Prooemium. § 1. Onerosa pastoralis officii summi dispositione pastoris nobis licet immerito commissa sollicitudo requirit ut inter cetera quae undique confluunt negocia, quibus noster animus redditur multiplici varietate distractus, ad provisionem ecclesiarum quarumlibet, praesertim patriarchalium quae vacationis incommoda deplorare noscuntur, solertius intendamus iisque diligenter prospiciamus, ut per nostram providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis, accommode prout personarum locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, Pastores accedant idonei et ministri providi deputantur, qui ecclesias ipsas non solum gubernent utiliter, sed etc. multimodis efferant incrementis. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium tum vacantium et imposterum vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum vero Patriarchalis Ecclesia Con-

(1) Canones et provisiones per viam secretam. Tom. XXVII. Vide infra Pium IX.

stantinopolitana, quae in partibus infidelium consistit et cui dilectus filius noster S. R. E. Cardinalis Soglia nuncupatus ultimus illius Patriarcha alias praesidebat, ex eo quod nos nuper eumdem Ioannem Cardinalem tunc Patriarcham Constantinopolitanum a vinculo quo dicta ecclesia Constantinopolitana cui tunc praeerat tenebatur, de venerabilium fratrum nostrorum eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolvendo illum ad ecclesias Auximan. et Cingulan. invicem perpetuo canonice unitas certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutas, de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus praeficiendo ipsum praedictis ecclesiis Auximan. et Cingulan. invicem perpetuo canonice unitis in Episcopum et Pastorem, curam, regimen et administrationem dictarum ecclesiarum ei in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo per translationem eamdem simili Pastoris solatio destituta.

Provisionis ratio.

§ 2. Nos ad provisionem dictae patriarchalis ecclesiae Constantinopolitanae celerem et felicem, in qua nullus praeter nos se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa patriarchalis ecclesia Constantinopolitan. longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes post deliberationem quam de praeficiendo eidem patriarchali ecclesiae Constantinopolitan. personam utilem ac etc. fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te qui fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica propositos expresse professus es, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit, et attendentes quod tu, qui quamvis ad praefatam ecclesiam metropolitanam Mariannensem utpote ab infidelibus detentam accedere nequivisti, suscepto tamen consecrationis munere omnia pastoralia munia laudabiliter obivisti pontificalia, praesertim in patriarchali ecclesia S. Mariae Maioris de Urbe solemniter celebrasti, sacros Ordines contulisti, Sacramentum confirmationis spretis quoque cholera morbi periculis sedulo administrasti, aliaque caritatis officia in diversis alma urbe nostra piis institutis summa cum laude exercuisti, eamdem patriarchalem ecclesiam Constantinopolitanam scies voles et poteris auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare, dereximus oculos nostrae mentis.

A vinculo absolvit.

§ 3. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque etc. censentes, tenore praesentium te a vinculo quo dictae metropolitanae ecclesiae Nazianzen. cui praeeras tenebaris, de eorumdem fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad eamdem patriarchalem ecclesiam Constantinopolitanam de consilio et potestatis plenitudine similibus transferimus, teque illi in Patriarcham praedicimus et pastorem, curam regimen et administrationem dictae patriarchalis ecclesiae Constantinopolitan. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad dictam patriarchalem ecclesiam Constantinopolitan. transeundi licentiam tribuendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos praefata patriarchalis ecclesia Constantinopolitana per tuae circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, et grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite fideliter ac prudenter, quod exinde sperati fructus obveniant et tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actis latius diffundatur, ipsaque patriarchalis ecclesia Constantinopolitan. gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Conditiones et privilegia nominationis.

§ 4. Nos enim tibi ut ad dictam patriarchalem ecclesiam Constantinopolitanam, quamdiu illa ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis apostolica auctoritate praefata de specialis dono gratiae concedimus et indulgemus, ac insuper tibi, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere ac specialem gratiam facere volentes, motu proprio et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, te, ut etc.

postquam in vim provisionis et praefectionis praefatarum pacificam possessionem seu quasi regimen et administrationem praedictae patriarchalis Constantinopolitanae assecutus fueris, canonicatum et praebendam dictae Basilicae Sanctae Mariae Maioris de urbe quos ut accepimus ad praesens obtines, nec non omnia et singula perpetua simplicia et personalem residentiam non requirentia beneficia ecclesiastica, quotcumque quaecumque et qualiacumque sint, quae ut pariter accepimus ad praesens obtines, nec non omnes et singulas pensiones ecclesiasticas super quibusvis fructibus redditibus et proventibus ecclesiasticis apostolica tibi auctoritate reservatas et assignatas, quos ut pariter accepimus annuatim percipis, una cum praefata patriarchali ecclesia Constantinopolitan., quamdiu illi praefueris, ut prius quoadvis retinere ac respective percipere, exigere, levare et in tuos usus et utilitatem convertere libere et licite valeas, constitutionibus et ordinationibus apostolicis dictaeque patriarchalis ecclesiae Constantinopolitan. etc. iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis nequaquam obstant., tenore praesentium de speciali dono gratiae dispensamus. Decernentes canonicatum et praebendam praefatos ac beneficia praedicta minime vacare et pensiones huiusmodi minime cessare neque extinctas esse, sed praesentes et illarum pro tempore existentes debitores ad illarum respective integram solutionem teneri et obligatos existere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem quod dicta Basilica debitis propterea non fraudetur obsequiis, sed canonicatus et praeben. huiusmodi ac beneficiorum praefatorum congrua supportentur onera consueta.

Datum Romae apud S. Petrum anno MDCCCXXXVIII., nono kalendas martii, pontificatus nostri anno IX.

CXXX.

Archiepiscopum Chalciden. in Constantinopol. Metrop. Primatem armeni ritus eligit (1).

Ven. fratri Paulo Marusci Archiepiscopo Chalcidensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Prooemium

§ 1. Itaque, quum ob mortem bo. me. Antonii Nurigiam ecclesia Constantinopolitana Armena archiepiscopalis et primatialis solatio fuerit destituta pastoris, nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt nos certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter nos se potuit seu poterit intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et fructuosam cum venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalibus negotiis Progagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, ad te qui in praesentia archiepiscopatu Chalciden. insignitus existis, quique egregiis animi ingeniique dotibus ornatus, de catholica religione optime meritus, singulari pietate, doctrina, integritate, consilio, prudentia fulges, oculos mentis nostrae direximus. Quibus omnibus maturo examine perpensis, eamdem Constantinopoli- Electum facultatibus munit.

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 246.

tanam Armenam archiepiscopalem et primatialem ecclesiam de persona tua, ob tuorum exigentiam meritorum nobis et memoratis Cardinalibus accepta, de eorumdem Cardinalium consilio providere statuimus.

§ 2. Quamobrem peculiari te beneficentia prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te hisce literis auctoritate nostra apostolica ab archiepiscopatu Chalciden. transferimus, atque in Constantinopolitanam archiepiscopalem Metropolitanum Primatem memoratae Ecclesiae Constantinopolitanae Armenae cum usu pallii de corpore beati Petri sumpti et crucis Metropolitanorum Primatum more et cum facultatibus ea quae ad Archiepiscopos Metropolitanos Primates spectant gerendi et exercendi, cum suffraganeae dioeceses vel restitutae vel de novo auctoritate apostolica erectae et circumscriptae fuerint, et praeterea cum privilegiis, honoribus et praerogativis omnibus Metropolitanis Primatibus debitis et concessis eligimus, constituimus et nominamus, curam, regimen et administrationem illius metropolitanae et primatialis ecclesiae plenarie tibi committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione complectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam etc.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die IX. aprilis MDCCCXXXVIII., pontificatus nostri anno VIII.

CXXXI.

Visitatorem eligit pro provincia Bosniensi Lucam Costan FF. MM. Ord. S. Francisci (1).

Dilecto filio Lucae Costan fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Cum ex pastoralis muneris solicitudine religiosarum familiarum bono atque incolumitati pro viribus nobis sit consulendum, tum omni quidem vigilantia ea peragere solemus, quae in earumdem religiosarum familiarum utilitatem cedere posse cognoscimus.

Visitatoris electio.

§ 1. Itaque, cum nobis innotuerit regularem familiam, seu provinciam Bosniensem in ditione Othomanica Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia a spiritu Seraphici Fundatoris et probatis institutis aliquantulum decidisse, ac reformatione indigere, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio Visitatorem Apostolicum necessariis facultatibus instructum ad componenda negotia minoris momenti, in reliquis vero ad referendum, eo mittere statuimus. Et quoniam minime ignoramus, te eiusdem ordinis institutum professum provinciae SSmi Redemptoris in Dalmatia lectorem emeritum, atque ex-ministrum provincialem doctrina, prudentia, et religionis zelo esse commendatum, idcirco de eorumdem VV. FF. consilio huiusmodi munus tibi committendum censuimus.

Facultates visit. tradit.

§ 2. Quamobrem de tua fide, prudentia, integritate quamplurimum in Domino confisi, quod ea quae tibi committenda duxerimus, cumulate sis expleturus, te hisce litteris auctoritate nostra apostolica in regularis familiae seu provinciae Bosniensis in ditione Othomanica Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 247.

Visitatorem Apostolicum ad nostrum et Apostolicae Sedis beneplacitum cum necessariis facultatibus ad componenda negotia minoris momenti, in reliquis vero ad referendum, eligimus, constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus propterea omnibus et singulis religiosis illius Regularis Familiae commemoratae Bosniensis provinciae, aliisque ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompti pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter excipiant et efficaciter implenda curent, alioquin sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis etiam consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXIV. aprilis MDCCCXXXVIII., pontificatus nostri anno VIII.

CXXXII.

***Rationes quibus ductus instituerit vicariatum ap. in Indiis Orientalibus ostendit, non obstante Regis Lusitani patronatu; declarat Vic. Ap. earum regionum esse Ordinarios locorum, atque a S. Sede immediate pendere, sublata quavis iurisdictione etiam Archiep. Goae* (1).**

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Multa praeclare Romani Pontifices praedecessores nostri pro apostolici muneris debito constituerunt, ut in vastissimis Orientalium Indiarum regionibus catholicae religionis incremento prospicerent. Cum enim ob summam earum regionum ab Apostolica Sede distantiam, ob itinerum longitudinem locorumque difficultates, ardua valde esset tantae illius vineae Domini partis cultura, solicitudinem suam impense Romani Pontifices demonstraverunt, ut quidquid pro diversa temporum ratione religioni utile apud illas gentes futurum esse videretur, auctoritate sua sancirent et studiose servandum esse iuberent.

Quae decessores fecerint narrat.

§ 1. Omittimus illam curam commemorare ab Apostolica Sede nunquam neglectam, ut undique sacerdotes excitarentur ad sacri ministerii officia in iis regionibus obeunda: nihil de singulari dicimus adhibita à praedecessoribus nostris facilitate ac benignitate, ut ad non retardandos iis in locis religionis catholicae progressus innumera ferme concesserint, quibus passi sunt. cum iis gentibus remissius agi, quam ut canonum et disciplinae severioris instituta requirebant. Eam tantum hic memorabimus grati animi significationem, quam pro dignitate sua Romani Pontifices erga illos ostenderunt, quos constabat opera sua religioni utiles per ea loca fuisse.

Privil. patronatus Lusitaniae regum recognoscit quin obstet Vic. Ap. institutioni.

§ 2. Perspicuum huius rei testimonium continet patronatus privilegium fidelissimis Lusitaniae Regibus ab Apostolica Sede tributum, ut dioecesium nonnullarum in iis regionibus Episcopi, eorum nominatione, eligerentur. Cum enim illorum principum pietas ac munificentia multum contulisset, ut in vastissimis illis regionibus episcopatus nonnulli constitui possent, praedecessores nostri, grati animi testificatione eorum merita prosequi cupientes, largiti sunt ut earum dioecesium Episcopos Sedes Apostolica eligeret, quos idoneos illi nominassent. Huius praeterea privilegii concessione, Apostolica Sedes prospexit, ut non diuturna esset sedium

(1) Pro hac celebri const. vide eiusdem Pont. lit. *Pastorale officium, Latissimi terrarum tractus, Ex debito pastoralis officii, Ex munere, Commissi nobis pastoralis officii, Apostolici muneris, Ex munere pastoralis, Epistola vestra, Nuncium ad te, Quanta laetitia.* Vide etiam Pii IX. liter. *Summa animi nostri,* allocutionem habit. in consist. *Inter novos,* et lit. *Probe nostis,* et Leonis XIII. *Humanae salutis.*

illarum episcopalium vacatio, facilius Episcopos ea loca opportunos haberent, et praesulibus ipsis satis congrua praesto essent subsidia, quae eorumdem dignitati convenirent. Factum est vero temporum vicissitudine, ut hoc, quod diu religioni utile in iis regionibus fuit, in eo statu manere non potuerit, quem praedecessorum nostrorum decreta, in adiunctis rerum longe diversis edita, servandum esse iusserant.

Quod et ipse P. fecerit, Cong. de P. F. praefecturam gerens, de vicariat. institutione in illis regionibus.

§ 3. Pluries nos, cum adhuc Consilio Christiano Nomini Propagando praeessemus, perpendere rationum gravitatem debuimus, quae demonstrabant, regiones illas tam late patentes, quae permagnam vastissimae cis Gangem peninsulae partem constituunt, necessario requirere, ut Apostolica Sedes religioni in iis periclitanti succurreret, et ecclesiastici regiminis formam ea ratione moderaretur, quae obtinendae religionis incolumitati par esse posset. Notum nobis erat, regiones illas dioecesium Cranganorensis, Coccinensis et Meliaporensis seu S. Thomae limitibus comprehendi. Constabat vero nobis, praedecessores nostros fidelissimis Lusitaniae Regibus patronatum in illas dioeceses, et Episcopos nominandi privilegium impertitos esse. Hoc enim continetur literis apostolicis fel. rec. Pauli IV. diei IV. februarii anno MDLVII. quae incipiunt *Pro excellenti,* quibus dioecesim Coccinensem constituit; item Clementis VIII. diei IV. augusti MDC. incipientibus *In supremo,* et Pauli V. diei VI. februarii MDCXVI. incipientibus *Alias postquam* de Cranganorensis archiepiscopatus erectione; ac denique apostolico decreto Pauli V. diei IX. ianuarii MDCVI. quo episcopatus Meliaporensis, seu S. Thomae constitutus est. Non omisimus vel ab eo tempore, ad bonum religionis promovendum, illa omnia conari, quae temporum adiuncta patiebantur.

Quae sui pontificatus tempore gesserit.

§ 4. Postquam vero ad D. Petri cathedram licet immerentes evecti fuimus, multo frequentius, et omni gravitate praestantibus monumentis excitati sumus, ut religioni in permagno discrimine apud illas gentes versanti opem afferremus. Haec animo volventes et apostolicae solicitudinis officia cogitantes, adducti idcirco sumus, ut literis apostolicis diei XVIII. aprilis MDCCCXXXIV. incipientibus *Latissimi terrarum tractus,* Vicarium Apostolicum a Sede Apostolica tantum dependentem constitueremus, qui populosam Calcuttae urbem eiusque politicam praefecturam subiectam haberet. Quoniam vero reperti sunt, qui Vicarii Apostolici a nobis instituti iurisdictioni resisterent, et apostolicis nostris literis non obtemperandum esse contenderent, eo quod in illis, expressa mentione facta, derogatum non esset iis, quae Paulus V. die IX. ianuarii MDCVI. de Episcopi Meliaporensis, seu S. Thomae iurisdictionis finibus decreverat, nos alio brevi apostolico diei IV. augusti MDCCCXXXV. cuius initium est *Commissi nobis,* omnem hunc dissidii praetextum reiecimus et plura declaravimus, quae ad stabilius firmandam Vicarii Apostolici Bengalensis auctoritatem poterant pertinere. Eadem de causa factum est, ut alium Vicarium Apostolicum Madraspatani, literis diei XXV. aprilis MDCCCXXXIV. incipientibus *Ex debito pastoralis,* instituendum esse duxerimus. Haec quoque ratio fuit cur die XXIII. dec. MDCCCXXXVI. aliud breve apostolicum incipiens *Ex munere pastoralis* ediderimus, quo vastissimam insulam Ceylan Vicario Apostolico a nobis instituto gubernandam commisimus. Hac denique ratione factum est, ut prospicere cupientes religionis necessitati apud illas gentes, quae peninsulae partem incolunt, quae ad Orientem montium Gates vergit et a flumine Chovery ad promontorium usque Comorinum protenditur, universum illum regionum tractum, qui regna Madurae, Tanjorii, Moravae et Misorii comprehendit, per nostram Congregationem de Propaganda Fide die III. iunii MDCCCXXXVII. venn. fratris Clementis Episcopi Drusiparensis, in Ora Coromandelica Vicarii Apostolici, provisoria ratione, et quoad aliter a S. Sede decretum fuerit, curae et iurisdictioni commiserimus.

Novam provvisoriam institutionem Vic. Ap. praecipit et ex consilio Congr. limites decernit.

§ 5. Intelligimus per haec, quae hactenus a nobis de ea Indiarum regione statuta sunt, in permagna peninsulae parte religionis utilitati consultum esse. Sed praeter illa loca, quae Vicariis Apostolicis gubernanda tradita fuerunt, non parvae adhuc supersunt ibi regiones, quarum bono spirituali prospicere tenemur, quaeque inter fines dioecesium Cranganorensis, Coccinensis et Meliaporensis vel Sancti Thomae positae sunt. Scimus, disciplinam ecclesiasticam, populi mores, fidem catholicam, iis in locis, quae iamdiu pastore carent, magnum detrimentum ac-

cepisse, notumque nobis est, praetextu defendendi ac conservandi iura dioecesium illarum plures abuti, ut Vicariis Apostolicis, quos Sedes Apostolica constituit, resistant, eorum auctoritatem oppugnent et schisma perniciosum excitare conentur. Plane sentimus, nos, ex officio, quod Deus nobis in D. Petri successione commisit, omnino teneri, ut Ecclesiae curam in dissita etiam qualibet orbis parte geramus, eaque decernamus, quae ad religionem ubique iuvandam conducere posse videmus. Communicato igitur consilio de tam gravi re cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, eorumdem sententia probata, ac matura totius negotii consideratione a nobis instituta, apostolicae potestatis plenitudine, haec decernenda esse iudicavimus. Videlicet, provisoria ratione et quoad Sedes Apostolica nihil aliud novi statuerit, decernimus, regiones eas omnes, quae dioecesis Meliaporensis seu S. Thomae limitibus continentur, quaeque hactenus nulli Vicario Apostolico commissae sunt, Vicariatui Apostolico Madraspatano uniendas esse, et iurisdictionem atque auctoritatem totam ecclesiasticam et spiritualem in eas regiones ad ven. fratrem Danielem Episcopum Salditanum, Vicarium Apostolicum Madraspatani, eiusque successores pertinere. De regionibus vero, quae limitibus dioecesis Cranganorensis et Coccinensis continentur, et quae nulli Vicario Apostolico hactenus traditae sunt, eadem ratione iubemus, illas Vicariatui Apostolico in Malabarica regione instituto, cuius sedes in oppido Verapoli est, uniri debere, et iurisdictionem atque auctoritatem totam ecclesiasticam ac spiritualem in eas regiones ad venerabilem fratrem Franciscum Xaverium Episcopum Amathensem, Vicarium Apostolicum Verapoli commorantem, eiusque successores spectare. Atque ut Malacensis quoque regio trans Gangem apostolicae nostrae solicitudinis fructus accipiat, et religionis incolumitati atque incremento in ea regione consulamus, universam regionem illam venerabilis fratris Friderici Cao Episcopi Zamensis, Vicarii Apostolici Avani et Peguensis, iurisdictioni, eadem provisoria ratione, subiicimus.

Vic. Ap. memoratos a S. Sede immediate dependere disponit et contrariis antecessor. dispositión. derogat.

§ 6. Declaramus, in earum regionum ecclesiastico ac spirituali regimine, Vicarios Apostolicos memoratos, a nobis et ab Apostolica tantum Sede immediate dependere, eos solos tamquam veros regionum illarum Ordinarios ab omnibus habendos esse, eisque omnes obtemperare debere, et ab illis ecclesiasticam iurisdictionem ac facultates accipere. Derogamus propterea literis apostolicis superius recensitis praedecessorum nostrorum de dioecesium Cranganorensis, Coccinensis et Meliaporensis seu S. Thomae erectione atque limitibus, itemque illis a Paulo IV. editis die IV. februarii MDLVII. incipientibus *Pro excellenti*, de episcopatus Malacensis erectione, et praeterea derogamus etiam literis apostolicis fel. rec. praedecessoris nostri Pauli IV. diei IV. februarii MDLVII. incipientibus *Etsi Sancta*, de Archiepiscopatus Goani erectione, ita, ut nullam iurisdictionem, quocumque titulo, etiam speciali mentione digno, in regionibus, de quibus agitur, Archiepiscopus Goanus in posterum possit exercere (1).

Vic. Ap. constitutionem incrementum religioni afferre.

§ 7. His ista ratione statutis, videmur omnino nos religionis opportuno regimini per eas regiones prospexisse, ac certo speramus futurum, ut, Deo optimo maximo consilium a nobis initum benedicente, haec ad Ecclesiae incrementum magnopere conferant: confidimus etiam fore, ut decretis nostris omnes ea obtemperent observantia, quae dignitati nostrae debetur, cui in D. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Deo potestas tradita est. Non dubitamus denique, eos, qui hactenus voluntati nostrae restiterunt, suscepturos esse saniora consilia et a gravissimo schismatis malo alienos ex animo esse futuros.

Omnes obtemperare P. dispositioni debent.

§ 8. Praeter illud enim catholici cuiuslibet proprium officium, ut D. Petro per os nostrum loquenti obtemperare teneatur, persuasum habemus, eos intellexisse, quae ad dissidii sui defensionem attulerunt, ipsorum repugnantiam excusare nulla ratione posse. Omnibus enim cognitum est, Apostolicam Sedem in patronatu illo fidelissimis Lusitaniae Regibus concedendo, nunquam voluisse impedimentum sibi ipsi inducere, quominus re-

(1) Acta quae abrogantur lector videre potest in Supplemento in quo continentur ea emanata ante Cong. de P. F. fundationem.

ligioni in regionibus illis provideret, et non posset ea statuere, quae, pro temporum necessitate, populi christiani salus fuisset postulatura.

Dissidentes patronatus praetextu dissidii nullam habent rationem.

§ 9. Putamus, eos quoque videre, quantopere diversis temporibus et a praesenti rerum statu distinctis, privilegium illud concessum servatumque fuerit: existimamus illos etiam sentire, regiones eas, ad quarum bonum procurandum mentem nostram convertimus, non amplius veteri politico regimini subesse, quo Lusitanis Regibus facile erat in iis regionibus patronatum exercere, sed illas in potentissimi Regis ditionem devenisse, cuius gubernii forma atque instituta hoc minime passura esse, nobis exploratum est. Recordamur tandem, Romanos Pontifices praedecessores nostros, non obstante patronatus concessione, ex dioecesibus eo privilegio comprehensis, provincias separandas aliquando, et Vicariatus Apostolicos, provincias illas complectentes, constituendos esse pro religionis utilitate iure decrevisse: quare confidimus, eos, qui dissidere hactenus non dubitarunt, facile perspecturos, cavendum sibi esse, ne decretis nostris, in praesenti rerum conditione latis, patronatus praetextu repugnantes, aperte ostendant, se dissidii sui nullam, nisi inobedientis animi rationem afferre posse.

Clausulae et contrar. derogatio

§ 10. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit, hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXIV. apr. MDCCCXXXVIII., pontificatus nostri anno VIII.

CXXXIII.

Ignatium Paparian Archiepiscopum Eccles. Taronensis armeni ritus in Armenia Maiori, in partibus infidelium, eligit (1).

Dilecto filio presbytero Ignatio Paparian Monacho Antoniano Benedictino Congregationis Armenae Mechitaristicae,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solicite corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur commitendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis imformare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni nostrae reservavimus, decernentes, ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Electum designat eique facultates concedit.

§ 1. Itaque, cum ecclesia archiepiscopalis Taronensis Armeniae Maioris non iam Persicae, sed Romanae Ditionis, quae in partibus infidelium existit, solatio fuerit destituta pastoris, nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni nos fecerunt certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nemo praeter nos se potuit seu poterit intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate etiam legitima constitutus existis, de cuius pietate, doctrina, morum integritate et rerum gerendarum peritia, et catholicae religionis zelo, ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., pag. 260.

praeclara accepta sunt testimonia, oculos mentis nostrae dereximus. Quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem ecclesiam Archiepiscopalem Taronensem de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio, auctoritate apostolica providemus, teque illi in Archiepiscopum praeficimus atque pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione complectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere, et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus atque indulgemus. Tibi insuper ut a quocumque malueris catholico Antistite Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente, adcitis, et in hoc illi adsistentibus duobus aliis Episcopis vel, quatenus hi comode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus, vel cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus similem praefatae huius sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, atque eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a Sancta Sede propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, praedictum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, plenam harum litterarum serie tribuimus facultatem. Volumus tamen, et eadem auctoritate praecipimus, ut nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse, quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

§ 2. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XI. maii MDCCCXXXVIII., pontificatus nostri anno VIII.

CXXXIV.

Ignatio Paparian electo Archiep. Taronensi armeni ritus superiorib. lit., committit in Urbe pontificalia et sacras ordinationes iuxta illius ecclesiae ritus peragere (1).

Dilecto filio presbytero Ignatio Paparian Monacho Antoniano Benedictino Congregationis Armenio-Mechitaristicae.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ob translationem ven. fratris Pauli Marusci Archiepiscopi Chalcidensis in partibus infidelium ad sedem archiepiscopalem primatialem Constantinopolitanam desit in Urbe Episcopus Armenius qui pontificalia et sacras Armeniorum ordinationes iuxta illius ecclesiae ritus peragat, nos de venn. fratrum nostrorum Cardinalium negotiis Prop. Fidei praepositorum consilio huismodi munus tibi deferre censuimus, qui pietate, doctrina, prudentia plurimum commendatus ac tuae congregationis prioris generalis apud hanc Sedem Apostolicam munere functus maximam tibi existimationem comparasti. Quocirca te, quem eius rei ergo per similes apostolicas litteras hoc ipso die datas Archiepiscopum

(1) Ex eodem reg. vol. IV., pag. 267.

Taronensem Armeniae Maioris in partibus infidelium renuntiavimus, peculiari beneficentia te prosequi volentes a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis auctoritate nostra apostolica eligimus, constituimus et deputamus ut in Urbe pontificalia et sacras Armeniorum ordinationes iuxta illius ecclesiae ritus, servatis his omnibus, quae servari opus est, libere et licite peragas. Non obstantibus apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI. maii MDCCCXXXVIII., pontificatus nostri anno VIII.

CXXXV.

Iuliam Caesaream vulgo Algeri *in episcopalem ecclesiam erigit* (1).

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Singulari divinae bonitatis consilio fit interdum, ut ad leniendum animi nostri dolorem, quo conflictamur ob miseram rerum sacrarum hisce temporibus conditionem, aliquae nobis sese offerant laetandi causae, quibus inter multiplices supremi episcopatus curas in Domino gratulamur. Dum itaque bonorum omnium auctori Deo debitas grates persolvimus, in spem quoque erigimur, futurum ut labores ac studia nostra in maius Ecclesiae catholicae bonum impensa praesenti eiusdem ope uberiori in dies fructuum copia faecundentur. Hanc voluptatem experti sumus, spem eiusmodi animo concepimus, ubi carissimus in Christo filius noster Ludovicus Philippus Francorum rex christianissimus pium, quo flagrabat, desiderium nobis patefecit, ut in Iulia Caesarea, sive, ut alii dicunt, *Algeria* victricibus Gallorum armis subacta, catholicae religionis firmitati, decori, atque incremento consultum foret, erecta ibidem sede episcopali ad instar aliarum dioecesium, quae in Galliarum Regno constitutae reperiuntur. Quod christianissimi regis studium in rem catholicam gratum in primis ac iucundum nobis fuit, non modo enim animadvertimus quantum commodi atque utilitatis ex eiusmodi episcopalis cathedrae institutione in religionem dimanabit, verum etiam probe intelligimus quid nobis de optatissima Africae sedium restitutione sperandum sit. Cum enim mentem advertimus ad Carthaginensem atque Hipponensem ecclesias, quarum prior effuso Cypriani Martyris cruore coruscat, altera vero Augustini sanctitate et doctrina omnium ore celebratur; cumque memoria repetimus caeteras Africae ecclesias numero plures Episcoporum zelo doctrinaque conspicuas, frequenti conciliorum celebratione notissimas fidelium denique pietati, atque incredibili illorum constantia illustratas, qui mortem potius oppetere, quam a vera Christi fide desciscere maluerunt, ea nos cogitatio recreat atque sustentat, ut Africa universa in pristinum splendorem et gloriam, Deo opitulante, restituatur.

§ 1. Neque aliter expectandum nobis est, cum spes animo praeconceptas ex tam illustribus rerum primordiis dimetimur. Et vero Iulia Caesarea, vulgo *Algeri,* quam alii vetus Tuscurium, alii Icosium fuisse tradunt, tum remota originis antiquitate, tum divitiarum copia, tum etiam incolarum frequentia praestantiorum Africae civitatum pene princeps habetur. Haec enim urbs praeclarissima, unde Algeriana Ditio nomen habuit, imperium, dominationemque suam in vastissimas regiones produxit, in quibus ipsa vetus Numidia et Mauritania continebantur. Quo vero latius Algerini Cives Saracenorum et Turcarum tempore dominatum suum proferebant, eo durior ac lacrymabilior christianorum conditio iis in regionibus videbatur. Quamvis enim Romani Pontifices, quorum suprema potestas aeque ac paterna omnium ecclesiarum solicitudo nullis limitibus circumscribitur, nedum sedulam christifidelium illic degentium curam gesserint, ast omni prorsus indulserint curarum generi (2), ut ambulantes in tenebris atque in um- Algerianae ditionis praeconia.

---

(1) Ex Const. et Bul. per viam de Curia vol. 1829-1835. Vide infra allocut. *Cuncta provide* et Leonem XIII.
(2) Ita in originali.

bra mortis ad catholicae Ecclesiae veritatem lucemque traducerentur, quisque tamen assequi coniectura potest, quot quantisque impedimentis sub immani ac superstitioso infidelium imperio sacrum coerceretur ministerium, et quam tenues fructus evangelicae doctrinae praecones ab nostra Congregatione christianae fidei propagandae illuc missi ex apostolicis laboribus dudum exantlatis haurirent. Sed faustissima tandem illuxit dies bonorum omnium votis expetita, in qua fortissimae Gallorum copiae Iuliam Caesaream in suam potestatem redegerunt, simulque ipsa eadem catholica religio splendidissimum profecto de christiani nominis inimicis egisse triumphum visa est. Enim vero facie rerum penitus immutata, exinde licuit Christum praedicare et hunc Crucifixum liber ac tutus ad illas regiones evangelicis operariis aditus patuit, et cuique datum est christianae religioni nomen dare, eamque libere et in omnium conspectu profiteri. Ad augendam vero, cumulandamque animi nostri laetitiam illud etiam accessit, quod ingens Algeriae templum profanis scelestisque Alcorani ritibus peragendis prius addictum, sacris Ecclesiae caeremoniis iam expiatum, salutifero nostrae religionis signo inibi erecto ac Deiparae Virginis icone publicae Christifidelium venerationi exposita, devotae eorumdem frequentiae in praesentiarum reseretur.

Postulationes regis Francorum et concessiones S. P.

§ 2. Nos itaque praefatis christianissimi Francorum regis postulationibus ac votis libentissime obsecundantes, rebus omnibus cum eo iam compositis, cunctisque matura deliberatione perpensis, ad gloriam Dei et Iesu Christi filii eius Salvatoris nostri, cuius vices licet immerentes in terris gerimus, et ad militantis Ecclesiae exaltationem, ex certa scientia, motu-proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine Iuliam Caesaream universumque eius territorium, quo Algeriana ditio (vulgo *Reggenza di Algeri*) olim constabat, ac omnes et singulas ecclesias religiosorum virorum conventus piasque societates, si quae illic existunt, itemque ibidem degentes utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos, quam clericos et praesbyteros cuiuscumque gradus, ordinis, status et conditionis, ab ordinaria iurisdictione cuiusvis altius ecclesiastici superioris perpetuum in modum eximimus et liberamus.

§ 3. Hac autem divisione, subtractione et exemptione peracta, terram seu civitatem Iuliam Caesaream, quam vulgo vocant *Algeri,* in Africa secus ora maris mediterranei sitam, in civitatem episcopalem cum curia et cancellaria ecclesiastica erigimus, atque instituimus; eidemque omnia iura, honores et praerogativas impertimur, quibus aliae civitates episcopali sede in Galliarum regno insignitae, earumque cives fruuntur et gaudent.

§ 4. Maiorem insuper ecclesiam in praefata Iulia Caesarea civitate positam sub invocatione Sancti Philippi Apostoli imposterum extituram ecclesiae cathedralis honore cumulamus et attollimus, simulque in ea sedem, cathedram ac dignitatem pontificalem pro uno deinceps Episcopo Algeriano nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati et dioecesi infra assignandae eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, ac omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat atque exerceat, caeterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, iurisdictionibus et praerogativis, quibus reliquae cathedrales ecclesiae regni Galliarum earumque Praesules potiuntur et gaudent (dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non sint eisdem attributa), simili apostolica auctoritate erigimus et instituimus, ipsamque episcopalem ecclesiam Iuliae Caesareae Sancto Philippo Apostolo nuncupandam in cathedralem ut supra erectam Archiepiscopi Aquensis metropolitico iuri subiicimus atque supponimus, iisque omnibus frui volumus facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus, quae ad caeteras suffraganeas metropolitanae Aquensis ecclesias pertinent ac pertinere poterunt.

§ 5. Fructus autem eiusdem novae ecclesiae taxari ad florenos aureos de Camera tercentos septuaginta, atque eiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae et sacri Collegii describi volumus atque praecipimus.

§ 6. Hoc modo erectae cathedrali ecclesiae Iuliae Caesareae, sive Algeriae, ut propria deinceps eius Antistiti dioecesis tribuatur, universum territorium, quo antiqua componebatur Algeriana ditio, cum ecclesiis inibi forte existentibus pro dioecesi novi episcopatus Algeriani perpetuo attribuimus et assignamus; quod quidem territorium, et in eo existentes ecclesias,

conventus et monasteria, si quae sint, aut deinceps erunt, nec non utriusque sexus personas, et incolas tam clericos quam laicos cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis ordinariae novi et pro tempore existentis Antistitis Iuliae Caesareae, sive Algeriae, iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati perpetuo pariter subiicimus atque supponimus, eique pro civitate, territorio, dioecesi, clero et populo perpetuum pariter in modum assignamus atque attribuimus.

Dotatio episcopalis.

§ 7. Ut autem futurus pro tempore Episcopus Iuliae Caesareae suam decenter tueri dignitatem, et Vicario generali curiaeque episcopali apte providere queat, congruam dotem quam rex christianissimus iuxta datam fidem assignabit, mensae episcopali perpetuo adscribimus et attribuimus.

§ 8. Eam similiter dotationem, quam conservandae fabricae novae cathedralis ecclesiae supralaudatus rex christianissimus tradet, fabricae eidem perpetuum in modum assignamus atque adiudicamus.

§ 9. Quas praeterea proprias aedes pro futuri Episcopi ecclesiae Iuliae Caesareae habitatione eiusque curiae episcopalis residentia decenti forma et comodo loco extructas, ac proximiores quantum fieri poterit cathedrali ecclesiae assignari contigerit, eas pariter Episcopo assignamus; quae si modo desint, easque conduci oporteat, rationem haberi pensionis pro illarum conductione solvendae edicimus.

Capituli erectio.

§ 10. Item quod spectat ad erectionem capituli cathedralis ecclesiae, eiusque dotationem nec non ad erectionem et dotationem ecclesiastici alumnorum seminarii, quod pro religiosa ac scientifica cleri educatione Tridentinum Concilium institui voluit, piissimus rex christianissimus, cum primum pro locorum ac temporum circumstantiis licebit, omnia in id praestabit, quae aliis ecclesiis cathedralibus et seminariis ecclesiasticis in Galliarum regno constitutis tribui solent.

Privilegium nominationis.

§ 11. Laudatus insuper carissimus filius noster Ludovicus Philippus Francorum rex christianissimus illiusque successores, in integritate obedientiae erga Apostolicam Sedem persistentes, ecclesiasticas personas praefatae cathedrali ecclesiae regendae idoneas a primaeva hac erectione vacanti in Episcopos a nobis et successoribus nostris praeficiendas tam pro prima hac vice, quam in futuris illius vacationibus, nominabit et praesentabit, quemadmodum pro aliis Galliarum dioecesibus mos est.

Executorem praesentiarum elegit.

§ 12. Quocirca ad huiusmodi episcopatus erectionem et omnia superius expressa accuratissime implenda dilecto filio magistro Antonio Garibaldi apud eumdem regem christianissimum apostolico internuntio, quem in praesentium literarum nostrarum executorem eligimus, necessarias atque opportunas facultates impertimur, ut ipse per se vel per alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum ab eo subdelegandum, cuncta statuere ac decernere valeat, quibus exposita superius decreta ad exitum cumulate perducantur, atque etiam facultatem eidem executori, sive eius subdelegato, concedimus ut super quacumque oppositione in actu exequutionis quomodolibet oritura et qualibet appellatione remota definitive, libere ac licite pronunciare possit et valeat. Ipsi vero executori praecipimus et mandamus, ut intra sex menses ab expleta praesentium litterarum executione exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium, quae in earumdem litterarum implementum edet, ad hanc Apostolicam Sedem diligenter mittendum curet, illudque in archivio nostrae Congregationis negotiis consistorialibus praepositae de more asservari volumus.

Clausulae.

§ 13. Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii quorum interest aut interesse posset in futurum vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse; sed perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam palatii apostolici auditores, Apostolicae Sedis Nuncios, et S. R. E. Cardinales quavis auctoritate fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi ac interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane decernimus et declaramus.

Contrariis derogat.

§ 14. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de dismembrationibus ad partes committendis, etiam vocatis omni-

bus quorum interest, aliisque ac nostris et cancellariae apostolicae regulis, et Lateranensis Concilii novissime celebrati, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus conciliis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis.

§ 15. Huiusmodi vero literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum in iudicio et extra fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

§ 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae dismembrationis, divisionis, erectionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, derogationis et voluntatis, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo trigesimo octavo, quarto idus augusti, pontificatus nostri an. VIII.

CXXXVI.

Instaurat in Sinis Vicariatum Apostolicum Huquang, qui a pluribus annis erectus Vicarii Apostolici Xansi et Xensi administrationi concreditus fuerat.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi, non leve sane totius gregis dominici onus ferentes, illius praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua caelestia possint vocari, feliciterque perduci.

§ 1. Hinc quum a venn. fratre Ioachimo Salvetti Euriensi et Vicario Apostolico Xansi et Xensi in Sinis una cum eius coadiutore vener. fratre Episcopo Cardicensi declaratum fuerit, se pastorali muneri exequendo in tot tantisque ac tam amplis sibi creditis regionibus impares esse, ita ut commissam sibi ab anno MDCCLXII. latissimae alterius provinciae, olim vicariatus apostolici, Hu-quang administrationem gerere, ut par est, ac retinere diutius non possint, eamque dimittere postulaverint, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio utriusque memorat. Antistitis votis annuentes, censuimus atque decrevimus, ut memorata provincia Hu-quang, cessante administratione Xansiensis Antistitis, in distinctum, ut antea, vicariatum apostolicum erigatur ac restituatur, eique novus eligendus Episcopus Vicarius Apostolicus praeficiatur.

§ 2. Motu igitur proprio atque ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi praecipimus atque iubemus, ut Xansiensis Antistes provinciam Hu-quang administrare omnino desinat, eamque in distinctum vicariatum apostolicum restituimus vel denuo erigimus. Vicario autem Apostolico huic provinciae ab hac Sancta Sede eligendo ac praeficiendo omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas dictâ auctoritate nostrâ concedimus et impertimur.

§ 3. Haec statuimus atque decrevimus, volentes etc. Non obstan. etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XIV. augusti MDCCCXXXVIII., pontificatus nostri an. VIII.

CXXXVII.

Abdicata a Vicario Apostolico Fo-Kiensi in Sinis administratione provinciarum Tche-Kiang et Kiang-si, duas hasce provincias in duos peculiares Vicariatus Apostolicos erigit.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi non

leve sane totius gregis dominici onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiore consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile ad pascua coelestia possint vocari, feliciterque perduci.

§ 1. Hinc quum ven. frater Rochus Iosephus Carpena Episcopus Tebastanus et Vicarius Apostolicus Fo-kiensis in Sinis notum fecerit, se tot ac tantis amplissimi sui Vicariatus distentum ac distractum curis, commissam iam ab anno MDCCLVIII. provinciarum Tche-Kiang et Kiangsi administrationem, ut par esset, gerere diutius non posse, ac propterea sponte emissâ eiusdem administrationis renunciatione enixe postulaverit, ut ab hac Apostolica Sede spirituali memoratarum provinciarum regimini aliter prospiciatur, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Fo-Kiensis Praesulis votis annuentes, statuimus ex duabus antedictis provinciis distinctum vicariatum apostolicum constituere, eique novum eligendum Vicarium Apostolicum praeficere.

§ 2. Motu igitur proprio, atque ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi tam in provinciâ Tche-Kiang, quam in aliâ Kiangsi, Vicariatum Apostolicum inter se distinctum erigimus, itemque praecipimus, ut Vicarius Apostolicus in utraque provinciâ ab hac Sancta Sede adlegendus omnibus et singulis polleat facultatibus, quae Vicariis Apostolicis in huiusmodi regionibus concedi solent.

§ 3. Haec statuimus atque decernimus, volentes etc. contigerit attentari. Non obstantibus etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat., die XIV. augusti MDCCCXXXVIII., pontific. nostri anno VIII.

CXXXVIII.

Erigit seu restituit provinciam Huquang imperii Sinarum in distinctum Vic. ap. eique praeficit Aloisium Fontana Epis. Siniten. Vic. Ap. Sutchuensem (1).

Venerabili fratri Aloisio Fontana Episcopo Siniten. Vicario Apostolico Sutchuensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium nobis ex alto commissum vel maxime requirit atque efflagitat, ut omnium christifidelium bono atque utilitati maximo studio et vigilantia consulamus. Itaque cum per similes apostolicas litteras hoc ipso die datas de venn.

---

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., pag. 271. Sequent. lit. nominato concedit facultatem, si, iustis de causis, demandatum onus recuset, unum ex presbyteris mis. ad id muneris peridoneum eligendi et Episcopum consecrandi.

Ven. fratri Aloysio Fontana Episcopo Sinitensi et Vicario Apostolico Sutchuensi,

GREGORIUS PAPA XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio per similes apostolicas litteras hoc ipso die datas te a Vicariatu Apostolico Sutchuensi transferendum, atque in Vicariatum Apostolicum provinciae Huquang Imperii Sinarum eligendum censuerimus; tamen fieri posse perpendentes, ut iustis de causis, tu, venerabilis frater, transferri ad novum Vicariatum Hu-quang ac demandatum tibi onus recuses, idcirco de eorumdem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium consilio tibi facultatem tribuere existimavimus, cuius vi, quoties ad Vicariatum Hu-quang accedere nolis, regimen Vicariatus Sutchuensis retinere, et in Vicarium Apostolicum Hu-quang eligere possis unum ex presbyteris missionariis, quem digniorem et peridoneum ad id muneris in Domino existimaveris, eumdemque in Episcopum consecrare cum titulo episcopali per nos adsignando. Itaque ne in eligenda persona idonea pro Vicarii Apostolici officio in Vicariatu Hu-quang, et ad huiusmodi munus explendum apta, quae prius, uti par est, a nobis esset approbanda, tempus frustra decurrat, ac ne diu Vicariatus idem Pastore careat episcopali charactere insignito, quoties tu illum suscipere minime velis, peculiari te benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, tibi hisce litteris non solum potestatem facimus retinendi regimen Vicariatus Sutchuensis, verum etiam de tua pietate, doctrina, prudentia, fidelitate, religione plurimum in Domino fidentes, extraordinario modo tibi facultates necessarias et opportunas conferimus et impertimur, ut auctoritate nostra apostolica in Vicarium Apostolicum Hu-quang unum ex presbyteris missionariis, quem digniorem iudicaveris, et ad id muneris peridoneum, libere ac licite eligere possis et valeas, cum omnibus et singulis facultatibus, quae eius propriae sunt muneris, salva tamen semper in prae-

fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio erectionem seu restitutionem provinciae Huquang Imperii Sinarum in distinctum vicariatum apostolicum, ut antea, decernendam statuerimus, cessante administratione Antistiti Xansiensi ab anno MDCCLXII. credita, nos eiusdem vicariatus institutioni ac regimini consultius prospicere cupientes, de eorumdem venn. fratrum nostrorum consilio, te, venerabilis frater, eximia pietate, prudentia, doctrina, religionis studio ac perlonga Missionum Sinensium experientia probatissimum eidem vicariatui praeficiendum censuimus, praevia dimissione ac translatione a vicariatu apostolico Sutchuensi, et facta tuo Coadiutori venerabili fratri Episcopo Maxubensi in eodem dimisso vicariatu succedendi facultate. Quocirca peculiari te beneficientia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te hisce litteris auctoritate nostra apostolica a vicariatu apotolico Sutchuensi transferimus ac in Vicarium Apostolicum provinciae Huquang Imperii Sinorum cum omnibus et singulis iuribus, facultatibus, quae huiusmodi propriae sunt muneris, ad nostrum et huius Apostolicae Sedis beneplacitum eligimus, constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium; ac simul venerabili fratri Episcopo Maxulensi facultatem facimus, ut tibi in Vicariatu Sutchuensi succedere possit. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat seu spectabit, ut te ad munus Vicarii Apostolici supradictae missionis recipiant et admittant, tibique in omnibus, quae ad huiusmodi munus pertinent, faveant, pareant et praesto sint, tuaque monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, secus sententiam seu poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat. die XIV. augusti MDCCCXXXVIII., pontific. nostri anno VIII.

CXXXIX.

Vicariatum Apostolicum erigit in provinciâ Leao-tung, eum separans ab episcopatu Pekinensi, ac novo Vicario Apostolico eligendo tradendam decernit iurisdictionem in eas Mongoliae et Mantchuriae partes, quae ereptae Episcopo Pekinensi nulli Vicario Apostolico commissae sunt.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi non leve sane totius gregis dominici onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua coelestia possint vocari, feliciterque valeant perduci.

§ 1. Hinc quum nobis relatum fuerit, in quibusdam regionibus Imperii Sinarum Pekinensi dioecesi subiectis, in amplissimâ

---

missis auctoritate eorumdem Cardinalium. Praeterea ut memoratus Vicarius Apostolicus Hu-quang a te eligendus charactere et titulo episcopali insignitus evadat, ex nunc pro tunc illum in Episcopum ecclesiae Benden. sub Archiepiscopo Dyrrachien. vulgo Bonda in praesentia vacan. per obitum ultimi Episcopi, quae in partibus infidelium existit, eadem auctoritate nostra apostolica eligas atque declares, illique ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime teneatur, dicta auctoritate nostra concedas, indulgeas. Tibi praeterea et eidem Vicario a te eligendo, ac postea in Episcopum Benden. auctoritate et tenore praesentis renuntiando, postquam ab eo professionem catholicae fidei iuxta articulos a sede nostra propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramentum solitum acceperis, munus consecrationis auctoritate nostra apostolica impendere licite valeas, accitis, et in hoc tibi assistentibus duobus, loco Episcoporum, presbyteris saecularibus sive regularibus, praefatae huius sedis gratiam et communionem habentibus, dicta auctoritate plenam et liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. aug. MDCCCXXXVIII., pontificatus nostri anno VIII.

praesertim provinciâ, Leao-tung nuncupatâ, in Tartariâ, rem christianam permagno in discrimine iamdiu versari, ac maius in dies imminere periculum ne, sublatis omnino religionis adiumentis, evangelicum semen ibi penitus depereat, neque ven. fratrem Pekinensem Antistitem hisce temporum adiunctis earumdem regionum curam, ut par est, gerere posse, de ven. fratrum nostrorum consilio, peculiari et provisoriâ aliquâ ratione religionis utilitati et catholicae fidei incolumitati in praedictis regionibus pro nostro munere et universali animarum solicitudine consulendum esse censuimus.

§ 2. Quare omnibus mature perpensis, motu proprio, atque ex certâ scientiâ deque apostolicae potestatis plenitudine, constitutioni fel. rec. Innocentii XII. praedecessoris nostri diei xv. octobris anni MDCXCVI. *E sublimi* derogantes, qua limites Pekinensis dioecesis traditi fuerant, memoratam provinciam Leao-tung a dioecesi Pekinensi distrahimus vel dismembramus; itemque facultates delegatas in Episcopo Pekinensi anno MDCCII. quoad Tartariam cessatas omnino esse declaramus. Eamdem vero provinciam Leao-tung in Vicariatum Apostolicum eâdem auctoritate nostrâ erigimus, ab Episcopo Vicario Apostolico ab hac S. Sede eligendo et deputando et ab ipso immediate dependente gubernandum, cum omnibus et singulis facultatibus, quae ceteris Vicariis Apostolicis in Sinis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessae fuerunt, additâ insuper eidem Vicario Apostolico iurisdictione in eas omnes Tartariae seu Mongoliae et Mantchuriae regiones, quae Pekinensi Episcopo huc usque subiectae et nunc ab eius auctoritate exemptae, nulli hactenus Vicario Apostolico traditae fuerant.

§ 3. Haec statuimus, atque decernimus volumus etc. contigerit attentari. Non obstan. etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XIV. augusti MDCCCXXXVIII., pontificatus nostri an. VIII.

CXL.

Facultates matrimoniales a Bened. XIV. concessas Ordinariis, Vic. Ap. Sinarum et regnorum finitimorum ac presbyteris ab eis deputandis renovat ad viginti quinque annos (1).

Venerabilibus fratribus ordinariis et apostolicis Vicariis Imperii Sinensis et regnorum finitimorum,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Permulta singularis indulgentiae ac benignitatis Romani Pontifices praedecessores nostri istarum regionum praesulibus dederunt argumenta, ut pios illorum conatus in excolenda Domini vinea pro viribus iuvarent, atque, ut fidelium saluti et religionis incremento prospicerent, sacrorum Ecclesiae canonum legumque severitatem aliquando de potestatis plenitudine cum iis temperari voluerunt.

Concessio Bened. XIV.

§ 1. Hic fel. rec. Benedictus XIV. celebri sua constitutione *Gravissima omnium Ecclesiarum,* lata anno MDCCXLVIII. die XII. novembris, Pii PP. IV. et Clementis XII. vestigiis inhaerens, ordinariis et Apostolicis Vicariis in regnis Sinarum Tunchini, Siami et Cocincinae potestatem fecit ad annos vigintiquinque dispensandi cum neophytis Indiarum, aliorumque orientalium regnorum, super matrimoniis intra quosvis, a iure divino non prohibitos, consanguinitatis et affinitatis gradus, easdemque facultates sanct. mem. successores eius Clemens XIV., Pius VI. et Pius VII. unius vel alterius eorum precibus annuentes ad praefinitum quoque tempus renovarunt. Cum autem nobis a ven. fratre Episcopo Isauropolitano, Apostolico Vicario Cocincinensi, eadem postulatio facta fuerit, nos quoque maximum salutis animarum negotium, quas tanto marium terrarumque spatio disiunctas paternae caritatis vinculum nobis coniungit, promovere, et solicitudinem nostram caeteris etiam Imperii Sinensis ac finitimorum regnorum praesulibus ostendere cupientes, de consilio venn. fratrum nostro-

---

(1) Ex Reg. epist. ad principes etc. Vide Coleccion de Bulas, Breves etc. relativos a la Iglesia de America y Filippinas etc. par el P. Francesco Ianvier Hernaez d. la C. de I. Tit. II. pag. 820, Bruselas 1879. Appendice de la Iglesia de las Indias Orientales.

rum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, supradictas facultates illorum singulis ad annos pariter vigintiquinque ab hac die computandos impertiri statuimus atque decernimus, ad tramites laudatae constitutionis, quae ita se habet:

Venn. fratribus Antistibus Ordinariis et Ap. Vic. in regnis Sinarum, Tunkini, Siami et Concincinae existentibus,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Gravissima etc. *(Reliqua vide vol. III. Iuris pag. 392).*

Datum Romae, apud S. Mariae Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. novembris MDCCXLVIII., pontificatus nostri anno IX.

Renovat facultates.

§ 2. Praedictas itaque facultates omnibus et singulis Ordinariis et Vicariis Apostolicis Imperii Sinensis et regnorum finitimorum per nos attributas, in suis quisque assignatis provinciis ad statutum vigintiquinque annorum tempus exercere possit, motu, scientia, deliberatione nostra et potestatis plenitudine harum serie decernimus atque mandamus. Vobis autem, venn. fratres, qui gravissimas inter et multiplices nostras curas in commisso nobis divinitus apostolici ministerii officio strenue nobiscum adlaborantes, haud modicum nobis affertis levamen, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. augusti MDCCCXXXVIII., pont. nostri an. VIII.

CXLI.

De sedis episcopalis in Algeria erectione deque vulneribus in regno Borussiae Catholicae Ecclesiae inflictis etc.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO IDIB. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXXVIII.

Venerabiles fratres.

Cuncta provide moderantis Dei hoc est consilium, ut dum Ecclesiam suam adversitate vult crescere, ipsius labores blande identidem consoletur, moestisque rebus laeta quaedam clementissime admisceat. Ita nimirum et virtutem brachii sui in ea iugiter tuenda manifestat, et nostram roborat infirmitatem, ne malorum metu perculsi vel impetu fracti deficiamus. Huiusce divinae bonitatis tum alia pridem tum recens modo, venerabiles fratres, cepimus argumentum, quod communis quidem laetitiae causam afferens ad animi praesertim nostri solatium pertinere sentimus. Qui enim, cum adhuc in amplissimo collegio vestro essemus, propriam muneris operam christiano nomini propagando impenderamus, vix inscrutabili superna voluntate universae Ecclesiae praepositi sumus, plane intelleximus una simul nobis praecipuam in id sollicitudinem fuisse demandatam. Ex hoc igitur sublimi loco ad omnem, quae sub coelo est, gentium multitudinem respicientes et in singulos quantumvis a nobis dissitos populos aeque caritatis viscera dilatantes, nullam apostolici officii industriam praetermisimus, quo vera apud illos fide vel primum illata, vel restituta et firmius stabilita, latius in dies nomen Domini laudaretur. Inter haec nostis quae rerum conversio, favente gallicis armis victoria, paucis ab hinc annis Algeriae contigerit. Opportunam inde nacti occasionem, piisque etiam votis carissimi in Christo filii nostri Ludovici Philippi Francorum Regis allecti, impensiori usque studio incubuimus ad religionis incrementa ibidem promovenda. Quos porro curis nostris auspicabamur fructus, licet iam, Deo adiuvante, colligere. In ea namque urbe cathedralis mox ecclesia consurget regenda cum adiuncta dioecesi per insignem pietate, scientia prudentiaque virum, quem ad episcopalem illam Sedem hac ipsa die sumus evecturi. Haec scilicet causa est, cur merito repleatur gaudio cor nostrum, et lingua nostra exsultatione. Postulat id religionis gloria, postulat amor salutis animarum, postulat non inanis qua ducimur spes, fore ut dives in misericordia Dominus, cuius opus perfectio, vineam suam in illa Africae parte denuo plantatam caelesti rore foecundet, eiusque propagines feliciter extendat ad uberrimam fidei segetem in vastissimis iis regionibus excitandam, ubi tot olim Ecclesiae originis nobilitate, christianae plebis frequentia, sanctissimorum Antistitum fortitudine ac doctrina floruerunt.

Haec, venerabiles fratres, vobiscum hodierna die communicantes exemplo facimus Patris misericordiarum, qui adversa temperat secundis; ut vos nempe nostrarum curarum consortes in partem vocemus et consolationis, adeoque inter calamitosas vices erigamus ac confirmemus. Siquidem ad tristia iam transire nos cogit malorum asperitas, quibus aliunde Ecclesia oppressa ingemiscit. Multa quidem illa sunt satisque iam inveterata: licet ceteroquin nihil intermiserimus illius sollicitudinis, quae iamdiu nos urget ad diuturnam abominationem de domo Israel, quantum in nobis est, auferendam. Quae autem pervulgata nimium sunt vobisque exploratissima, hic silentio praetereuntes, non possumus quin haerentem cordi nostro amaritudinem ob infelicem usque catholicae rei in Borussiae Regno conditionem explicemus.

Meministis, quemadmodum alias ex hoc ipso loco maximam conquesti simus iniuriam illatam episcopali ordini, Ecclesiae auctoritati ac libertati, nostroque ex divino iure in illam primatui, per violentam venn. fratris Clementis Augusti Archiepiscopi Coloniensis e sua sede eiectionem. Scitis praeterea nos gravi, qua decebat, reclamatione confestim ipsius reditum a serenissimo Rege postulasse. Molestissimum certe est, voces nostras pronis auribus minime exceptas eo plane effectu caruisse, quem nihilominus iustissima in causa ab regia aequitate oportebat expectare. At illud acerbitati cumulum addit, quod nova indesinenter Christi Ecclesiae vulnera fuerint per laicam potestatem inflicta. Iam enim a die IX. aprilis proximi regium prodiit decretum omnem praecludens aditum pontificiis de re ecclesiastica praescriptionibus et ordinationibus in Borussiae Regnum, inaudita civili auctoritate, utcumque inferendis; simulque carceri addicens eos, qui qualemcumque in id operam praestarent, clerici forent vel laici, Borussicae aut exterae dominationi subiecti. Mittimus declaratum deinceps fuisse, quamlibet inter Coloniense capitulum et Apostolicam Sedem communicationis viam, non adhibita regii ministerii opera, futuram penitus illegitimam: quod quidem eo manifeste spectat ut Gubernii inspectioni, examini et veniae singulae res communicandae subiiciantur Mittimus ita pariter actum cum nonnullis ex Doctoribus Decurialibus, quibus neque illud datum fuisse cognovimus, ut omnimodam suam apostolico iudicio de Hermesii libris subiectionem perlato ad nos scripto testarentur. Mittimus alia id genus non minus improbanda. Verum, quae in parte orientali Borussici Regni gesta perperam sunt post acrem diu cum ven. fratre Martino Archiepiscopo Gnesnensi et Posnaniensi contentionem, attendite.

Dolebat vehementer praeclarus Antistes, vi civilium legum inolevisse per eas regiones praxim circa mixta connubia catholicae Ecclesiae doctrinae ac disciplinae omnino repugnantem. Ratus non posse se absque gravi piaculo illam amplius tolerare, primum pluries regium ministrum, dein regem ipsum per epistolam officii plenam adiit et, rationum momentis animique sui angoribus expositis, id demum petiit ut in re unius ecclesiasticae auctoritatis propria sibi fas esset vel eam regulam servandam curare, quae litteris Benedicti XIV. praedecessoris nostri missis die XXIX. iunii MDCCXLVIII. ad Poloniae Antistites tradita fuerat, vel huius Apostolicae Sedis sententiam sciscitari. Atqui tamen neutrum, utut aequissimum, concessum est. In quas proinde anxietates vir pientissimus necessario fuerit coniectus, non est cur pluribus significemus. Novit interim ille, nos, quod privatim iam egeramus, publice in Coetu Vestro die X. decembris superioris anni reprobasse quamlibet praxim circa mixtas nuptias in Borussiae Regno illegitime inductam. Hinc minime cunctandum existimans, encyclicam ad universum suae archidioeceseos clerum dedit epistolam, qua sub censurae interminatione graviter indixit, ne quis sacerdos nuptias istiusmodi sacro ritu honestaret, nisi ante cautum esset conditionibus quae ab Sancta hac Sede praescribi consueverunt. Mox iterato ad serenissimum regem scripto, non sine amplissima, ut par erat, subiectionis et obsequii, in iis quae civilis ordinis sunt, testificatione, cum praememorasset datam solemniter regiam fidem de catholicae religionis iuribus sartis tectisque servandis; ingenue professus est, post annuntiatum palam Apostolicae Sedis oraculum nefas esse sibi inde ullatenus discedere, quin violatae turpiter ecclesiasticae unitatis crimine argueretur.

Iam vero huiusmodi sensus religioni fideique catholici Antistitis apprime consentanei eum, venn. fratres, consequuti

sunt exitum, ut die XXVII. eiusdem mensis aprilis in urgenda apud Posnaniensis provinciae incolas regii decreti, quod superius indicavimus, exequutione monitum expresse fuerit, per illud omnem cum Romana Sede eiusque legatis communicationem prorsus interdici. Quid? Denunciatum etiam, semel ac de habita a quopiam huiusmodi communicatione constaret, illico fore locum ipsius comprehensioni, quaecumque demum communicatio ista respiceret, de quibus esset deinceps speciatim inquirendum. Neque id satis. Die namque XXV. subsequentis Iunii per regii ministerii edictum tamquam irrita nulliusque roboris declarata est encyclica Archiepiscopi ad clerum epistola, de qua nuper loquebamur; indicta praeterea poena, si quis illa quomodocumque uteretur, sponsoque simul praesidio per civile gubernium ei, qui ob neglectas ipsius epistolae praescriptiones apud ecclesiasticam auctoritatem offenderet. Ecquis porro crederet haec omnia fuisse decreta cum paulo ante, die nempe XII. supradicti mensis aprilis, praecessisset publica ad catholicos Posnanienses regiae voluntatis confirmatio de tuenda iis conscientiae ac religionis, cui ipsorum maiores constanter inhaeserant, libertate?

Quanta autem cum Ecclesiae iniuria ac pernicie consilia illa coepta perfectaque fuerint, magis dolore percipimus, quam verbis explicare possimus. Sed ex eo etiam graviora existunt, quod ad divinae eius constitutionis vim essentiamque penitus evertendam, et ad regiones illas a catholicae unitatis centro separandas apertissime referantur. Nonnisi enim laesa planeque perturbata Ecclesiae forma naturaque regiminis fieri potest, ut ulla in eam saeculi dominetur potestas, aut ipsius leges infringat, vel obsistat, ne cum prima sede libere communicetur, *ad quam,* teste S. Irenaeo, ***propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles:*** quique aliam vellet eius regiminis rationem inducere, is, ut praeclare dictum est a S. Cypriano, ***humanam conaretur facere ecclesiam.*** Quamobrem ut primum ea facta ac decreta ex authenticis documentis innotuere, questus clamoresque nostros ad eos, quorum intererat, mandavimus deferendos. Attamen sanctissimi, quo fungimur, muneris esse intelligimus, ut expostulationes in praecedenti ad vos allocutione factas hic iterantes, ea etiam, quae modo recensuimus, publice illata Ecclesiae damna, publica reclamatione persequamur.

Itaque, venn. fratres, rursus in nobilissimo consessu vestro pro religione, pro Ecclesia, pro sacris eius legibus, pro huius B. Petri Cathedrae iuribus et auctoritate, pastoralem vocem apostolica libertate tollentes, ***testes invocamus hodie coelum et terram,*** omniaque eorum detrimento in Borussiae regno patrata gravissime expostulamus. Unum vero in tanta acerbitate nos recreat, invictum nempe animi robur, quod Posnaniensis et Gnesnensis Archiepiscopus, fidem aemulatus Coloniensis Antistitis, in doctrina et disciplina Ecclesiae de mixtis connubiis asserenda prae se tulit. Nec profecto dubitandum arbitramur, ceteros omnes in utraque parte Borussici regni Episcopos memores loci quem tenent, dignitatis qua sunt insigniti, sacramenti quo in solemni inauguratione se ipsos obstrinxerunt, ea in officii sui partibus obeundis firmiter praestituros, quae ***paternorum canonum regulis et apostolicis congruunt institutis.*** Atque illud etiam futurum confidimus, ut serenissimus Rex, pro excelsa qua pollet mente, aequiora amplexus consilia catholicam Ecclesiam ***sinat uti legibus suis, nec quemquam eius libertati permittat obsistere.*** Levantes idcirco oculos in montem, unde veniet auxilium nobis, omnipotentem Deum, in cuius manibus corda sunt regum, communi, venerabiles fratres, prece humiliter exoremus, ut vota haec nostra benigno numine accipiens velit ad optatissimum exitum quantocyus pervenire.

CXLII.

Coadiutorem cum futura successione Patriarchae Babylonensis Chaldaeorum, vel successorem si Patriarcha iam decesserit, deputat Nicolaum Isaiam Iacobi Archiep. Hadirbegian eiusdem ritus.

Venerabili fratri Nicolao Isaiae Iacobi Archiepiscopo Hadirbegian ritus Chaldaici,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ven. frater Ioannes de Hormez Patriarcha Babylonensis nationis Chaldaeo-

rum ob ingravescentem aetatem aegre admodum valeat suo muneri satisfacere, nos recto illius nationis regimini consulere summopere cupientes, Coadiutorem cum iure successionis designandum censuimus, ut potissimum vitari queant incommoda et damna, quae patriarchali eâ sede vacante contingere possent. Itaque de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, eiusmodi munus tibi, ven. frater, committendum existimavimus, qui singulari pietate, doctrinâ, prudentiâ, religione ac rerum gerendarum peritiâ, aliisque egregiis animi ingeniique dotibus praestas. Quamobrem peculiari te beneficentiâ prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te, ven. frater, qui in praesentia Archiepiscopus Hadirbegian ritus Chaldaici existis, hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ in Coadiutorem commemorati Patriarchae Babylonensis nationis Chaldaeorum cum iure futurae successionis eligimus, constituimus et deputamus, ita tamen ut ipso Ioanne de Hormez vivente in exercitio et administratione huiusmodi patriarchatus nonnisi quantum et quatenus idem Ioannes ordinaverit, te ingerere possis, ea vero, quae ipse hac in re tibi mandaverit, omnino praestare et adimplere tenearis. Si autem idem Ioannes ab humanis decedat, aut forsan, quod absit, iam decesserit, seu praedictus eius patriarchatus alio quocumque modo ex ipsius personâ vacaverit, te eius loco Patriarcham Babylonensem nationis Chaldaeorum, dimisso archiepiscopatu Hadirbegian ritus Chaldaici quo ad praesens potiris, cum omnibus et singulis facultatibus, quae praedicto Ioanni ratione patriarchatus huiusmodi ab hac Apostolicâ Sede hactenus quomodolibet concessae et attributae sunt, nunc pro tunc auctoritate et tenore praedictis facimus et instituimus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus propterea in virtute Sanctae Obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut te ad officium coadiutoris, et tempore suo ad illud patriarchatus Babylonensis nationis Chaldaeorum eiusque liberum exercitium, iuxta earumdem praesentium tenorem, excipiant, admittant, tibique in omnibus quae ad huiusmodi pertinent officium praesto sint atque obediant, tuaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant, atque efficaciter adimpleant; alioquin sententiam seu poenam, quam rite tuleris in rebelles, seu statueris, ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXV. sept. MDCCCXXXVIII., pontific. nostri anno VIII.

CXLIII.

Properanti primum Episcopo Algeriano ad propriam dioecesim post visitationem sacrorum liminum, plura tradit munera sacra ad ecclesiam cathedralem deferenda, eique stimulos addit ad zizania inter fideles succidenda, et ad novas propagines serendas, fructum in alias quoque Africae partes allaturas (1).

Venerabili fratri Antonio Adolfo Episcopo Iulio-Caesariensi sive Algeriano,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Libenter semper animo excipere consuevimus nostros venn. fratres, quicumque huc profecti fuissent, ut sacra Apostolorum limina pie inviserent, Sanctaeque huic Sedi praesentes obsequerentur, atque ab eâ opem, consilia, monita reportarent, quibus in arduo episcopalis muneris exercitio sustentarentur. Sed singulari certe ratione laetati plurimum sumus in aspectu tui, ven. frater, cuius insignem virtutem non obscura pietatis operum documenta testantur, quemque primum dedimus pastorem novae ecclesiae, quam nuper in urbe Algerio, carissimi in Christo filii nostri Ludovici Philippi

(1) Ex Reg. Vat. ep. ad Principes etc. Vide sup. *Singulari divinae, Cuncta provide.*

Francorum regis christianissimi studio ac liberalitate favente, instituimus. Cum vero in eamdem sedem tuam propediem iturus sis, mandamus tibi ipsi munera quaedam ad cathedrale templum, quod Philippo Apostolo dicabitur, deferenda, videlicet ex sacris exuviis sancti eiusdem Apostoli partem extremam digiti alterius pedis, et particulam ex ossibus Augustini Episcopi Hipponensis, cuius ecclesia eiusdem nomine celeberrima sita olim fuit intra fines dioecesis tibi nunc attributae; insuper thecam argentei operis auro obductam memoratis reliquiis in altari proponendis; denique in usum divini sacraficii calicem aureum trunco basique argenteâ inauratâ sustentatum cum patenâ item ex auro. Hisce igitur piis donis nostrum in Algerianam peculiare studium testari voluimus.

Verum magni etiam doni loco tu ipse eris, ven. frater, cuius praesentiâ exiguus adhuc in eâ regione Christi grex multam in Domino consolationem capiet. Latissimus tibi ad exercendam virtutem datus est campus, totam, quae paulo ante fuit, Algerii ditionem complectens, ubi multae vetustioribus seculis ecclesiae floruerunt; sed succedente deinceps infidelium dominatu talem omnes vastitatem passae sunt, ut ante novissimam rerum commutationem vix ulla inibi christianae pietatis vestigia superessent. Pergens igitur in Dei nomine ad partem illam vineae dominicae tanto iamdiu squalore obsitam, arripe statim, ven. frater, gladium fidei, quod est verbum Dei, et mitte manum tuam ad aratrum; nova tibi novale, succide propagines zizaniorum, sere bonum semen; quod, vigili sedulitate custoditum et divinae gratiae irrigatione foecundatum, uberrimos, ut plane confidimus, iustitiae et sanctitatis fructus emittet. Immo bonam erigimur in spem fore ut lux catholicae veritatis inde in proximas alias Africae partes diffundatur et crescat; intervenientibus in id apud misericordiarum Patrem piissimis precibus Cypriani, Augustini, Fulgentii, aliorumque Sanctorum, qui illam virtute, doctrina, fusove in fidei testimonium sanguine illustrarunt. Itaque alacri semper animo sis, ven. frater, et nihil quidem tribuens tibi ipsi, sed divinâ potentiâ et bonitate innixus, labora sicut bonus miles Christi; et in mediis difficultatibus, quibus te defungi oportebit, coronam recogita perseverantibus repromissam. Nos interea, licet indigni, haud sane desistimus in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione Deum per merita filii sui Redemptoris mundi suppliciter postulare, ut mittat tibi auxilium ex alto, et iis, quae dante ipso plantaveris atque rigaveris, incrementum tribuat. Denique nostrae in te propensissimae voluntatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam sacerdotibus etiam adiutoribus tuis praedictoque Algeriano gregi nomine nostro dispertiendam fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXIV. dec. MDCCCXXXVIII., pontificatus nostri anno VIII.

CXLIV.

Dimittente Ioanne Baptistâ Zino munus Vicarii Apostolici Gibraltariae, decernit Vicarium substituendum dignitate episcopali insignitum iri, illudque munus committit fr. Henrico Hugues Ordinis Minor. Obser. S. Francisci.

Dilecto filio Henrico Hugues provinciali ministro Ord. Minorum S. Francisci in Hiberniâ,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

De universi dominici gregis salute vehementer soliciti, nihil inausum nihilque inexpertum relinquere debemus, ut spiritualium christifidelium bono pro viribus consulamus.

§ 1. Itaque cum in praesentibus rerum ac temporum adiunctis nobis relatum fuerit, religionis catholicae bono plurimum expedire posse, si in Calpensi civitate, vulgo Gibraltar, cuius regimen ecclesiasticum simplici hactenus presbytero Vicarii Apostolici titulum habenti commissum fuit, Vicarius Apostolicus episcopali dignitate insignitus constituatur, qui ampliori auctoritate in illâ regione Ecclesiae negotia gerat, nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, dilecto filio presbytero Ioanne Baptista Zino munus ac titulum Vicarii Apostolici

Calpensis dimittente, huiusmodi officium tibi committendum censuimus, quamplurimum in Domino confisi, ut pro singulari tuâ pietate, doctrinâ, prudentiâ, integritate et catholicae religionis zelo, eodem munere cumulate sis perfuncturus.

§ 2. Quamobrem te, quem per similes apostolicas literas hoc ipso die datas Episcopum Heliopolinsem in part. infid. renuntiavimus, hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ in Vicarium Apostolicum Calpensem ad nostrum et huius Apostolicae Sedis arbitrium eligimus, constituimus et deputamus etc. salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardd.

§ 3. Mandamus propterea etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XV. martii MDCCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CXLV.

Corpus S. Exuperii Martyris in coemeterio Callisti repertum Societati Propagationis Fidei Lugdunensi donat; concedit insuper ut in ecclesiâ metropolitanâ Lugdunensi festum ipsius Martyris celebretur, et ut in eam Societatem cooptati plures lucrentur indulgentias, sive orantes ad corpus S. Martyris, sive statutis diebus nonnulla pietatis opera exercentes.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Dominici gregis augendi solicitudo, qua pro Apostolatus nostri munere tantopere afficimur, ad illud omne libenter nos convertit, quod prodesse illis intelligimus, qui de catholicâ fide propagandâ bene meriti existant. Huius porro benevolentiae nostrae pignus exhibere volentes, praeclarae illi Societati, quae Lugduni primum pro missionibus ad exteros populos iuvandis, sub propagationis fidei titulo fuit instituta, B. Martyris Exuperii corpus, quod nuper in coemeterio Calisti repertum fuerat, illuc mittendum curavimus. Quoniam vero pium illud opus spiritualibus beneficiis cumulare, et ipsius S. Martyris cultum promovere impensius optamus; praesentibus nostris literis in perpetuum valituris annuimus precibus ad nos allatis, ut quinto calendas maias, quo die sacrae eius reliquiae sunt inventae, in ecclesiâ metropolitanâ Lugdunensi S. Ioanni Baptistae sacrâ, festum ipsius sub ritu duplici maiori celebrari ad libitum quotannis valeat. Fidelibus insuper, qui in praefatam Societatem cooptati ad B. Martyris corpus preces iuxta consuetos fines fuderint, pro qualibet vice tercentum dies de verâ indulgentiâ concedimus. Quo vero die S. Exuperii festum celebrabitur, et singulis primis dominicis cuiuscumque mensis, si iidem in Societatem cooptati Poenitentiae et Eucharistiae sacramentum acceperint, et praeterea, praefatam ecclesiam adeuntes, ibi, ut supra, oraverint, plenariam indulgentiam consequentur. Utramque demum indulgentiam tam plenariam quam partialem animabus in Purgatorio degentibus applicabilem declaramus. Dum haec omnia pro animarum salute decernimus, futurum confidimus, ut praefata Societas, quae iam de missionibus optime merita est, ab Apostolica Sede tot praedilectionis significationibus aucta, ad catholicae Ecclesiae bonum latius amplificetur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXIII. martii MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CXLVI.

Erigit Vicariatum Apostolicum latini ritus in Aegypto et Arabiâ, quem iam (anno MDCCCXXXVII.) constituendum decreverat, separato inferiori Aegypto a custodiâ Terrae Sanctae, et superiori a Vicariatu Apostolico Aleppi.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Ex munere pastoralis ministerii supernâ Dei providentiâ nobis impositi non leve sane totius dominici gregis onus ferentes, illis potissimum ovibus, quae regiones ab hac Apostolicâ Sede longe dissitas incolunt, maiori studio ac sedulitate consulendum censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua caelestia vocari possint feliciterque perduci.

§ 1. Hinc quum fovendo religionis studio in catholicis fidelibus, qui ad Aegyptum quotidie maiori numero profluunt, atque in eâ finitimisque regionibus fidei catholicae propagandae valde expedire visum fuerit, novum iis in locis Vicarium Apostolicum latini ritus episcopali dignitate insignitum, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, censuimus atque decrevimus, praeviâ dismembratione missionis inferioris Aegypti a custodiâ Terrae Sanctae, et missionis superioris Aegypti atque Arabiae a Vicariatu Apostolico Aleppi, peculiarem ex universâ illa regione Vicariatum Apostolicum esse erigendum, qui iuxta instructiones a commemoratâ Congregatione tradendas erit administrandus.

§ 2. Motu igitur proprio, ex certâ scientia et maturâ deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi missionem inferioris Aegypti a custodiâ Terrae Sanctae, ac missionem superioris Aegypti et Arabiae a Vicariatu Apostolico Aleppi subtrahentes, peculiarem in illis regionibus Vicariatum Apostolicum latini ritus erigimus, atque ibi Vicariatum Apostolicum episcopali dignitate insignitum constituimus. Ipsi autem Vicario ab hac Apostolicâ Sede eligendo omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eadem auctoritate nostrâ concedimus atque impertimur.

§ 3. Haec statuimus etc.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVII. maii MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CXLVII.

Novo vicariatui Aegypti praeficit Perpetuum a Solero Episcopum Fesseilen (1).

Dilecto filio Perpetuo a Solero fratrum Ord. Minorum S. Francisci de Observantia,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium nobis ex alto commissum nihil nos magis sollicitat, quam Christifidelibus, ut in viam mandatorum

---

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., pag. 286. Sequenti lit. Perpetuum a Solero FF. Ord. Min. electum fuit in Ep. Fesseilen.

Dilecto filio Perpetuo a Solero fratrum Ord. Min. S. Francisci de Observantia,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni nostrae reservavimus decernentes, ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 1. Postmodum vero episcopali ecclesia Fesseilen. quae sub archiepiscopatu Cirtensi vulgo *Fesse* in partibus infidelium existit, solatio pastoris destituta, nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni nos fecerunt certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nemo praeter nos se potuit seu poterit intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam, cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus, et in aetate etiam legitima constitutus existis, cuius apud nos de morum integritate, doctrina, prudentia, pietate, christianae religionis et catholicae fidei zelo ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione fide digna perhibentur testimonia, oculos mentis nostrae direximus. Quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem ecclesiam episcopalem Fesseilen. de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in Episcopum praeficimus atque pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur, et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione complectens, curam et administrationes praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu prae-

Dei dirigantur, atque ad aeternam salutem animarum suarum assequendam opportunis praesidiis adiuventur, omni quo cum Deo possumus studio providere. Itaque cum per similes apostolicas litteras de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, praevia dismembratione missionis superioris Aegypti atque Arabiae a Vicariatu Apostolico Alepii, peculiarem Vicariatum Apostolicum latini ritus in universa illa regione erigendum duxerimus, de eorumdem VV. FF. consilio te, de cuius pietate, doctrina, integritate, ac singulari zelo praeclara accepta sunt testimonia, eidem vicarium te praeficiendum censuimus. Quamobrem te, quem per similes apostolicas litteras hoc ipso die datas in Episcopum ecclesiae Fesseilen. sub archiepiscopatu Cirtensi vulgo *Fesse* in partibus infidelium renuntiavimus, peculiari beneficentia prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce litteris auctoritate nostra apostolica ad nostrum atque eiusdem Apostolicae Sedis beneplacitum in Vicarium Apostolicum Aegypti et Arabiae in commemoratis regionibus eligimus, constituimus et deputamus. Mandamus propterea omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompte pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter accipiant et efficaciter adimplenda curent, alioquin sententiam seu poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXVIII. maii MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CXLVIII.

Visitatorem Apost. patriarchatus Chaldaeorum deputat Franciscum Villardell Archiepiscopum Philippensem Delegatum Apostolicum Aleppi.

Venerabili fratri Francisco Villardell Archiepiscopo Philippensi Vicario Apostolico Aleppi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ad ecclesiastica negotia patriarchatus Babylonensis rite componenda necesse prorsus noverimus, ut magis ac-

---

ter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

§ 2. Praeterea tibi ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis dicta auctoritate concedimus atque indulgemus. Tibi insuper ut a quocumque malueris catholico Antistite Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente, adcitis et in hoc illi adsistentibus duobus aliis Episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti regularibus similem praefatae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, atque eidem Antistiti, ut receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a S. Sede propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, praefatum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, plenam harum litterarum serie tribuimus facultatem. Volumus tamen, et eadem auctoritate praecipimus, ut nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII. maii MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

curata notitia praesentis illius ecclesiae status habeatur, ac certo constet quibus modis recto spirituali nationis regimini prospici possit, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Visitatorem Apostolicum totius patriarchatus Chaldaeorum eligendum statuimus, atque huiusmodi munus tibi committendum censuimus. Quocirca peculiari te benevolentià prosequi volentes etc. te hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ ad nostrum atque huius Apostolicae Sedis arbitrium in Visitatorem Apostolicum totius Patriarchatus Chaldaeorum, cum omnibus et singulis facultatibus, iuribus et privilegiis, quae eiusmodi propria sunt officii, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium eligimus, constituimus et deputamus. Mandamus propterea ete. caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVIII. maii MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CXLIX.

Delegatum Apostol. pro Aegypto et Arabia constituit, ipsius regionis Vic. Ap. latini ritus (1).

Dilecto filio Perpetuo a Solero fratrum Ord. Minorum S. Francisci de Observantia,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum Christifidelibus Rituum Orientalium valde profuturum noverimus Delegatum Apostolicum pro Aegypto et Arabia constitui ad normam illius, qui iamdiu in Montem Libanum mitti consuevit: nos de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio eiusmodi munus tibi committendum censuimus, ea profecto spe freti fore, ut pro tua singulari pietate, doctrina, prudentia ac religionis propagandae zelo, munus ipsum cumulate sis expleturus. Quocirca te, quem per similes apostolicas litteras hoc ipso die datas in Delegatum etiam Apostolicum pro Orientalibus in illis regionibus eligimus, constituimus et deputamus.

§ 2. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut te ad officium Delegati Apostolici pro Aegypto et Arabia iuxta praesentium tenorem excipiant et admittant, tibique in omnibus, quae ad huiusmodi pertinent officium, praesto sint atque obediant, tuaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant atque efficaciter adimpleant, alioquin sententiam seu poenam quam rite tuleris in rebelles seu statueris, ratam habebimus, et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVIII. maii MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CL.

Augustinum Fernandez de Corduba eligit Praefectum Apostolicum missionum, et collegiorum Congregationis de Propagandâ Fide in Americâ Meridionali, cui facultates tribuit Commissario Generali Indiarum concedi solitas, quemque ad hoc iam renunciaverat Archiepiscopum Attaliensem.

Dilecto filio presbytero Augustino Fernandez de Corduba Decano Ecclesiae Metropolitanae de Plata,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Universi Dominici gregis salus nobis ab ipso Pastorum Principe et Episcopo animarum divinitus commissa postulat atque efflagitat, ut nihil unquam inausum nihilque inexpertum relinquamus, quo summâ cum contentione omnium christifidelium bono atque utilitati quibusque rebus consulamus. Hinc paterni animi no-

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 287.

stri solicitudine spirituali eorum potissimum christifidelium bono prospicere summopere studemus, quibus in remotissimis ab hac Apostolicâ Sede regionibus morantur, ut omni ope et operâ ad aeternam assequendam salutem iuventur atque excitentur.

§ 1. Itaque cum ob mortem Andreae Herrero Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ, quem nos praefectum apostolicum missionum et collegiorum Congregationis de Propagandâ Fide in Americâ Meridionali existentium statueramus, cuique omnes et singulas facultates concesseramus, quas Romani Pontifices praedecessores nostri Commissario generali Indiarum eiusdem Ordinis tribuendas existimarunt, commemoratae missiones et collegia praecipuo suo moderatore seu superiore destituta remanserint, nos vel maxime cupientes christianam religionem in iis regionibus latius propagari, ac magis in dies, Domino benedicente, stabiliri, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, huiusmodi munus tibi committendum censuimus, eâ profecto spe freti fore ut divinâ adspirante gratiâ, et tuâ pietate, doctrinâ ac rerum gerendarum peritiâ, catholica religio incrementa suscipiat.

§ 2. Quamobrem te, quem per similes apostolicas literas hoc ipso die datas Archiepiscopum Attaliensem renunciavimus, peculiari beneficientiâ prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ ad nostrum et huius Apostolicae Sedis arbitrium in praefectum apostolicum missionum et collegiorum de Propagandâ Fide in Americâ Meridionali existentium eligimus, constituimus et deputamus, cum iisdem omnibus facultatibus quas defuncto Andreae Herrero tribuimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXIII. iulii MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CLI.

Mortuis pro fide Vicariis Apostolicis Tunquini Orientalis et eius coadiutore; Archiepiscopo Manilae, et provinciali Ordinis Praedicatorum in Insulis Philippinis potestatem delegat ut eis duos sufficiant in eodem respective munere ex regulari illâ eiusdem Ordinis familiâ assumendos, et dignitate episcopali donandos.

Venerabili fratri Archiepiscopo Manilensi, ac dilecto filio Provinciali Ord. Praedicatorum provinciae SSmi. Rosarii in Insulis Philippinis,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater ac dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nobis innotuerit in Tunquino Orientali ad Sinas, immani contra fideles fervente ethnicorum persecutione, probatissimos duos Antistites Ignatium Delgado Episcopum Mellipotamensem Vicarium Apostolicum, et Dominicum Henares Episcopum Fesseitensem illius Coadiutorem in praeclarâ fidei confessione una cum aliis evangelicis operariis occubuisse; ideoque Vicariatum illum pastorali regimine ac solatio destitutum remansisse, re mature perpensâ, de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum statuimus viduati gregis incolumitati pro viribus et quam citissime consulere.

§ 2. Quapropter, de eorumdem Cardinalium consilio, auctoritate nostrâ apostolicâ per hasce literas, vobis, ven. fr. ac dilecte fili, quibus Vicariatus Tunquini Orientalis ad Sinas administratio concredita est, committimus et mandamus ut, collatis consiliis, ex illâ regulari familiâ quosdam alios ad munus evangelicum in Tunquino exercendum idoneos viros adlegatis atque mittatis, et inter digniores alterum in Apostolicum Vicarium, alterum in coadiutorem cum iure futuraê successionis designetis ac statuatis: quod si uterque vestrum quavis de causâ praepeditus rem peragere nequeat, alterutri ex vobis totum negotium committendum et in Domino commendandum esse volumus.

§ 3. Itaque Vicario Apostolico sic adlecto singulas quasque facultates Vicariis

Apostolicis in regionibus Sinarum vel Sinis adiacentibus concedi solitas dictâ auctoritate nostrâ concedimus et impertimur; a coadiutore vero, ut praefertur, aeque adlecto ea tantum quae Vicarius Apostolicus illi demandabit omnino praestari teneantur, et quum huiusmodi munus quomodolibet vacaverit, eumdem coadiutorem auctoritate nostrâ renunciatum illius loco Vicarium Apostolicum in Tunquino Orientali cum omnibus et singulis facultatibus, quae illi ratione huius officii a Sede hac Apostolica hactenus quomodolibet concessae sunt, iam nunc auctoritate et tenore praesentis facimus et constituimus, salvâ semper in praemissis tum pro Vicario Apostolico tum pro eius coadiutore Cardinalium eiusdem Congregationis auctoritate.

§ 4. Praeterea, ut uterque charactere ac titulo episcopali sit insignitus, alterum, scilicet Vicarium Apostolicum, in ecclesiae Miletopolitanae, quae sub Archiepiscopo Cyziano, alterum, seu coadiutorem, in ecclesiae Ruspensis Episcopum, quae sub Archiepiscopo Carthaginensi in part. infid. positae, per obitum eorum Episcoporum vacant, eâdem auctoritate nostrâ apostolica eligimus et declaramus, iisque, ut ad ecclesias praedictas, quamdiu ab infidelibus detineantur, accedere et apud eas personaliter residere minime teneantur, dictâ auctoritate nostrâ concedimus et indulgemus.

§ 5. Cuicumque autem catholico Antistiti gratiam et communionem cum hac Apostolicâ Sede habenti, postquam ab illis professionem catholicae fidei iuxta articulos a Sede nostrâ propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum acceperit, munus consecrationis auctoritate nostrâ apostolicâ illis impendere libere et licite valeat, accitis adstantibusque duobus loco Episcoporum presbyteris saecularibus seu cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti regularibus, praedictae huius Sedis gratiam et communionem pariter habentibus, dictâ auctoritate plenam et liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen, eâdemque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut, nisi emisso a recens adlectis in eius manibus iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse, ut praefertur, Episcopus consecrationis munus illis impendere, ac recens adlecti illud suscipere praesumpserint, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, utrique vero a regimine et administratione earum ecclesiarum suspensi sint eo ipso.

§ 6. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut Vicarium Apostolicum et coadiutorem, ut supra, a vobis adlectos, ad liberum eiusdem muneris exercitium iuxta praesentium tenorem recipiant et admittant, et eorum unicuique in omnibus, quae ad hoc munus pertinent, praesto sint atque obediant, ipsorumque salubria monita et mandata reverenter suscipiant, et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tulerint in rebelles seu statuerint, ratam habebimus et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II. augusti MDCCCXXXIX., pontif. nostri anno IX.

CLII.

Eamdem, quam superius, potestatem delegat Moderatoribus Seminarii Parisiensis Missionum ad exteros, ut eiusdem Seminarii alumnum in coadiutorem Vicarii Apostolici Tunquini Occidentalis deputent.

Dilectis filiis Moderatoribus Seminarii Parisiensis missionum ad exteros,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum per obitum Iosephi Mariae Havard Episcopi Castoriensis et Vicarii Apostolici in Tunquino Occidentali ad Sinas ven. fr. Clemens Maçon Episcopus

Acanthensis illius coadiutor per similes apostolicas literas iam constitutus in Vicariatus munere eidem successerit, ut ipsi Antistiti Clementi adiutor et levamen afferretur, nec non pastorum in eo Vicariatu perennitati consuleretur, attentis praecipue regionum illarum circumstantiis, distantiâ, ac persecutionis ferventis periculis, de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum opportunum existimavimus illi coadiutorem designare cum iure futurae successionis, atque episcopali charactere insignitum.

§ 2. Quapropter, de eorumdem Cardinalium consilio, auctoritate nostrâ apostolicâ per hasce literas vobis dilectis filiis moderatoribus Seminarii Parisiensis missionum ad exteros, cui Vicariatus Apostolici in Tunquino Occidentali ad Sinas administratio tradita est, committimus et mandamus, ut ex vestri seminarii alumnis adlegatis quem coadiutoris partibus sustinendis digniorem in Domino iudicaveritis, ita tamen ut ab ipso sic adlecto ea tantum quae Vicarius Apostolicus illi demandabit omnino praestari teneantur, et, quum huiusmodi munus quomodolibet vacaverit, eumdem coadiutorem auctoritate nostrâ renunciatum illius loco Vicarium Apostolicum in Tunquino Occidentali cum omnibus et singulis facultatibus, quae illi ratione huius officii a Sede hac Apostolicâ hactenus quomodolibet concessae sunt, iam nunc auctoritate et tenore praesentis facimus et constituimus, salvâ semper in praemissis Cardinalium eiusdem Congregationis auctoritate.

§ 3. Praeterea, ut charactere et titulo episcopali insignitus coadiuto suo operam daturus Tunquinum se conferat, eum in Episcopum ecclesiae Emansen., quae sub Archiepiscopo Caesarien. consistit, ac nunc per obitum ultimi illius Episcopi vacat, eâdem auctoritate nostrâ apostolicâ eligimus ac declaramus, eique ut ad Ecclesiam praedictam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere, et apud eam personaliter residere minime teneatur, dictâ auctoritate nostrâ concedimus et indulgemus.

§ 4. Cuicumque autem catholico Antistiti gratiam et communionem cum hac Apostolicâ Sede habenti, postquam ab eo professionem catholicae fidei iuxta articulos a Sede nostrâ propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum acceperit, munus consecrationis auctoritate nostra apostolica illi impendere libere et licite valeat, accitis adstantibusque duobus loco Episcoporum presbyteris saecularibus seu cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regularibus, praedictae huius Sedis gratiam et communionem pariter habentibus, dicta auctoritate plenam et liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen eademque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut, nisi emisso a recens adlecto in eius manibus iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse, ut praefertur, Episcopus consecrationis munus ei impendere, ac recens adlectus illud suscipere praesumpserint, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, uterque vero a regimine et administratione earum ecclesiarum suspensi sint eo ipso.

§ 5. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit pro tempore, ut coadiutorem ut supra a vobis adlectum ad liberum eiusdem muneris exercitium iuxta praesentium tenorem accipiant et admittant, illique in omnibus, quae ad hoc munus pertinent, praesto sint atque obediant, eiusque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tulerit in rebelles seu statuerit, ratam habebimus et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die II. augusti MDCCCXXXIX., pontificatus nostri an. IX.

CLIII.

Fidelibus Tunchini et Cochinchinae scribit de saeviente persecutione, eosque hor-

***tatur ut Christum coram hominibus confiteantur* (1).**

Dilectis filiis Christifidelibus Vicariatuum Ap. Tunchini et Cochinchinae.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae nuncia, dilectissimi in Christo filii, e regionibus istis nuper allata sunt, ea nobis non levem animi dolorem consolationemque simul attulerunt. Accepimus enim, fervente adhuc, immo magis magisque saeviente Ethnicorum contra Christifideles vexatione, in Orientali Tunchini plaga praesules eximios Ignatium Delgado Vicarium nostrum ecclesiae Mellipotamensis Antistitem, ac Dominicum Henares ipsius coadiutorem Fesseitensem Episcopum una cum aliis evangelicis operariis gladio peremptos esse. Renuntiatum nobis praeterea est, in Occidentali Vicariatu probatum aeque Vicarium nostrum Iosephum Mariam Havard Episcopum Castoriensem laboribus aerumnisque confectum occubuisse, pluresque alios Christi ministros insectatorum ense obtruncatos, alios denique in Cochinchina caesos fuisse.

Gaudere quidem oportebat, quod novos ac praeclarissimos de Ethnicorum impietate Ecclesia Dei triumphos reportasset, quodque tot sanctissimi ac fortissimi viri pro divina Christi religione ad obitum usque decertassent; summo tamen moerore affecti sumus perpendentes, quo et quanto in discrimine vos omnes, dilectissimi filii, versaremini. Hinc non modo pro universali ecclesiarum omnium qua premimur, sollicitudine, verum et pro ea qua vos prosequimur peculiari benevolentia, animum nostrum curasque omnes illico ad vos convertimus, ut, quibus nunc desunt, alios in via Dei moderatores duces ac rectores praeficiamus.

Interim metuentes ne percussis pastoribus dispergantur oves gregis, neve insectantium forte minis vel tormentorum apparatu atque acerbitate deterriti deficiatis, assiduas pro vobis Deo optimo maximo preces adhibere non desistimus, ut coelestibus roborati praesidiis impiorum conatibus obsistere valeatis. Eadem insuper causa nos impulit, ut hasce litteras ad vos deferendas curaremus, quibus et paterna vos amplectimur charitate, atque in Domino hortamur obsecramusque, ut inaestimabile quod accepistis donum Dei, fidem nempe catholicam, inviolate custodiatis. Ne unquam formidetis eos, ut Christus ipse vos admonet, *qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam;* neque vos terreat momentaneum et leve tribulationis, scientes quod aeternum gloriae pondus operatur in vobis. Prospicite quaeso in sanctissimum divinumque auctorem fidei Christum Iesum, qui vos e tenebris in admirabile religionis suae lumen advocavit, quique pro vobis comparanda salute vitam inter acerbissimos cruciatus effudit. Prospicite in inclyta praepositorum vestrorum exempla, qui ut Pastorum munere probe fungerentur, animam suam pro vobis ponere non dubitarunt. Quod si qui forte extiterunt inter vos (uti non sine magno animi dolore fuisse quosdam audivimus) qui nimio cruciatuum terrore perculsi eo impietatis progressi sint, ut confiteri Christum coram hominibus erubuerint, eos hortamur ac deprecamur, ut poenitentiae lacrimis tam detestandum facinus abluere, atque a Dei misericordia veniam enixe studeant implorare.

Vos autem, dilectissimi in Christo filii, qui a tanto perpetrando scelere abhorruistis, ob graves quas sustinetis calamitates, animis ne despondeatis; ea enim est clementissimi et sapientissimi rerum omnium moderatoris providentia, ut, quos peculiari praedilectione complectitur, eos multis ac variis adversitatibus sinat exerceri. Intuemini coelum; strenue pugnantibus immortalitatis corona comparatur: breves vobis erunt certaminis dies, at eadem, qua Deus beatus est, sempiterna tandem felicitate perfruemini. Quin et in hoc ipso mortalis vitae curriculo non semper a Christifidelibus toleranda calamitas est, sed graviores eorum tristitias abundantiores plerumque consolationes excipiunt. Nec propterea vos dira hac semper vexatione prememini, sed ab omni tandem terrore soluti ac veluti a furibunda erepti tempestate, dum Deo vero cultum tuto exhibebitis, perennes eidem gratiarum

(1) Vide infra Allocutionem *Afflictas* et *De Conchinchinae missionis.*

actiones ob assecutam tranquillitatem persolvetis. Post haec autem omnipotenti Deo vos omnes commendantes, coelestis auxilii auspicem apostolicam vobis benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die IV. augusti MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CLIV.

De pace et concordia servanda in clerum saecularem et PP. Franciscales in aliquibus Hiberniae locis (1).

Venerabili fratri Nicolao
Episcopo Watorfordiensi et Lismorensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ad caeteras animi angustias, quas ex notis multarum ecclesiarum calamitatibus gravissimas capimus, non levis inde accidit causa dolendi, quod in nonnullis Hiberniae locis quidam a saeculari clero religiosorum hominum familias haud bonis oculis aspiciant. Sane quum harum alumni olim Hiberniae Episcopis et saeculari clero sub iisdem constituto adiutricem operam navaverint ad religionem catholicam in mediis periculis conservandam, absurdum est ut eaedem nunc tranquillitatis rebus contemptui habeantur. Deinde sacerdotes quique sincero divinae gloriae salutisque animarum zelo inflammati, non modo non contristari, sed gaudere omnino debent quum alios vident eumdem in finem rite allaborantes. Insuper et meminisse iugiter debent verborum Christi, quibus novum illud mandatum dilectionis ad invicem habendae inculcavit discipulis suis, et in subsequenti oratione ad Patrem impensius commendavit (Ioan. XIII., 34, 35, XVII., 11 seq.), ut exinde considerent quanta pene ipsos cavere oporteat ne dissensionibus inter se confovendis scandalo sint fidelibus caeteris, et occasionem acatholicis praebeant vituperandi ministerium nostrum. Haec ad te ideo scribimus, venerabilis frater, quod istic nominatim dissidia nonnulla cum religiosis viris Ordinis S. Francisci Strictioris Observantiae, quae aliquo ante tempore invaluerant, adhuc non desiisse intelleximus. Non nihil iam de his significatum meminimus a nostra Congregatione Propagandae Fidei pluribus literis sive ad praedecessorem Episcopum, sive ad fraternitatem tuam datis, sed quoniam, uti diximus, votis nostris memorataeque Congregationis optatus nondum respondit eventus, abstinere non possumus quominus ipsi nos hac epistola hortemur, et obtestemur te in Domino vehementer quo provideas ut in dioecesibus tuis uterque clerus charitate mutua in sacro ministerio fungendo consocietur. Eo imprimis spectat ut sacerdotes saeculares abstineant prorsus a religiosorum virorum eorumque Ordinum existimatione, seu factis seu verbis, apud fidelem populum imminuenda. Quo in genere perlatum ad nos est, rem eo devenisse, ut quidam docere praesumpserint gravis peccati reos esse fideles illos, qui ad praedictorum Franciscalium fratrum subsidium eleemosynas dent. Equidem persuadere nobis non possumus esse istic multos, qui talia protulerint; sed profecto tuum erit, venerabilis frater, corrigere illos auctoritate tua, et intentius advigilare ne catholicus iste populus ipsorum fallaciis decipiatur: atque ita iis insistes, quae iamdiu sacris Ecclesiae canonibus statuta fuerunt, ac speciatim a Gregorio IX. in decretali quae incipit *Nimis prava* (cap. 17 de excessibus praelator. et subditorum), nec non a Sixto IV. in constit. *Sacri* (data VII. kalendas aug. an. MCCCCLXXIX.), et aliquo etiam modo a Constantiensi Concilio, atque a Martino V. in constitutione contra errores Wicleffi (prop. 20 et 34). Iam vero ad religiosos istos viros cum saeculari clero reconciliandos nihil sane validius esse poterit, quam ut tu ipse, venerabilis frater, tuo aliis exemplo praelucens, complectaris illos charitate paterna; teque haud difficilem praebeas in iis, qui ex ipsorum numero idonei sunt, approbandis ad excipiendas fidelium confessiones; et eorum opera in reliquis etiam, quae ad episcopalem auctoritatem spectant, libenter utaris; denique ultra non renuas iisdem permittere, ut suum illud templum aperiant, quod a pluribus annis iterum aedificarunt. Haud sane ambigimus, venerabilis frater, quin pro tua in

(1) Ex Reg. Brevium vol. IV., p. 304.

nos Sanctamque hanc Sedem reverentia nostris hisce hortatibus prompto animo obsequuturus sis; atque hinc litteras tuas expectamus, quibus nos ea de re sine mora certiores facies. Caeterum, si ex ipsis religiosis viris fortasse aliquis sit, qui te, venerabilis frater, offenderit, ne graveris porro idipsum nobis significare: qui certe non praetermittimus auctoritate nostra apostolica uti, quo tibi, prout fuerit congruum, satisfiat. Interea Deum per merita Iesu Christi suppliciter oramus, ut tibi, et omnibus, quibus praees, clericis laicisque fidelibus prospera et salutaria cuncta largiatur. Ac divini huius praesidii auspicem, nostraeque testem praecipuae benevolentiae, apostolicam benedictionem fraternitati tuae atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XIX. augusti MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CLV.

Provinciam Chan-tong in Sinis separat ab episcopatu Pekinensi, eamque in Vicariatum Apostolicum a R. Pontifice immediate dependentem erigit.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex pastoralis ministerii munere supernâ Dei providentiâ humeris nostris impositi, non leve sane totius dominici gregis onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolicâ, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile ad pascua coelestia vocari valeant feliciterque perduci.

§ 1. Hinc, quum nobis innotuerit, in quibusdam regionibus dioecesis Pekinensis Imperii Sinarum rem christianam permagno in discrimine versari, ac, praesertim vitâ functo commemoratae dioecesis administratore Episcopo Nankinensi, maius in dies imminere periculum, ne, sublatis religionis adiumentis, evangelicum semen ibi penitus depereat, neque hisce temporum adiunctis per vicarium generalem, qui illam regit ecclesiam, omnibus amplissimisque sibi subiectis provinciis, ut par esset, occurri posse, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum peculiari et provisorio modo, constituto iam in provinciâ Leaotung nuncupatâ Apostolico Vicariatu per similes literas diei XIV. augusti superioris anni, in alterâ quoque provinciâ, Chan-tong appellata, religionis utilitati et catholicae fidei incolumitati pro nostro munere et universali animarum solicitudine consulendum esse censuimus.

§ 2. Quare omnibus mature perpensis, motu proprio, atque ex certâ scientiâ deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi eamdem provinciam Chan-tong a dioecesi Pekinensi distrahimus, derogantes hac super re constitutioni Innocentii XII. diei XV. octobris an. MDCXCVI. quae incipit *E sublimi,* qua dioecesis eiusdem limites designantur, eamque provinciam in Vicariatum Apostolicum erigimus ab Apostolico Vicario Episcopo a nobis et ab hac S. Sede eligendo et deputando, et ab illâ immediate dependente, gubernandum, cum omnibus et singulis facultatibus, quae ceteris Vicariis Apostolicis in Sinis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessae fuere.

§ 3. Decernentes has praesentes literas firmas, validas ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et in posterum spectabit, in futurum plenissime suffragari ac inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus praedictâ Innocentii XII. constitutione, ac nostra et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ceterisque etiam speciali et expressâ mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die III. sept. MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CLVI.

Vicariatum Apostolicum missionum Germaniae Septemtrionalium et Daniae, Episcopo Paderbonae concreditum, regendum in posterum decernit per Vicarium Apostolicum qui nullius dioecesis gubernandae onere distineatur, isque constituit ut Hamburgi resideat.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Ex pastoralis ministerii munere supernâ Dei providentiâ humeris nostris impositi, non leve sane totius gregis dominici onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones ab catholicâ Ecclesiâ dissidentium erroribus infectas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua coelestia vocari valeant feliciterque perduci.

§ 1. Hinc quum nobis visum sit ad missionum Germaniae Septemtrionalium et Daniae bonum maiorem in modum conferre, si Vicariatus Apostolicus pro iisdem missionibus, qui huc usque ven. fr. Episcopo Paderbonensi demandatus erat, alii ecclesiastico viro committeretur, qui praeter Vicariatus Apostolici solicitudinem aliis curis, praesertim peculiaris alterius dioecesis, minime distentus in id officii incumberet, ac praeterea cum prae ceteris Germaniae urbibus florentissima Hamburgi civitas pro novâ Vicarii Apostolici sede peropportuna reperta sit, idcirco huiusmodi nostrum consilium ad exitum perduci constituimus.

§ 2. Motu igitur proprio, atque ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, habitâ iam venn. fr. nostrorum S. R. E. Cardinalium sententiâ, harum literarum vi Vicariatum Apostolicum pro missionibus Germaniae Septemtrionalibus et Daniae ab Episcopo Paderbonensi distrahentes, alii ecclesiastico viro ab hac S. Sede adlegendo omnino confidimus ac demandamus, eique sic a nobis adlecto omnes et singulas facultates ipsi Episcopo Paderbonensi uti Vicario Apostolico iis in regionibus iam concessas, dictâ auctoritate nostrâ conferimus et impertimur, itemque praecipimus ut in posterum in Hamburgi civitate resideat.

§ 3. Decernentes has praesentes literas firmas etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XVII. sept. MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CLVII.

Ecclesiam Deiparae Virginis, in Monte Carmelo extructam, erigit in Basilicam minorem cum iuribus et privilegiis huic titulo adnexis.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

In Apostolicae Sedis fastigio collocati illustrium praesertim ecclesiarum honori atque splendori libenter profecto prospicimus.

§ 1. Quum itaque in eo Carmeli Montis loco ubi ad evangelicam Apostolorum praedicationem viri plurimi sanctorum prophetarum Eliae et Elisaei vestigiis inhaerentes, et Baptistae praeconio ad Christi adventum comparati, rerum veritate perspectâ susceptâque catholicâ fide, omnium primi sacellum Deiparae Virgini sacrum construxerunt, in praesentia nova erecta reperiatur ecclesia curae commissa Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Italiae, atque hodiernus generalis procurator Congregationis ipsius a nobis efflagitaverit, ut ecclesiam eamdem Basilicae titulo ac iuribus decorare velimus, nos, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, eiusdem procuratoris et Congregationis desideriis quam libentissime annuendum censuimus.

§ 2. Quamobrem omnes et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentiâ prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ commemoratam ecclesiam in Basilicam minorem cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus et indultis, quibus aliae ecclesiae Basilicae minores huiusmodi quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, atque uti, frui et gaudere possunt

et poterunt, erigimus, ac talem hoc futurisque temporibus esse et fore statuimus, eamdemque ecclesiam Basilicam nuncupari et haberi volumus.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, dictaeque ecclesiae plenissime suffragari, atque ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, Sedis Apostolicae Nuncios, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus, quoties opus fuerit, fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVI. nov. MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CLVIII.

Commemoratis, quae a religione christiana et a decessoribus ordinata sunt ad servitutem imminuendam in Indiis atque Nigritiis, eorum commercium reprobat; prohibet etiam ne quis commercium illud uti licitum tueatur.

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

In supremo apostolatus fastigio constituti, et nullis licet suffragantibus meritis gerentes vicem Iesu Christi Dei Filii, qui propter nimiam charitatem suam homo factus mori etiam pro mundi redemptione dignatus est, ad nostram pastoralem sollicitudinem pertinere animadvertimus, ut fideles ab inhumano Nigritarum seu aliorum quorumcumque hominum mercatu avertere penitus studeamus.

Lege evangelica prohibitum est.

§ 1. Sane cum primum diffundi coepit evangelii lux, senserunt alleviari plurimum apud christianos conditionem suam miseri illi, qui tanto tunc numero bellorum praesertim occasione in servitutem durissimam deveniebant. Inspirati enim a divino spiritu apostoli, servos quidem ipsos docebant obedire dominis carnalibus sicut Christo, et facere voluntatem Dei ex animo; dominis vero praecipiebant ut bene erga servos agerent, ut quod iustum est et aequum, eis praestarent ac remitterent minas, scientes quia illorum et ipsorum Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud eum (1). Universim vero cum sincera erga omnes charitas evangelii lege summopere commendaretur, et Christus Dominus declarasset habiturum se tamquam factum aut denegatum sibi ipsi quidquid benignitatis et misericordiae minimis et indigentibus praestitum aut negatum fuisset (2), facile inde contigit nedum ut christiani servos suos praesertim christianos veluti fratrum loco haberent (3), sed etiam ut proniores essent ad illos qui mererentur libertate donandos; quod quidem occasione imprimis Paschalium Solemnium fieri consuevisse indicat Gregorius Nyssenus (4). Nec defuerunt qui ardentiore charitate excitati *se ipsos in vincula coniecerunt, ut alios redimerent,* quorum multos se novisse testatur apostolicus vir idemque sanctissimae recordationis praecessor noster Clemens I. (5). Igitur progressu temporis ethnicarum superstitionum caligine plenius dissipata, et rudiorum quoque popu-

(1) Ad Ephesios VI. 5 seqq., ad Coloss. III. 22 seqq. IV. 1.
(2) Matthaei XXV. 35 seqq.
(3) Lactantius Divin. Institution. Lib. V., c. 16, tom. IV. Biblioth. veterum patrum Venetiis a Gallandio editae pag. 318.
(4) De Resurrect. Domini orat. III. tom. III. p. 420 operum edit. Parisiensis anni 1638.
(5) Ad Corinth. ep. I., cap. 55, tom. I. bibl Gallandii p. 35.

lorum moribus fidei per charitatem operantis beneficio mitigatis, res eo tandem devenit ut iam a pluribus saeculis nulli apud plurimas christianorum gentes servi habeantur. Verum, dolentes admodum dicimus, fuerunt subinde ex ipso fidelium numero qui sordidioris lucri cupidine turpiter obcaecati, in dissitis remotisque terris Indos, Nigritas, miserosve alios in servitutem redigere, seu instituto ampliatoque commercio eorum qui captivi facti ab aliis fuerant, indignum horum facinus iuvare non dubitarent.

Praedecessorum damnatio.

§ 2. Haud sane praetermiserunt plures glor. mem. Romani pontifices praecessores nostri reprehendere graviter pro suo munere illorum rationem, utpote spirituali ipsorum saluti noxiam, et christiano nomini probrosam; ex qua etiam illud consequi pervidebant, ut infidelium gentes ad veram nostram religionem odio habendam magis magisque obfirmarentur. Quo spectant apostolicae litterae Pauli III. die XXIX. maii MDXXXVII. sub Piscatoris annulo datae ad Cardinalem Archiepiscopum Toletanum, et aliae deinceps eisdem ampliores ab Urbano VIII. datae die XXII. aprilis MDCXXXIX. ad collectorem iurium Camerae Apostolicae in Portugallia; quibus in litteris ii nominatim gravissime coercentur, qui occidentales aut meridionales Indos *in servitutem redigere, vendere, emere, commutare vel donare, ab uxoribus et filiis suis separare, rebus et bonis suis spoliare, ad alia loca deducere et transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitute retinere, nec non praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem et operam quocumque praetextu et quaesito colore praestare, aut id licitum praedicare seu docere, ac alias quomodolibet praemissis cooperari* auderent seu praesumerent (1). Has memoratorum Pontificum sanctiones confirmavit postmodum et renovavit Benedictus XIV. novis apostolicis litteris ad Antistites Brasiliae et aliarum quarumdam regionum datis die XX. decembris MDCCXLI., quibus eumdem in finem ipsorum praesulum sollicitudinem excitavit (2). Antea quoque alius his antiquior praecessor noster Pius II., quum sua aetate Lusitanorum imperium in Guineam Nigritarum regionem proferretur, litteras dedit die VII. octobris MCCCCLXII. ad Episcopum Rubicensem eo profecturum; in quibus nedum Antistiti ipsi opportunas ad sacrum ministerium inibi cum maiori fructu exercendum facultates impertitus fuit, sed eadem occasione graviter in christianos illos animadvertit, qui neophytos in servitutem abstrahebant (3). Et nostris etiam temporibus Pius VII. eodem quo sui decessores religionis et charitatis spiritu inductus, officia sua apud potentes viros sedulo interposuit, ut Nigritarum commercium tandem inter christianos omnino cessaret.

Inhumanum hominum commercium prohibet.

§ 3. Hae quidem praecessorum nostrorum sanctiones et curae profuerunt, Deo bene iuvante, non parum Indis aliisque praedictis a crudelitate invadentium seu mercatorum christianorum cupiditate tutandis, non ita tamen ut Sancta haec Sedes de pleno suorum in id studiorum exitu laetari posset; quum immo commercium Nigritarum, etsi nonnulla ex parte imminutum, adhuc tamen a christianis pluribus exerceatur. Quare nos tantum huiusmodi probrum a cunctis christianorum finibus avertere cupientes, ac re universa nonnullis etiam venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis mature perpensa, praedecessorum nostrorum insistentes vestigiis auctoritate apostolica omnes cuiuscumque conditionis Christifideles admonemus et obtestamur in Domino vehementer, ne quis audeat in posterum vexare aut spoliare suis bonis aut in servitutem redigere, vel aliis talia in eos patrantibus auxilium aut favorem praestare, seu exercere inhumanum illud commercium quo Nigritae, tamquam si non homines sed pura putaque animantia forent, in servitutem utcumque redacti, sine ullo discrimine contra iustitiae et humanitatis iura emuntur, venduntur ac durissimis interdum laboribus exantlandis devoventur, et insuper lucri spe primis Nigritarum occupatoribus per commercium idem proposita, dissidia etiam et perpetua quodammodo in illorum regionibus praelia foventur. Enimvero nos praedicta omnia tamquam christiano nomine prorsus indigna, auctoritate apostolica reprobamus; eademque auctoritate districte prohibemus atque interdicimus, ne quis ecclesia-

(1) Vide Iuris etc. vol. I., p. 176.
(2) Iuris vol. III., p. 45.
(3) Iuris vol. IV., p. 524.

sticus aut laicus ipsum illud Nigritarum commercium veluti licitum sub quovis obtentu aut quaesito colore tueri, aut aliter contra ea quae nostris hisce apostolicis litteris monuimus praedicare seu quomodolibet publice vel privatim docere praesumat.

Promulgationis modum praecipit. § 4. Ut autem eaedem hae nostrae litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, decernimus et mandamus illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae, nec non curiae generalis in Monte citatorio, ac in acie campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari illarumque exempla ibidem affixa relinqui.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die III. dec. MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CLIX.

Fervente persequutione in Tunquino Occidentali facultatem confert Vicario Apostolico eiusque coadiutori, ut, si alter eorum e vitâ decedat, superstes ex missionariis Vicariatus sibi coadiutorem eligat Episcopum consecrandum illius ecclesiae in part. infid. quae ex morte alterius praesulis vacaverit (1).

---

(1) Eamdem facultatem, de qua in proxime antecedentibus literis, concedit ob eamdem causam Vicario apostolico Cocincinae eiusque coadiutori.

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Apostolatus officium nobis divinitus concreditum postulat, ut christifidelium necessitatibus maxima vigilantia consulamus.

§ 1. Itaque cum magno paterni animi nostri dolore nobis innotuerit in Apostolico Conchinchinae Vicariatu cruentam adhuc contra christifideles ac praecipue operarios evangelicos ethnicorum persecutionem fervere, magnoque propterea in discrimine versari illorum praesulem ven. fratrem Metellopolitanum Episcopum Vicarii Apostolici coadiutorem, ac tum ob Vicarii ipsius absentiam, tum ob persecutorum insidias valde timendum ne, memorato praesule in manus persecutorum incidente, grex ille diu maneat Pastore destitutus, nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, tam Vicario Apostolico quam supradicto coadiutori facultatem tribuendam censuimus, ut, altero eorum obeunte, superstes alter ex probatis vicariatus missionariis eum in coadiutorem sibi adlegere ac deputare valeat, quem in Domino digniorem iudicaverit, cum iure successionis et charactere episcopali, eodemque titulo ecclesiae in partibus infidelium, quo defunctus praesul praeditus fuerat.

§ 2. Quamobrem hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ tam Apostolico Vicario quam commemorato coadiutori necessarias atque opportunas facultates tribuimus atque concedimus, ut, cum alter eorum obeat, qui superstes ex ipsis fuerit, eum ex probatis vicariatus missionariis, quem digniorem ac magis huic muneri idoneum in Domino existimaverit, sibi in coadiutorem eligere possit, ita tamen ut coadiutor ita electus nonnisi ea, quae hac in re illi ab electore demandata fuerint, omnino praestare teneatur; quando autem munus huiusmodi quomodolibet vacaverit, coadiutorem ut supra eligendum Vicarium Apostolicum Conchinchinae cum omnibus et singulis facultatibus, quae ratione officii huiusmodi ab hac Apostolica Sede quomodolibet concessae sunt, ex nunc pro tunc auctoritate et tenore praedictis facimus et constituimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Praeterea, ut idem coadiutor ita eligendus charactere et titulo episcopali insignitus evadat, eidem electori facultatem facimus, qua eadem auctoritate nostra apostolica coadiutorem eligendum illius ecclesiae Episcopum eligat atque declaret, quae in partibus infidelium ex defuncti praesulis morte vacaverit, illique ut ad ecclesiam eamdem, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere, et apud eam personaliter residere minime teneatur, dicta auctoritate nostra concedat, indulgeat, atque ipsi electori vel alii catholico Antistiti gratiam et communionem cum hac Sede Apostolica habenti, ut unus ex ipsis eidem coadiutori ut supra eligendo, ac postea in Episcopum renuntiando, postquam ab eo professionem catholicae fidei iuxta articulos a sede nostra propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum receperit, munus consecrationis auctoritate nostra apostolica impendere licite valeat, accitis, et in hoc ei assistentibus, duobus loco Episcoporum presbyteris saecularibus, seu cuiuscumque Ordinis, Congregationis, et instituti regularibus praedictae huius sedis gratiam et communionem habentibus, dicta auctoritate plenam et liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen, eademque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut, nisi receptis ab illo per ipsum consecrantem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse consecrationis munus impendere et coadiutor dictum munus suscipere praesumpserint, consecrator Episcopus a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam coadiutor a regimine atque administratione ecclesiarum suarum suspensi sint eo ipso.

§ 3. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in tempore, ut huiusmodi coadiutorem ita eligendum ad liberum eiusdem muneris exercitium iuxta praesentium tenorem recipiant, admittant, illique in omnibus, quae ad officium huiusmodi pertinent, praesto sint atque obediant, suaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam seu poenam, quam rite tulerit in rebelles seu statuerit, ratam habebimus, et faciemus Deo auctorante usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus, pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X. decembris MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Apostolatus officium nobis divinitus concreditum postulat, ut christifidelium necessitatibus maximâ vigilantiâ consulamus.

§ 1. Itaque cum magno paterni animi nostri dolore noverimus, in Apostolico Tunquini Occidentalis Vicariatu cruentam adhuc contra christifideles ac praesertim operarios evangelicos ethnicorum persecutionem fervere, magnoque propterea in discrimine versari illorum Antistites, nempe Vicarium eiusque coadiutorem, ac valde timendum ne, iis in manus persecutorum incidentibus, grex ille pastore suo diu orbatus remaneat; nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, facultatem memoratis praesulibus dandam esse censuimus, ut, altero eorum obeunte, superstes alter ex probatis Vicariatus missionariis eum in coadiutorem sibi adlegere ac deputare valeat, quem in Domino digniorem iudicaverit, cum iure successionis et charactere episcopali, eodemque titulo ecclesiae in part. infid., quo defunctus praesul praeditus fuerat.

§ 2. Quamobrem hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ tam commemorato Vicario quam illius coadiutori necessarias atque opportunas facultates tribuimus atque concedimus, ut, cum alter eorum obeat, qui superstes ex ipsis fuerit, eum ex probatis Vicariatus missionariis, quem digniorem ac magis huic muneri idoneum in Domino existimaverit, sibi in coadiutorem eligere possit, ita tamen ut coadiutor ita electus nonnisi ea, quae hac in re illi ab electore demandata fuerint, omnino praestare teneatur; quando autem munus huiusmodi quomodolibet vacaverit, coadiutorem, ut supra, eligendum Vicarium Apostolicum Tunquini Occidentalis cum omnibus et singulis facultatibus, quae ratione officii huiusmodi ab hac Apostolicâ Sede quomodolibet concessae sunt, ex nunc pro tunc, auctoritate et tenore praedictis, facimus et constituimus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 3. Praeterea ut idem Coadiutor, ita eligendus, charactere et titulo episcopali insignitus evadat, eidem electori facultatem facimus, qua eâdem auctoritate nostrâ apostolicâ coadiutorem eligendum illius ecclesiae Episcopum eligat atque declaret, quae in part. infid. ex defuncti praesulis morte vacaverit, illique ut ad ecclesiam eamdem, quandiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime teneatur, dictâ auctoritate nostrâ concedat, indulgeat; atque ipsi electori vel alii catholico Antistiti gratiam et communionem cum hac Sede Apostolicâ habenti, ut unus ex ipsis eidem coadiutori, ut supra eligendo, ac postea in Episcopum renuntiando, postquam ab eo professionem catholicae fidei iuxta articulos a Sede nostrâ propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum receperit, munus consecrationis auctoritate nostrâ apostolicâ impendere licite valeat, accitis et in hoc ei assistentibus duobus, loco Episcoporum, presbyteris secularibus seu cuiuscumque Ordinis, Congregationis et instituti regularibus praedictae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, dictâ auctoritate plenam et liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen eâdemque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut nisi receptis ab illo per ipsum consecrantem iuramento et professione fidei huiusmodi ipse consecrationis munus impendere et coadiutor dictum munus suscipere praesumpserint, consecrator Episcopus a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam coadiutor a regimine atque administratione ecclesiarum suarum suspensi sint eo ipso.

§ 4. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit in tempore, ut huiusmodi coadiutorem ita eligendum ad liberum eiusdem muneris exercitium iuxta praesentium tenorem recipiant, admittant, illique in omnibus, quae ad officium huiusmodi pertinent, praesto sint atque obediant, suaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant, alioquin sententiam seu poenam, quam rite tulerit in rebelles seu statuerit, ratam habebimus et faciemus Deo auctorante usque ad satisfationem condignam inviolabiliter observari.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de

verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die x. decemb. MDCCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX.

CLX.

Ad avertenda religionis pericula ab Insulâ Mauritia, ad eam mittit Vicarii Apostolici munere et facultatibus praeditum Bernardum Collier Congregationis Anglo-Benedictinae.

Dilecto filio Bernardo Collier presbytero Congregationis Anglo-Benedictinae,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium nobis ex alto commissum nihil nos magis sollicitat, quam christifidelibus, ut in viam mandatorum Dei dirigantur, atque ad aeternam animarum suarùm assequendam salutem opportunis praesidiis adiuventur, omni quo cum Deo possumus studio providere.

§ 1. Cum itaque ex gravissimis testimoniis acceperimus, talem nunc esse catholicae religionis statum in Insulâ Oceani Indici, quae Mauritia dicitur, ut fides catholica ibi in permagnum discrimen adducatur, nisi haec Apostolica Sedes opportunum et efficax remedium afferat, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te pietatis, doctrinae, morum integritatis ac prudentiae laude praestantem, et rerum ad illam Insulam spectantium peritiâ praeditum, in Vicarium Apostolicum commemoratae Insulae eligendum esse duximus, quamplurimum in Domino confisi, quod ea quae tibi committenda censuerimus, cumulate sis expleturus.

§ 2. Quocirca te, quem per similes apostolicas literas hoc ipso die editas Episcopum Milevitanum sub Archiepiscopo Carthaginensi designavimus, in Vicarium Apostolicum eiusdem Insulae Oceani Indici, quae Mauritia dicitur, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, hisce literis auctoritate nostra apostolicâ eligimus, constituimus et deputamus cum omnibus et singulis facultatibus, quae huius propriae sunt muneris, salvâ tamen semper in praemissis ipsius Congregationis auctoritate.

§ 3. Mandamus praeterea omnibus et singulis ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompti pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere curent, alioquin sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctorante Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIV. febr. MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXI.

Gratulatur Praesidi novi Instituti Catholici in Angliâ eo consilio invecti, ut catholici in fide serventur, et libri edantur ad vindicandam Ecclesiam ab haereticorum calumniis.

Dilecto filio Comiti Ioanni de Shrewsbury Praesidi Instituti Catholici Magnae Britanniae,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum amaritudine repleremur ob mala quotidie magis magisque in Christi Ecclesiam ingruentia, eâ sane, dilecte fili, laetitiae causâ permoti sumus, ut moerore illo, quo conficiebamur, non parum levati, abundantiorem animo iucunditatem perceperimus. Accepimus enim, te aliisque praeclaris piisque viris curantibus, catholicum Institutum duobus ab hinc annis inductum in Angliâ fuisse eo praesertim consilio, ut divinae nostrae fidei asseclae sarti tectique serventur, atque immaculati Agni sponsa ab heterodoxorum calumniis per libros in lucem editos vindicetur. Quae quidem cum in maximum cedant Anglorum emolumentum, facile perspicis, dilecte fili, cur eo inde nos gaudio perfusi simus, haeredes divinitus consti-

tuti et nominis et Cathedrae illius Magni, qui Britanniam primus idololatriae tenebris involutam catholicae fidei face illustravit: scilicet in spem erigimur periucundam futurum ut divinae lumen veritatis eâdem denuo, qua olim, claritate Britannorum mentibus affulgeat. Nihil porro vehementius exoptamus, quam ut Anglorum gentem, tot tantisque dotibus exornatam, paternâ iterum exultatione complectamur, deperditasque iamdiu oves in electum Christi gregem recipiamus. Quamobrem, dilecte fili, non possumus quin te universosque, quorum piae Societati praefectus es, vehementer excitemus ad fervidas nobiscum preces misericordiarum Patri offerendas, ut caliginem illam teterrimam, quae tot infelicium in errore versantium adhuc occupat mentes, propitius depellat, filiosque Ecclesiae ab eâdem longe aberrantes ad desertae matris sinum clementer reducat. Interea tibi tuisque omnibus ad catholicum Institutum quomodocumque pertinentibus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. febr. MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXII.

Intuitu Syrorum Chaldaeorum Malabaris Vicario Apostolico Verapolis in praesentia subiectis, qui antea Archiepiscopo Cranganorensi subiiciebantur, iisque optantibus, praefatum Vicarium ad titulum ecclesiae archiepiscopalis evehit.

Ven. fratri Francisco Xaverio a S. Anna Episcopo Amatensi Vicario Apostolico provinciae Terrae Malabaris,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et gubernare. Dudum siquidem ecclesiarum omnium sic vacantium quaeque in posterum vacaturae, ordinationi et provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum atque inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 1. Cum igitur tu, ven. frater, nobis exponendum curaveris complura Siro-catholicorum millia spirituali tuae iurisdictioni nunc subiacere, qui anteactis temporibus Cranganorensi Archiepiscopo suberant, eosque magis magisque in catholicae fidei unitate firmari, aliosque adhuc haereticâ pravitate detentos ad Christi ovile posse perduci, si, quod summopere exoptant, scilicet a Praesule archiepiscopali titulo insignito, ut antea, gubernari assequantur, nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te ad archiepiscopalem sedem transferendum esse decrevimus. Et quoniam ecclesia archiepiscopalis Sardian., quae in part. infid. existit, solatio pastoris fuerit destituta, nos ad eiusdem Ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt nos certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter nos se potest intromittere, reservatione et decreto obsistentibus supra dictis, paterno ac solicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem et fructuosam cum iisdem venn. fratribus, ad te, qui nunc Episcopus Amatensis in part. infid. existis, et hactenus summâ cum laude Vicarii Apostolici munere provinciae terrae Malabarium es functus, quique in illis regionibus de catholica religione optime meritus es, oculos mentis nostrae direximus; quibus omnibus, debitâ ratione, perpensis, eamdem archiepiscopalem ecclesiam Sardian. de personâ tuâ, nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum meritorum praestantiam acceptâ, de eorum venn. fratrum sententiâ, providere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei

gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ te ab episcopatu Amatensi in part. infid. in illam transferimus, teque, dimisso titulo episcopali Amatensi, archiepiscopali Sardian. ecclesiae pariter in part. infid. in Archiepiscopum praeficimus atque pastorem, curam, regimen et administrationem illius tibi plenarie committendo in spiritualibus et temporalibus, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod, dirigente Domino actus tuos, praedicta Ecclesia Sardian. tuâ industriâ et studio utiliter et prospere dirigatur, grataque in spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiat.

§ 2. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens, curam et administrationem ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesiae praedictae gaudeant se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissas, et tu, praeter aeternae retributionis praemium, nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die x. aprilis MDCCCXL., pontificatus nostri anno x.

CLXIII.

In amplissimo consessu consistoriali praedicat illorum virtutem, qui, in Tonquinensi persecutione, pro fide Christi sua corpora tradiderunt.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XXVII. APRILIS MDCCCXL.

Venerabiles fratres,

Afflictas in Tunquino finitimisque regionibus christianorum res, eorumque fidem multiplici vexatione tentatam ingemiscimus iamdudum, ut probe nostis, venerabiles fratres, nec praetermisimus humiliare coram Deo animam nostram, et reseratis etiam indulgentiarum thesauris Ecclesiae filios excitare, ut pro fratribus in tanta illa tribulatione positis clementissimo Domino quotidianas preces et alia pietatis opera offerrent. Interea non defuit quae susceptum inde dolorem leniret consolationis causa ex invicto multorum animo, quos nullius periculi metus, non vincula, non verbera, non aliae diuturni temporis aerumnae, non ipse tandem praesentis mortis aspectus a professione catholicae fidei dimovere potuerunt. Iam vero quum praecipuarum rerum, quae illic proximis annis gesta sunt, testimonia satis idonea paullatim ad Sanctam hanc Sedem pervenerint, nostrum modo esse duximus praedicare in amplissimo Vestrum consessu illorum virtutem, qui pro fide Christi sua corpora tradiderunt, atque una vobiscum collaudare Christum ipsum in suis militibus triumphantem.

Atque ut exordium faciamus ab anno millesimo octingentesimo trigesimo quinto, fortem tunc in Cocincina regione Athletam Christi se praebuit missionarius Marchand, qui castro quodam, ubi a seditiosis detinebatur, per Regios Milites expugnato, comprehensus ab his, et in ferream caveam (quasi fera esset bestia) detrusus ad Urbem principem deductus est; ibique multa tormentorum vi ad deserendum Christum frustra sollicitatus, tandem exeunte novembri mense illius anni, Regis iussu in odium Fidei occisus fuit. Ibidem per eos dies claruit Sinensis quidam adolescens, viduae matris unicus filius, qui post aerumnas duri carceris toto pene biennio fortiter toleratas, laetus pro Christo cervicem suam carnificis gladio supposuit; abscissumque illius caput ipsa, quae praesens aderat, pia mater excepit.

Anno deinceps millesimo octingentesimo trigesimo septimo celebrata sunt in Tunquino Regno nomina presbyteri Ioannis Caroli Cornay, et fidelis indigenae Francisci Xaverii Cân. Horum primus cum missionarii munus inibi gereret, captus ab infidelibus et in caveam inclusus, cum ne crudelibus quidem verberationibus, quibus per tres menses affectus est, a fide Christi dimoveri potuisset, pro illa demum occubuit mense septembris memorati anni, obtruncato ei capite, membrisque in frusta concisis, atque in varias partes per ignominiam proiectis. Alter vero, qui eadem in regione Catechistae partibus fungebatur, pro Christo occisus est mense novembri, postquam a viginti ante mensibus in vincula coniectus, ac toto illo tempore multimodis divexatus, ob invictam in fide constantiam fidelibus iuxta atque infidelibus admirationi fuisset.

Silentio post haec praeterire cogimur

alios longe plurimos, de quibus non aliud fere novimus, nisi aut eo, de quo diximus, tempore, aut subsequentibus annis multos illorum lavisse pariter stolas suas in sanguine Agni; ceteros vero, etsi nondum fuissent pro Christo interempti, gravibus tamen molestiis tormentisque tentatos in confessione evangelii firmiter perseverasse. Quo in genere celebratam nominatim accepimus multarum Sinensium mulierum fortitudinem, in quibus fragilitatem sexus fidei ardor superavit.

Verum multi insuper sunt postremis iisdem annis mortem pro Christo perpessi, de quorum triumpho allatae huc relationes speciatim loquuntur. Inter illos recensetur presbyter Franciscus Jaccard in Regno Cocincinae missionarius, qui iamdiu in vincula datus et diversa in loca deductus, postquam repetita ubique invictae firmitatis documenta edidisset, tandem in odium fidei laqueo suffocatus est mense septembris anni millesimi octingentesimi trigesimi octavi. Eamdem cum ipso mortem sustinuit fidelis iuvenis indigena Thomas Thien.

Imprimis vero celebrabitur idem annus in historia Tunquinensium ecclesiarum; in quibus eo vertente tum fideles laici, tum presbyteri plures, tum sacri Antistites immarcescibilem Martyrii coronam sunt consequuti. Et primo quidem memorandus occurrit venerabilis frater Ignatius Delgado, Ordinis Praedicatorum, Episcopus Mellipotamensis et in Orientali Regni parte Vicarius Apostolicus; qui postquam quadraginta annos ad demandatae sibi provinciae curam advigilasset, tandem aetate gravis in manus incidit infidelium; a quibus in ligneam caveam detrusus, cum illata sibi tormenta patientissime tolerasset, horum et accedentis morbi vi paullatim confectus, mense iulio memorati anni obdormivit in Domino, antequam sententia contra eum a magistratibus prolata ad ipsos regio assensu approbata rediret. Non tamen abstinuerunt iidem a demortui capite postea obtruncando, quod in publico per tres dies suspensum, ac subinde in sportam cum lapidum pondere inclusum, ad fluminis profunda demerserunt: sed Deo ita mirabiliter disponente factum est, ut sacrum idem caput (quemadmodum in missa huc relatione narratur) post quatuor ferme a morte menses incorruptum omni ex parte atque illaesum ibidem inveniretur.

Pretiosam coram Domino laudati Vicarii Apostolici mortem praecesserat mense iunio martyrium sui coadiutoris venerabilis fratris Dominici Henares, Ordinis item Praedicatorum, Episcopi Fesseitensis; qui et ipse consenuerat in animabus ibidem iuvandis, ac demum una cum memorato Antistite quaesitus a militibus, ac paulo post captus, atque in caveam detrusus, graviterque vexatus, abscisso postmodum ei capite in fidei testimonium occubuit. Eamdem una cum ipso mortem sustinuit pius indigena Franciscus Chiêu, qui catechistae illic munus gerebat, fidemque Christi, cuius progressus adiuverat, constanter usque ad sanguinis effusionem confessus est. Simili paucos post dies supplicio affectus fuit presbyter item indigena Vincentius Yên Ordinis Praedicatorum, qui annos iam quadraginta in missionarii officio desudaverat. Is non uno tentatus vexationum genere constantissimus mansit in professione verae fidei; ac ne illa quidem fallacia uti voluit, quae sibi a magistratu quodam proposita fuerat ad mortis iudicium vitandum, videlicet ut, sacerdotali sua dignitate occulta, medicum se esse diceret.

Post hos mense iulio coronati sunt missionarius Iosephus Fernandez Ordinis Praedicatorum, et presbyter indigena Petrus Tuân; quorum uterque triginta eoque amplius annos in excolenda parte illa Dominicae Vineae laboraverant. Et Iosepho quidem caput obtruncatum est, postquam in caveam detrusus, et ante diversos iudices divexatus, praeclara ubique christianae fortitudinis exempla praebuisset. Petrus autem etsi pari iudicio damnatus, cum tamen regia eius sententiae confirmatio nondum advenisset, ipse vexationibus aerumnisque confectus ob fidei confessionem in vinculis obiit. Eadem ferme paucos ante dies causa fuerat senis indigenae catechistae Iosephi Uyên in tertium S. Dominici Ordinem ascripti, qui ob suam in fide constantiam multipliciter afflictus, et tandem lignei, quo ad collum premebatur, tormenti agitatione dire cruciatus, accepto inde vulnere aliquot post horas interiit.

Subinde celebris fuit confessio sacerdotis indigenae Bernardi Duê octoginta trium annorum aetate venerabilis; qui post multos labores in animarum salutem exantlatos, senio morbisque confectus ambulare vix poterat; et tamen re-

ligione conditioneque sua iteratis clamoribus annunciata, ex peculiari, ut arbitramur, divinae gratiae impulsu seipsum militibus prodidit. Ab his igitur captus, atque hinc vexatione multiplici ad deserendam fidem frustra tentatus, etsi iuxta publicas eius regni leges ob aetatem octoginta annis maiorem affici extremo supplicio non posset, nihilominus ex irrogato contra eum privilegio factum est, ut initio mensis augusti detruncato ipsi capite gloriosam pro Christo mortem subierit. Eodem supplicii genere una simul occisus fuit alius indigena presbyter Ordinis Praedicatorum nomine Dominicus Diêu Hanh; qui et praecedenti tempore pro animarum bono laboraverat plurimum, et novissime non paucos alios cruciatus pro Christi amore fortiter toleraverat. Paucos autem post dies simile mortis genus alacriter pro fidei confessione sustinuit alius Christi Athleta Iosephus Viên presbyter item indigena, qui antea in sacri ministerii laboribus sexdecim annos exegerat.

Hos septembri mense secutus est sacerdos alius eius regionis Petrus Tù Ordinis Praedicatorum, qui antequam abscisso capite occideretur, nedum in mediis vexationibus constantissimus ipse in fide permanserat, sed et christianos simul vinctos impavide in praesentiam etiam iudicum ad perseverantiam fuerat exhortatus. Huic eodem martyrii genere comes fuit Iosephus Cành, provecta aetate vir, in tertium S. Dominici Ordinem cooptatus, idemque inter fideles sui pagi spectatissimus, qui bene admodum de vera religione meruerat. Denique novembri mense presbyter Petrus Dumoulin Borie, atque insuper bini sacerdotes indigenae una simul pro Christi amore fortiter occubuerunt. Atque haec quidem, uti diximus, contigerunt anno millesimo octingentesimo trigesimo octavo.

Nuper autem memoratas Cocincinae Tunquinique regiones novo virtutis fulgore illustrarunt tres milites christiani, quos superiori anno ob fidei confessionem in Tunquino vinculis mancipatos provinciae Praeses quum nullis neque blanditiis, neque minis, neque tormentis a caritate Christi separare potuisset, tandem ipsos propinati per fraudem medicamenti vi sensibus alienatos super Sanctissimi Redemptoris imaginem iussit imponi: ac postmodum litteras dedit ad regem de christiana religione ab illis per crucis conculcationem abnegata. Verum pii milites, qui interim e carcere cum pecuniae subsidio dimissi fuerant, re subinde cognita, nihil morati sunt quin ad Praetorium irent, ubi pecuniam, quae dolo eis data fuerat, palam proiicientes coram magistratibus memoratoque Praeside rursus confessi sunt fidem nostram, seque ab eius sanctitate nequaquam recessisse protestati, ipsam aeque in posterum firmissime retenturos professi sunt. Post hanc afficti sibi sceleris praeclaram adeo ac manifestam depulsionem, bini eorumdem militum, nomine Nicolaus et Augustinus, adierunt insuper longo itinere ad regiam Cocincinae urbem, regemque ipsum de his, quae contigerant, ac de sua in Christi famulatu constantia oblato in id libello certiorem fecerunt. Hinc iterum iussu principis ad fidem deserendam frustra sollicitati, demum mense iunio anni proximi ad martyrii palmam feliciter pervenerunt, eorumque corpora detruncato iam capite in quatuor partes dissecta, et in maris profundum demersa sunt.

Habetis igitur, venerabiles fratres, in oratione hac nostra breve illorum elogium, qui ex omni catholici cleri populique ordine in supradictis ultimi pene orientis partibus veram Christi fidem nedum vario aerumnarum tormentorumque genere sustinendo, sed fuso etiam sanguine clarificarunt. Faxit Deus, ut facultas deinceps non desit de tota hac causa rite inquirendi, quo Sancta haec Sedes ad pontificiarum sanctionum normam possit de ipso tot novorum martyrum triumpho eisdemque fidelium venerationi proponendis iudicium ferre. Firma interim spe sustentamur ut auctor fidei et consummator Christus Dominus, cuius adiutrice gratia factum est, ut fortes in certamine permanerent, respiciat modo super sponsam suam Ecclesiam recenti filiorum sanguine coruscantem, eamque a calamitatibus, quibus affligitur, propitiatus eripiat; speciatim vero in regionibus eodem sanguine irrigatis multiplicato credentium numero iustitiae fruges amplificet.

CLXIV.

Nicolao Isaiae Iacobi Babylonensis nationis Chaldeorum Patriarchae sacrum pallium concedit.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XXVII. APRILIS MDCCCXL.

Venerabiles fratres,

Quas Ecclesia Catholica passa sit vices apud gentem Chaldaeorum ex quo, postquam Nestoriani regiones illas occupassent, Episcopus Seleuciensis in nomen ac dignitatem patriarchatus Babylonensis invasit, probe scire fraternitates vestras ducimus: compertum item habetis quantum Romani Pontifices, pro imposita sibi sollicitudine omnium ecclesiarum, laboraverint, in curam intenti, ut populos illos sicut oves quae perierant extra unam veram Ecclesiam errantes, in caulam Domini revocarent. Utinam vero pares pastoralibus illorum studiis ac laboribus fructus respondissent! Spes quidem identidem felicis exitus ostensa est, praesertim medio circiter saeculo sextodecimo, cum vir praeclarus Simeon Sulacha a catholica parte nationis Chaldaicae pastor electus est, et a fel. record. Iulio III. electione confirmata, Patriarcha solemni ritu constitutus: item sub fel. record. Innocentio XI. a quo Iosephus dictus Primus, fuit Patriarcha renunciatus.

At mansit nihilo minus duplex illa series Patriarcharum, altera schismaticorum; altera catholicorum: donec, conditionem populorum illorum miserante Domino, Pio VI. immortalis memoriae praedecessori nostro contigit ut complures ex gente Chaldaeorum Patriarchae Nestoriano adhuc subiectos in sinum communis matris Ecclesiae redeuntes exciperet. Nam Ioannes de Hormez, qui ab Elia Patruo schismatico Patriarcha Babylonensi successor suus fuerat declaratus, Ecclesiae Romanae se adiunxit. Is tamen ob exortas in eadem gente controversias diu agnitus fuit tantum ut Archiepiscopus Mosulensis, nec nisi anno MDCCCXXX. a fel. record. praedecessore nostro Pio VIII. renunciatus est Patriarcha Babylonensis, et sacri Pallii honore decoratus: antea constituto, ut Patriarchatus abrogaretur dictus Diarbechirensis, ex quo in ea Mesopotamiae civitate Patriarchae catholici sedem suam habere coeperunt. Porro cum postmodum senio languescens Patriarcha Ioannes de Hormez vix iam valeret muneri suo satisfacere, visum est nostrae Congregationi Fidei Propagandae coadiutorem illi cum iure futurae successionis esse assignandum, eamque dignitatem tribuendam Nicolao Isaiae Iacobi Hadirbegiano in Perside Archiepiscopo, quem ipse Ioannes consecraverat, Collegii Urbani olim alumno. Consilium hoc eiusdem Congregationis initum die x. sept. MDCCCXXXVIII. rescripto nostro probavimus dato die XVI. mensis eiusdem, nullaque interposita mora, apostolicae litterae sub annulo Piscatoris ea de re fuerunt expeditae, quibus eumdem Isaiam coadiutorem Patriarchae Babylonensis cum iure futurae successionis esse a nobis electum et constitutum declarabamus; ita tamen ut, ipso Ioanne de Hormez vivente, nihil ei fas esset agere in patriarchatus administratione, nisi quantum et quatenus idem Ioannes esset ordinaturus; eiusque, ad eam quod attineret, mandata omnino praestare et implere deberet; si autem ille interim esset e vita excessurus, aut forsan iam excessisset priusquam eaedem nostrae litterae pervenissent, seu praedictus eius patriarchatus quocumque modo vacaret, eumdem Nicolaum Isaiam in eius locum et gradum item declarabamus velle nos illico subrogatum cum omnibus et singulis facultatibus, quae praedicto Ioanni ratione patriarchatus ab hac Apostolica Sede concessae et attributae fuissent, dimisso caeteroquin prius archiepiscopatu Hadirbegiano ritus Chaldaici, quo potiebatur. Casus re ipsa accidit, cui provisum fuerat. Nam cum litterae illae nostrae in Mesopotamiam allatae sunt, iam excesserat Patriarcha Ioannes de Hormez: obiit enim die XVI. augusti anno MDCCCXXXVIII.; illud autem accidit sane quam opportune, ut nondum novus illic Patriarcha electus esset. Itaque, litteris apostolicis publicatis, agnitus acceptusque est Patriarcha Nicolaus Isaias Iacobi, utque ex litteris ab Oriente recens acceptis intelleximus, iam se ille Bagdadam contulerat, ubi Franciscum Villardellium Archiepiscopum Philippensium Visitatorem apostolicum opperiebatur, varias patriarchatus dioeceses cum eo perlustraturus. Cum igitur is earumdem vi litterarum apostolicarum iam Ioanni successerit ex coadiutore factus Patriarcha, unum illud reliquum est, ut eius dignitas sacro pallio, pastoralis officii plenitudinis symbolo, amplificetur.

Qualem eum antea cognovimus cum successorem Ioannis de Hormez consti-

tuimus, Episcopum videlicet singulari pietate, doctrina, prudentia, zelo religionis, rerum gerendarum peritia, aliisque animi ingeniique dotibus insignem, talem se postea constanter praebuisse minime dubiis confirmatur testimoniis. Huic proinde nos hoc ipso in consistorio mysticum insigne Pallii sumpti de corpore B. Petri Principis Apostolorum libenter admodum concedimus, ei tradendum postquam de more fidei professionem coram eo, cui hanc accipiendam delegabimus, emiserit: minime dubitantes, quin unquam sit obliturus vestitum ipsum, quo ornatur, ut sanctus Pontifex Symmachus monuit Theodorum Laureacensem, *crucis signum praetendere, per quod sciat se debere cum fratribus compati, et mundi illecebris in affectu crucifigi.*

Quod vero id honoris ipsi antea constituto in gradu patriarchali nunc conferamus, qua de causa id fiat, ex iis quae diximus luculenter apparet. Ita recenti quoque memoria, immortalis recordationis Pontifex Benedictus XIV. Cyrillo Patriarchae Antiocheno Graeco-Melchitarum, cum iam ille antea ab hac S. Sede electionis confirmationem obtinuisset, sacri Pallii honorem concessit (1).

CLXV.

Nova Erectio Californien. in America.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Novae erectionis rationes exponit.

§ 1. Apostolicam sollicitudinem, qua tenemur omnium ecclesiarum, nullo non modo locorum intervallo aut fidelium longinquitate debilitari et imminui, sed augeri potius, atque inflammari exinde videtur. Cum enim difficilius remotissimis ovibus ad hoc catholicae unitatis centrum effugium pateat, nec frequentibus eas monitis, consiliis, exhortationibus, spiritualibus denique quibuscumque subsidiis recreare, aut illarum vulneribus peropportune mederi naturali regionum conditione ac distantia queamus, illud profecto nobis usuvenit, quod pientissimae matri a filiis longe sciunctae interdum contingit, quos quidem eo maiori prosequitur caritatis amore, quo minus ad omnia absentibus praestanda praecipuae dilectionis officia se parem animadvertit. Hinc non tantum coelestium benedictionum cumulum huiuscemodi gregis parti, quam in animo gerimus, quotidie precamur, sed nihil insuper infectum relinquimus, quod spirituali eiusdem saluti aliquatenus benevertat. Haec nobis assidua mente revolventibus, qui in Mexicana Americae septemtrionalis ditione rerum summa potiuntur, humillime supplicarunt, ut a dioecesi de Sonora, intra limites eiusdem Mexicanae ditionis posita, Californiam avellere, atque inibi sedem episcopalem Californiensem nuncupandam erigere, eidemque proprium praeficere Episcopum apostolica auctoritate vellemus. Licet enim Sonorensis dioecesis origo non sit altius repetenda anno MDCCLXXIX. eademque ex apposita finitimarum dioecesum de Guadalaxara ac de Durango dismembratione coaluerit, nihilo tamen secius territorium illud tam late protenditur, ut non modo ingentes provincias, de Sonora, Hostimuri et Cinaloa, sed universam insuper Californiam vastissimo sane ambitu concludat. Haec vero, quae septingentas, uti ferunt, excedit leucas, in veterem ac novam dividitur; illa Peninsulam Californiam complectitur, quam veteres rerum naturalium scriptores insulam esse maluerunt; ista autem per istmum quemdam ignotum veteri Californiae coniungitur ac consociatur; ambae vero unam ex Mexicanis provinciis in praesentiarum constituunt. Quod si mens convertatur ad maximam viarum asperitatem, ad praecipites fluminum cursus, quae traiici interdum nequeunt, atque insuper ad ingentium montium catenam, quos sylvestres homines incolunt, plane apparebit, Sonorensem Episcopum hisce de causis praepediri quominus gregem suae fidei traditum ea quae caeteroquin necessario foret, utilitate regat ac moderetur, integram dioecesim perlustret, atque in eorum conversionem totus incumbat, quos Evangelii luce carentes, densissimis errorum tenebris involutos vehementer ingemiscimus. Quo teterrimo omnium malo peculiarem in modum tum vetus, tum nova California laborat. Quamvis enim missionarii ex Ordine Sancti Dominici ac

(1) Per literas ap. die XIII. augusti eodem anno expeditas ad exitum est perducta confirmatio.

Sancti Francisci spiritualem illarum curam gerant, utraque tamen in extrema Sonorensis dioeceseos parte sita est, neque idcirco Pastoris praesentia iuvatur, qui potens opere ac sermone plebem verbo aedificet atque exemplo, depravata corrigat, disrupta consolidet, debiles in fide confirmet, coecos illuminet.

Praecum expositio.

§ 2. Haec aliaque rationum momenta a Gubernos Mexicanae ditionis per suum apud Apostolicam Sedem negotiorum gerem allata tanti ponderis apud nos fuestorunt, ut, omnibus matura deliberatione perpensis, inspectaque maxima rei utilitate, porrectis postulationibus libentissime obsecundaremus. Itaque ex certa scientia, apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam motu proprio, consensui ven. fr. Lazzari de la Garza hodierni Episcopi de Sonora, aliorumque quorum interesse potest, derogantes, universam praedictam Californiam, tam veterem, scilicet, quam novam, una cum omnibus et singulis paroeciis, ecclesiis, conventibus et monasteriis, aliisque quibuscumque saecularibus ac quorumvis ordinum regularibus beneficiis, ibidem forsitan existentibus, itemque utriusque sexus personis, habitatoribus, et incolis tam laicis, quam clericis presbyteris, beneficiatis ac religiosis cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis ibi pariter degentibus, a dioecesi de Sonora, ad quam spectabant, perpetuo dismembramus, secernimus, separamus; terram insuper seu civitatem a S. Didaco nuncupatam in nova California existentem, quae in media California posita est quaeque prae ceteris locis aptior dignoscitur, cum suis curia et cancellaria ecclesiastica, cum omnibus ac singulis honoribus, iuribus, privilegiis et praerogativis quibus caeterae civitates pontificali sede in Mexicana ditione insignitae earumque cives utuntur et gaudent, in civitatem episcopalem erigimus atque instituimus.

Terram S. Didaci in ecclesiam cathedralem erigit.

§ 3. Ecclesiam maiorem in praefata terra Sancti Didaci in civitatem erectam, ad honorem et dignitatem ecclesiae cathedralis evehi atque attolli, et in ea sedem atque cathedram pontificalem pro uno deinceps Episcopo Californiensi nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati et dioecesi infra assignandae, eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, atque omnia et singula iura, officia ac munia episcopalia habeat atque exerceat cum suis capitulo, arca, sigillo, mensa, ut infra constituenda, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, iuribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, iurisdictionibus et praerogativis, quibus reliquae cathedrales ecclesie Mexicanae ditionis earumque praesules potiuntur,. dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non sint eis attributa, perpetuo pariter erigi atque institui mandamus.

Dioecesis limites.

§ 4. Cathedrali ecclesiae Californiensi hoc modo erectae ut propria deinceps dioecesis tribuatur, illius Antistiti universam novam ac veterem Californiam a Sonorensi dioecesi ut supra avulsam et disiunctam pro dioecesi novi episcopatus Californiensis adiudicamus et adsignamus, quam quidem Californiam sic attributam atque adsignatam ac in ea existentes seu existentia paroecias, ecclesias, conventus, monasteria et quaecumque alia saecularia ac quorumvis ordinum regularia beneficia, utriusque sexus personas et incolas tam clericos quam laicos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus ordinariae novi pro tempore existentis Antistitis ecclesiae Californiensis iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati perpetuo similiter subiicimus, eique pro civitate, territorio, dioecesi, clero et populo perpetuum pariter in modum adsignamus atque attribuimus.

Novae ecclesiae dotem Mexicanum Gubernium providebit.

§ 5. Ut autem futurus pro tempore existens Episcopus Californienis suam possit decenter tueri dignitatem et Vicario Generali, curiaque episcopali apte providere, congruam in bonis stabilibus dotem, quam Mexicanum gubernium ex data fide constituet, mense episcopali adscribimus atque attribuimus.

Idem quoad cathedralis manutentionem.

§ 6. Quod vero attinet ad fabricam novae cathedralis ecclesiae Californiensis, eam similiter dotem pro illius manutentione perpetuum in modum adscribimus atque adiudicamus, quam idem gubernium se traditurum spopondit, proprias aedes pro futuri Episcopi habitatione eiusque curiae episcopalis residentia decente forma et commodo loco et proximiores quantum fieri poterit ecclesiae cathedrali, quamprimum adsignari atque attribui volumus: quae si modo desint easque conduci oporteat, rationem pensionis pro illarum conductione solvendae habendam esse decernimus.

Capitulum novae cathedralis ecclesiae.

§ 7. Quod spectat ad erectionem capituli cathedralis ecclesiae, eiusque dotatio-

nem similiter in bonis stabilibus nec non ad erectionem ac dotationem ecclesiastici clericorum seminarii, memoratum gubernium, cum primum pro locorum ac temporum adiunctis datum fuerit, id omne praestabit, quod aliis capitulis cathedralibus et seminariis ecclesiasticis Mexicanae ditionis tribui solet.

Metropolitico iuri Arch. Mexicani subiicit.

§ 8. Praefatam Ecclesiam Californiensem sic constitutam Archiepiscopo Mexicano metropolitico iure subiici mandamus, iisque omnibus frui statuimus facultatibus, exemptionibus et iuribus, quae ad caeteras suffraganeas metropolitanae Mexicanae ecclesiae pertinent.

Taxa.

§ 9. Fructus vero eiusdem novae Ecclesiae Californiensis de more taxari ad florenos auri de Camera triginta tres ac tertiam floreni partem, atque huiusmodi taxam in libris camerae apostolicae et sacri Collegii describi iubemus.

Executorem lit. ap. eligit.

§ 10. Ut vero cuncta a nobis ut supra disposita ad suum perducantur effectum, venerabili fratri Emmanueli Posada y Garduno metropolitanae ecclesiae Mexicanae Archiepiscopo, quem harum nostrarum litterarum exequutorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes et opportunas ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates, ut ipse per se vel per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ab eo subdelegandam omnia statuere ac decernere valeat atque etiam cum facultate eidem exequutori, sive eius subdelegato, definitive libere ac licite pronunciandi super quacumque oppositione in actu executionis quomodolibet forsan oritura, iniunctaque ipsi obligatione diligentes in decreto exequutoriali describendi fines praesertim novae Californiae ac mittendi ad Apostolicam Sedem intra sex menses ab expleta litterarum apostolicarum exequutione exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium, quae in harum litterarum exequutionem emittet, ut in tabulario Congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservetur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 11. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, eorum consensui, quatenus opus sit, de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari aut in eis controversiam vocari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus ac generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum pradecessorum nostrorum dispositionibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis.

§ 13. Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo, quinto kalendas maias, pontificatus nostri anno decimo.

CLXVI.

Nova erectio archiepiscopalis ecclesiae Sancti Iacobi in America meridionali olim episcopalis.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Rationes exponit novae erectionis.

§ 1. Beneficentissimo divinae providentiae consilio factum est, ut quae pars mundi iamdudum ignota delituerat, ea-

dem et in lucem reliquorum hominum prodiret, simulque fulgidissimis Evangelii radiis illustraretur. Ubi siquidem Romani Pontifices detectam Americam atque illius incolas sedentes in tenebris et umbra mortis intellexerunt, nullam pati moram potuerunt quominus vastissimas inventi orbis regiones in apostolicae sollicitudinis partem adsciscerent, et qua Verbi Dei praeconibus illuc dimissis, qua novis dioecesibus institutis, omni denique solertiae, pietatis atque industriae genere miseros illos homines densissimis errorum nebulis obvolutos ad terendum salutis iter adducerent. Has inter Americae regiones ingenti territorii vastitate atque indigena divitiarum copia maximam Chilensis ditio nominis celebritatem ubique terrarum sibimetipsi comparavit: non modo enim octoginta Archipelagi insulas, sed tresdecim insuper provincias amplissimo sane ambitu concludit. Ibi vero quinquies ferme diversantur hominum centena millia, pluresque Gentilium tribus, qui passim in sylvis, insulis ac montibus altissimis degunt. Quamvis autem istiusmodi territorium tam longe lateque protendatur, duae nihilominus cathedrales ecclesiae inde ab Evangelii praedicatione ibidem institutae reperiuntur, altera scilicet quae a S. Iacobo, altera vero quae a SSma Conceptione praenomen habet, cum utraque metropolitico Archiepiscopi Limani Peruviani regionis iuri subiiciantur. Hinc summus Chilensis ditionis praeses a nobis enixe postulavit, ut memoratam sedem episcopalem S. Iacobi honore ac dignitate archiepiscopalis ecclesiae cumularemus, cui dioecesis non modo SSmae Conceptionis, sed aliae quoque cathedrales ecclesiae brevi ibidem erigendae suffragarentur, quo animarum saluti ac fidelium commodo satius consultum foret. Quod sane consilium conveniens non modo, sed rebus sacris rite moderandis aptissimum visum est. Quemadmodum enim naturali soli illius pulchritudine, viarum commoditate, aedificiorum elegantia, civium cultura ac singulari commercii studio civitas S. Iacobi reliquis omnibus ditionis Chilanae locis longe antecedit, eisdemque dominatur, ita quoque cathedralis templi amplitudo, cleri dignitas, parochiales ecclesiae ibidem institutae, piae institutiones pauperibus praesertim aegrotis sublevandis, religiosorum denique virorum coenobiis, ac sacrarum Virginum monasteria, quibus abunde ditatur, eam dignissimam ostendunt, cui exoratus archiepiscopalis ecclesiae honos habeatur. Id vero christiano populo omnino percommodum ac pene necessarium intelleximus, ne, cum ab Episcopis suffraganeis ad Metropolitam provocandi detur occasio, Limam contendere dissentientes cogantur ea quidem itineris asperitate, quae ex praeruptis admodum locis, atque ex interiectis Chilensem inter ac Peruvianam provinciam desertis necessario suboritur.

A metropolitica eccl. Limana eximit eccl Sancti Iacobi et Conceptionis de Chile.

§ 2. Haec aliaque rationum momenta sane gravissima animo reputantes ac praecipua quadam caritate extimulati, qua Christi fideles in Chilensi ditione positos in Domino complectimur, cunctis matura deliberatione perpensis, porrectis postulationibus libentissime annuentes et consensui eorum quorum forte intersit, caeterisque contrariis quibuscumque, speciali quoque mentione dignis, derogantes, ad gloriam Dei et Iesu Christi filii eius Salvatoris nostri, cuius vices licet immerentes in terris gerimus, et ad militantis ecclesiae exaltationem, ex certa scientia, motu proprio, et de apostolica potestatis plenitudine ecclesiam Sancti Iacobi atque alteram SSmae Conceptionis de Chile, quae nunc archiepiscopali Ecclesiae Limanae metropolitico iure subiiciuntur, perpetuo subtrahimus atque eximimus, easque a metropolitica iurisdictione Ecclesiae Limanae in Peruviana ditione positae, suoque in presentiarum viduata Pastore, subtractas omnino atque exemptas volumus.

Eccles. S Iacobi in archiepiscopalem erigit.

§ 3. Eamdem Ecclesiam Sancti Iacobi sic exemptam ac plane liberam in archiepiscopalem et metropolitanam ecclesiam atque in ea archiepiscopalis et metropolitani praesulis Sancti Iacobi de Chile sedem et provinciae caput pro uno deinceps Archiepiscopo Sancti Iacobi, qui pallii et crucis usum ex aliorum Archiepiscoporum more habeat cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa archiepiscopali, omnibusque archiepiscopalibus insigniis, privilegiis, honoribus, iuribus, quibus aliae metropolitanae Ecclesiae Americae meridionalis earumque Antistites, non tamen titulo oneroso, vel ex indulto aut privilegio particulari, utuntur et gaudent, erigimus atque instituimus, ac insimul venerabilem fratrem Emanuelem Siuma hodiernum Sancti Iacobi de Chile Antistitem nomine, titulo et iurisdictione Archiepiscopi et me-

tropolitae donari, cunctisque aliis, quae Archiepiscoporum et Metropolitarum sunt propria, iuribus, privilegiis ac praeeminentiis, excepto usu Pallii, donec illud ex more petierit, vigore presentium dumtaxat, ac sine nova provisione novaque literarum apostolicarum expeditione, uti ac frui volumus atque decernimus,

Eccl. SSmae Concept. eccl. S. Iacobi subiicit.

§ 4. Praefatam vero ecclesiam SSmae Conceptionis de Chile ut supra exemptam et a metropolitico iure ecclesiae Limanae prorsus liberam, metropoliticae iurisdictioni eiusdem archiepiscopalis ecclesiae Sancti Iacobi pariter perpetuo subiicimus, et in eius suffraganeam adsignari, ipsique metropolitanae ecclesiae S. Iacobi in praedictam ecclesiam SSmae Conceptionis iura, privilegia, honores et facultates, quibus Metropolitani ex sacrorum Canonum et apostolicarum constitutionum praescripto in suffraganeas pollent ecclesias, perpetuo similiter concedimus et attribuimus.

Executori har. liter. facultates confert.

§ 5. Quocirca ad huiusmodi archiepiscopatus erectionem et ad singula superius expressa accuratissime implenda eidem Emmanueli Episcopo, quem in praesentium literarum nostrarum exequutorem eligimus, necessarias atque opportunas tribuimus facultates, ut ipse per se vel per alium virum ecclesiastica dignitate constitutum ab eo subdelegandum cuncta statuere ac decernere valeat, quae ad optatum effectum superius decreta cumulate perducant; atque etiam facultatem eidem exequutori sive illius subdelegato concedimus, ut super quacumque oppositione in actu executionis quomodolibet forsan oritura, et qualibet appellatione remota, definitive libere et licite pronunciare possit et valeat. Ipsi vero exequutori praecipimus atque mandamus ut intra sex menses ab expleta praesentium litterarum executione exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium quae in praefatarum litterarum implementum emittet, ad hanc Apostolicam Sedem diligenter mittendum curet, illudque in archivo nostrae congregationis negotiis consistorialibus praepositae de more asservari volumus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§ 6. Praesentes autem litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii, quorum interest aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios ac integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non alias, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam palatii apostolici auditores, Apostolicae Sedis Nuntios et S. R. E. Cardinales, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi seu interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane decernimus atque declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de dismembrationibus ad partes committendis, etiam vocatis omnibus, quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis ac Lateranensis concilii novissime celebrati, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis, etiam in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis.

§ 8. Huiusmodi vero litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum in iudicio et extra fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Sanctio poenalis

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae subtractionis, divisionis, erectionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo, duodecimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno decimo.

CLXVII.

Erectio episcopalis ecclesiae S. Caroli in America meridionali.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Novae erectionis rationes.

§ 1. Ubi primum universalis Ecclesiae procurationem nobis licet immerentibus collatam divinitus intelleximus, nullis profecto curis ac laboribus parcendum duximus, ut, qui catholicae veritatis luce perfusi filii Dei vocantur et sunt, stabiles in fide permanerent; quos vero ab ipsius sinu longe aberrantes lamentaremur, iidem ad Christi ovile omni sollicitudinis genere traducerentur. Quibus sane praecipuis supremi apostolatus muneribus rite adimplendis maxime inservit ea dioecesium circumscriptio, qua dilecti animarum Pastores fideles oves facile cognoscant, ab iisdemque cognoscantur, perditos autem homines et errorum laqueis misere implicitos in libertatem filiorum adoptionis per verbum Christi restituant. Si vero tanta sit regionum amplitudo, vel naturalis eorumdem conditio, ut singulos Episcopi adire locos praesentes nequeant, vix ac ne vix quidem hisce rebus ea qua decet vel sedulitate vel utilitate gerendis pares evadent.

§ 2. Hisce rationibus adductus supremus Chilensis ditionis praeses a nobis humiliter efflagitavit, ut SSmae Conceptionis dioecesim dismembrare ac civitatem seu oppidum S. Caroli, quod provinciae, cui nomen Chiloa, caput est et princeps ac maximo quoque portu celebratur, quodque prae aliis opportunius videtur, in sedem episcopalem nomine eiusdem S. Caroli nuncupandam erigere alterumque ibi Episcopum praeficere apostolica auctoritate vellemus. Retulit enim incolarum numerum per eas regiones ab institutione dioecesis SSmae Conceptionis labentibus annis maxime increbuisse adeo ut unus Antistes curis laboribusque, in regimine dioecesis perferendis, omnino impar iure meritoque dignoscatur. Ea idcirco dioecesis, quae latissime fines suos protendit, ducenta ac septuaginta comprehendit hominum millia praeter quamplurimas infidelium tribus hac illac per nemora et montes vagantes; civitas vero episcopalis in extremo propemodum dioecesis boreali territorio sita est, ac propterea quam longissime absunt, qui in adversa dioecesis parte commorantur. Huc illuc etiam accedit, quod ea loca inter se longius dissita sunt quoque plerumque admodum praerupta, asperrimis itineribus vix obvia, pluribus aerumnis laboribusque obnoxia et infestissimis barbarorum incursionibus identidem vexata.

Quibus rebus facile colligitur istiusmodi dioecesis Pastorem praepediri quominus gregem sibi concreditum ea qua par est sedulitate utilitateque depascat, integram dioecesim pro suo quoque tempore perlustret, civibus pro rerum opportunitate necessitateque communicet, illorum denique conversioni strenue incumbat, qui evangelica doctrina nondum instituti in discrimine aeternae salutis versantur. Haec profecto praecipue spectant populi ad extremam eiusdem dioecesis meridionalem partem degentes et longissimo ab hinc tempore destituti omnino praesentia Pastoris, qui nedum pueris sed senioribus etiam Sacramentum Confirmationis impertiatur, qui sacros Ordines poscentibus idoneisque viris conferat, qui denique verbo et exemplo infirma curet, depravata corrigat, disrupta consolidet, periclitantes in fide confirmet et caecos illuminet.

S. Caroli dioecesis erectio.

§ 3. Quare percommodum nos existimavimus consilium dismembrandi a dioecesi SSmae Conceptionis provincias Valdiv. cum Archipelagis de Chiloe et Guaitecas, itemque insulam Mocham, ut novam inde Sancti Caroli dioecesis erigatur, quae quidem istiusmodi posita circumscriptione fines suos prolatura est in leucas circiter centum a nordicis ad australes plagas, ab orientalibus autem ad occidentales in leucas circiter quinquaginta, ita ut, praeter quamplurima indorum ethnicorum millia, incolar. septuaginta millia sub ecclesiastica iurisdictione sit habitura.

Iam vero haec atque alia rationum momenta a Chilensi Gubernio sollicita prece delata tanti ponderis apud nos fuerunt, ut in reservatione utentes quam, apostolicis litteris expressimus super nuperrima Sanctissimae Conceptionis ecclesiae provisione, novam scilicet dioecesis circumscriptionem prout in Domino expedire iudicaverimus decernendi, et quatenus opus sit eorum quorum interesse posset consensui derogantes, cunctis rebus matura deliberatione perpensis porrectisque supplicationibus obsecundare cupientes, ex certa scientia, motu proprio et apostolica potestatis

plenitudine praefatas provincias Valdivian. et Chiloaam nec non Archipelagum de Chiloè et Guaitecas ac etiam Insulam Mocham a dioecesi SS̃mae Conceptionis perpetuo dividimus ac dismembramus, proindeque omnes paroecias, ecclesias, capellas, coenobia, monasteria et alia quaecumque secularia ac quorumvis ordinum regularia beneficia, quae inibi forsitan existant, itemque sexus utriusque personas tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, presbyteros beneficiatos et religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis, potestate ac superioritate Episcopi SS. Conceptionis pro tempore existentis seu eius dioecesis ordinarii perpetuum pariter in modum eximimus atque liberamus.

Sedem episcopalem erigit in civitate S. Caroli.

§ 4. Hac vero dismembratione, divisione et exemptione peracta, oppidum seu civitatem S. Caroli quae est in provincia Chiloaae, in civitatem episcopalem erigimus atque instituimus cum curia et cancellaria ecclesiastica, eamque in civitatem episcopalem sic erectam et institutam omnibus et singulis frui honoribus, iuribus, privilegiis et praerogativis volumus, quibus coeterae pontificali sede insignitae in Chilensi ditione civitates eorumque cives utuntur ac fruuntur; ecclesiam praestantiorem praefatae civitatis Sancti Caroli ab executore praesentium litterarum nostrarum, qui inferius a nobis delegabitur, designandam ad honorem dignitatemque cathedralis ecclesiae erigimus atque attollimus, ut in ea sedem episcopalem pro uno deinceps Episcopo S. Caroli nuncupandam, qui eidem ecclesiae civitati et dioecesi infra assignandae eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, atque omnia et singula iura officia et munia episcopalia habeat exerceatque cum suis capitulo, arca, sygillo, mensa ut infra constituenda, caeterisque pontificalibus insigniis, iuribus, honoribus praeeminentiis, quibus reliquae cathedrales ecclesiae Chilensis ditionis earumque praesules potiuntur, dummodo titulo oneroso aut ex peculiari indulto non sint eis attributa, perpetuo pariter erigimus atque instituimus.

Novae dioecesis circumscriptio.

§ 5. Cathedrali ecclesiae S. Caroli hoc modo erectae ut propria deinceps dioecesis tribuatur, illius Antistiti provincias Valdivae et Chiloaae, itemque archipelagum de Chiloè et Guaitecas, nec non insulam Mocham nuncupatam, uti superius significata est, pro dioecesi novi episcopatus S. Caroli perpetuo adiungimus atque adsignamus; quod quidem territorium sic attributum atque assignatum, existentesque in eo paroecias, ecclesias coenobia, monasteria et quaecumque alia saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia, utriusque sexus personas et incolas tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus, ordinariae novi pro tempore existentis Episcopi ecclesiae S. Caroli iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati perpetuo similiter subiicimus, eique pro civitate, territorio, dioecesi, clero et populo perpetuum pariter in modum adsignamus atque attribuimus.

Dotatio.

§ 6. Ut autem futurus qui extet pro tempore Episcopus Sancti Caroli, suam possit decenter tueri dignitatem atque valeat vicario generali et curiae episcopali opportuna satisque providere, congruam dotem, quam Chilense gubernium ex data fide quamprimum constituet, episcopali mensae ascribimus atque attribuimus, uti similiter fabricae novae cathedralis ecclesiae eam congruam dotationem, quam gubernium ipsum praestabit, perpetuum in modum adscribimus atque adiudicamus.

Proprias aedes pro futuri Episcopi habitatione eiusque curiae episcopalis residentia decenti forma et commodo loco ac, quantum fieri poterit, ecclesiae cathedrali proximiores quamprimum adsignari volumus; quae si modo desint easque conduci oporteat, tunc pensionis pro illarum conductione solvendae rationem habendam esse decernimus atque declaramus.

Capituli cathedralis constitutio et dotatio.

§ 7. In maiori vero ecclesia civitatis S. Caroli ut supra in cathedralem erecta suum constituimus atque erigimus capitulum, undecim constans canonicalibus praebendis pro totidem presbyteris, nimirum tribus dignitatibus, quarum prima decanatus, quae post pontificalem erit maior a comnibus potietur honoribus, privilegiis et praeeminentiis eidem ex iure competentibus, secunda archidiaconatus, ac tertia magisterium scholae nuncupabitur; nec non octo canonicatibus comprehensis theologali ac poenitentiaria praebendis, quae iuxta canonicas sanctiones ac praesertim Concilii Tridentini decreta in capitulis Ecclesiarum cathedralium extare debent; ac praeterea eidem ecclesiae pro servitio chori erunt addicti sex praebendati seu Vicarii, aliique clerici.

Huiusmodi autem dignitatum non minus quam canonicatuum ac prebendarum futuros ac pro tempore existentes posses-

sores apud eamdem ecclesiam cathedralem S. Caroli personaliter residere, ac ibidem divina quoque officia caeterasque ecclesiasticas functiones celebrare horasque canonicas tam diurnas quam nocturnas decantare, recitare et psallere, missamque conventualem pro benefactoribus in genere quotidie celebrare, et eidem cathedrali ecclesiae in omnibus laudabiliter deservire, illiusque statuta imposterum edenda diligenter observare teneri volumus, decernimus et constituimus.

Quod vero spectat ad dignitatum et canonicatum huiusmodi collationem, eam fieri omnino ac peragi volumus praevio examine vel alio experimento per Episcopum qui pro tempore extiterit designando. Si vero agatur de prebendis canonicalibus theologali ac poenitentiaria, vel de dignitate, vel alia praebenda cui forsitan animarum curam Episcopo pro tempore placeat adnectere, adhibeatur concursus ad praescriptum Concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum.

Eidemque sic efformato capitulo cathedrali facultatem impertimus condendi statuta, ordinationes et decreta, sacris tamen canonibus, Concilio Tridentino et apostolicis constitutionibus consona, atque Ordinarii approbationi prorsus subicienda, nec non ius concedimus fruendi omnibus et singulis privilegiis, honoribus et gratiis quibus alia capitula cathedralium ecclesiarum in ditione Chilensi existentium utuntur ac fruuntur, dummodo adhuc sint in usu et non fuerint revocata nec sacris canonibus et decretis apostolicis repugnent, neque titulo oneroso aut peculiari indulto sint quaesita.

Capitulo autem novae cathedralis ecclesiae S. Caroli sic erecto et constituto congruam similiter dotationem quam tradet memoratum gubernium adsignamus, sin autem integram dotem pro singulis capitularibus illico prestare nequiverit, eorum saltem partem dotabit prudenti arbitrio executoris litterarum apostolicarum mox deputandi, suspensa interim dotatione et collatione reliquarum dignitatum, canonicatuum ac praebendarum, quam tamen dotationem quantocitius fieri poterit complendam praecipimus, atque hac in re studium, zelum et curam omnem Episcoporum S. Caroli pro tempore existentium ipsiusque gubernii vehementer excitamus.

Seminarium dioecesis S. Caroli.

§ 8. Ecclesiasticum item clericorum seminarium iuxta Concilii Tridentini decreta erigimus atque instituimus, ipsique aedes ecclesiae cathedrali, si fieri poterit, proximas adscribi eamque dotationem a praeposito gubernio, cum primum pro locorum ac temporum adiunctis datum fuerit, assignamus, quam seminariis ecclesiasticis Chilensis ditionis tribui solet, atque in hoc similiter Chilensis gubernii et Episcoporum Sancti Caroli studium omne impense excitamus.

Novae dioecesis metropolitico iuri S. Iacobi subiicit.

§ 9. Praefatam ecclesiam Sancti Caroli ut supra erectam Archiepiscopo Sancti Iacobi Chilensis ditionis metropolitico iure subiicimus, iisque omnibus frui volumus facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus, quae ad ceteras suffraganeas ecclesias metropolitanae ecclesiae Sancti Iacobi pertinent.

Taxa

§ 10. Fructus vero eiusdem novae ecclesiae S. Caroli ex more taxari ad florenos auri de Camera triginta tres ac tertiam floreni partem, ac huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae et Sacri Collegii describi volumus ac mandamus.

Executorem harum lit. eligit.

§ 11. Ut vero cuncta a nobis ut supra disposita rite ad suum perducantur effectum, futuro Episcopo novae cathedralis ecclesiae S. Caroli, quem harum litterarum nostrarum executorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes ac opportunas tribuimus facultates, ut ipse vel per se vel per aliam personam ecclesiastica dignitate constitutam ab eo subdelegandam omnia statuere ac decernere valeat, atque etiam cum facultate eidem Exequutori sive eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura, iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali describendi et praefiniendi limites novae dioecesis ac mittendi ad sacram Consistorialem Congregationem infra sex menses ab expleta litterarum apostolicarum executione exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium, quae in harum litterarum exequutionem emittet, ut in Tabulario Congregationis rebus Consistorialibus propositae de more asservetur.

Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, eorum consensui, quatenus opus sit, de apostolica potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obre-

ptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari aut in controversiam vocari possit, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus, mandamus atque decernimus.

Non obstantibus de iure quesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum dispositionibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis.

§ 12. Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberentur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo, kalendis iulii, pontificatus nostri anno decimo.

CLXVIII.

Occasione divisionis territorii inter Reges Belgarum et Belgii (vulgo de' Paesi Bassi) *separatis a dioecesibus Leodiensi et Namurcensi pluribus civitatibus, oppidis, paroeciis etc., ex eorum nonnullis constituit vicariatum apostolicum Limburgensem; alia addit cum districtibus Ravestein et Megen vicariatui apostolico Buscoducensi, a quo tamen vicariatu separat oppidum de Lommel, quod Leodiensi dioecesi unit; alia tandem aggregat vicariatui Luxemburgensi.*

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ubi universalis ecclesiae procurationem nobis divinitus demandatam intelleximus, nulli curarum ac laboris generi parcendum duximus, ut christifidelibus tutius salutis via muniri possit. Cui rei assequendae illuc etiam cogitationes nostras convertimus, ut, immutatis temporum ac locorum circumstantiis, nova interdum dioecesium circumscriptio fieret, quoties Ecclesiae utilitas id ipsum postulare videbatur.

Precum expositio.

§ 1. Nuper itaque preces nobis oblatae sunt, ut a dioecesibus Leodiensi et Namurcensi in regno Belgarum positis, eas Magni Ducatus Luxemburgensis et provinciae Limburgensis civitates, terras et oppida, quae ex nuperrimâ conventione a Belgarum regno seiuncta serenissimi Belgii, vulgo *de' Paesi Bassi,* Regis ac Magni Luxemburgi et Limburgi Ducis ditioni et auctoritati restitutae sunt, divideremus ac seiungeremus, eaque ab spirituali Leodiensis et Namurcensis Episcoporum pro tempore existentium iurisdictione sic avulsa ac subtracta, regimini ac potestati spirituali Vicariorum Apostolicorum in memorato Belgii regno ac Luxemburgensi Ducatu existentium subiiceremus atque supponeremus.

Dismembrationem praecipit.

§ 2. Nos vero, inspectâ maiori christifidelium in locis disiungendis commorantium commoditate ac utilitate, et probe instructi hodiernos Leodiensem et Namurcensem Antistites eiusmodi dismembrationi libenter iam praestitisse assensum, porrectis postulationibus annuentes, ex certâ scientiâ, ac etiam motu proprio deque apostolicae potestatis plenitudine mandamus, perpetuum in modum a dioecesibus Leodiensi et Namurcensi eas Magni Ducatus Luxemburgensis civitates, terras, oppida, loca, paroecias, quae in serenissimi, ut supra, Belgii Regis ditione nunc existunt, vel ex novâ territorii descriptione inter serenissimos Belgii ac Belgarum Reges quamprimum explenda essent, seiungi, dividi ac divelli, atque etiam inibi existentes et existentia ecclesias, monasteria, beneficia tam saecularia quam

regularia, nec non clerum, populum ac utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos quam clericos cuiusque gradus, ordinis et conditionis, ab ordinariâ iurisdictione, potestate ac superioritate Episcoporum Leodiensis et Namurcensis pro tempore existentium similiter eximi ac liberari.

Dismembrationis modum decernit.

§ 3. Hinc civitates, oppida, aliaque loca, ut supra, provinciae Limburgensis a dioecesi Leodiensi sic dismembrata et avulsa, una cum ecclesiis, paroeciis, monasteriis, beneficiis, clero, populo, aliisque personis inibi existentibus, non tamen exemptis, nec non paroecias et alia loca Limburgensis eiusdem provinciae, nempe de Horst, de Sittard, de Arcem, Herkenbosh, Melich, Fegelen, Velden et Well, quae hactenus vi literarum apostolicarum in formâ Brevis diei XXIV. decem. MDCCCXXI. et XXX. iulii MDCCCXXII. Episcopi Leodiensis curae commissa fuerant tamquam apostolici administratoris, quem propterea eâdem administratione exoneramus; paroecias item et adnexa loca supradictae Limburgensis provinciae, nempe de Afferden, Bergen, Gennep, Heyen, Middelaer, Mook et Ottersum, quae dilecti filii Ioannis Hermans administrationi huc usque tradita fuerunt, quem similiter, attentâ gravi aetate et infirmâ valetudine, ab omni administrationis onere solvimus ac liberamus; has omnes civitates, terras, oppida, loca et paroecias in unum coniungentes, vicariatum apostolicum constituimus, Limburgensem in posterum nuncupandum, et ad beneplacitum Apostolicae Sedis curae et administrationi Vicarii Apostolici a nobis eligendi ac deputandi committendum et commendandum.

Idem de caeteris locis.

§ 4. Caeteras autem paroecias et adnexa loca ad vicariatum supradicti Ioannis Hermans administrationi creditum pertinentia, una et vicariatui apostolico, olim dioecesi, Buscoducensi adiungimus atque subiicimus. Ut vero satius huiusce vicariatus circumscriptioni limitibusque rite prospiciamus, perspectâ districtuum Ravenstein ac Megen positione, hos quoque districtus, quorum interim dilectus filius Henricus Vander Velden a nobis demandatam curam gessit, regimini ac spirituali eiusdem vicariatus Buscoducensis administratoris iurisdictioni adiicimus atque committimus. Ecclesiam item succursalem ac terram respective de Luiks-gestel cum suis adnexis intra limites Barbantis septemtrionalis provinciae positam, iisdem de causis ac motu a dioecesi Leodiensi divellimus atque seiungimus, eamque intra vicariatus apostolici Buscoducensis limites inclusam, eiusdem administratoris curae traditam ac subiectam esse declaramus. E contra a dicto vicariatu apostolico dismembratum seiunctumque oppidum seu communitatem de Lommel in eâ provinciae Limburgensis parte, quae serenissimi Belgarum Regis auctoritati subest, Leodiensi dioecesi eiusque Episcopo pro tempore existenti adiicimus et tradimus.

Idem.

§ 5. Quoad civitates vero, oppida, terras, aliaque loca provinciae Luxemburgensis, una cum omnibus et singulis eorum adnexis cunctisque personis ibidem commorantibus, a dioecesi Namurcensi, ut supra, divisa, avulsa et subtracta, uniri atque adnecti ad beneplacitum tantum nostrum et Apostolicae Sedis Vicariatui Apostolico Luxemburgensi ad interim constituto anno MDCCCXXXIII., adeo ut eadem loca et personae, non vero exemptae, spirituali Vicarii Apostolici Luxemburgensis in tempore existentis, ut supra, administrationi, quamdiu Apostolicae Sedi placuerit, omnino subsint:

Executorem ap. statuit.

§ 6. Tandem ut omnia et singula superius sancita suum sortiantur effectum, in exequutorem apostolicarum literarum deputamus dilectum filium Antonium Antonucci Gestorem negotiorum Sanctae Sedis apud memoratum serenissimum Belgii, vulgo *de' Paesi Bassi,* regem, ac vice-superiorem illius regni missionum, cum facultatibus necessariis et opportunis, ut per se ipsum vel per aliam personam in ecclesiasticâ dignitate constitutam, ab ipso subdelegandam, omnia statuere ac decernere valeat, ut quae superius decreta sunt ad exitum cumulate perducantur, atque etiam cum facultate eidem exequutori seu eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura. Eidem insuper exequutori obligationem imponimus, distincte ac singillatim describendi in decreto executoriali ab ipso exarando omnia oppida, terras, civitates, paroecias, aliaque loca Magni Ducatus Luxemburgensis ac provinciae Limburgensis a dioecesibus Leodiensi et Namurcensi, ut supra, perpetuum in modum dismembranda et avellenda, atque vicariatibus Luxemburgensi et Limburgensi, ut supra, con-

stituto unienda et coniungenda ad beneplacitum nostrum et Sedis Apostolicae, nec non diligenter mittendi ad Congregationem de Propagandâ Fide quamprimum exemplar authenticâ formâ exscriptum decretorum omnium, quae in praefatarum literarum exequutionem emittet, ut in praedictae Congregationis Tabulario de more asservari possit.

Facultates executoris

§ 7. Eidem pariter negotiorum nostrorum gestori ac praesentium exequutori potestatem tribuimus Vicariatui Limburgensi interim et provisoriâ ratione, donec a nobis Vicarius Apostolicus electus ac nominatus fuerit, aliquem sibi benevisum ac probatum dignumque presbyterum praeficiendi, cum titulo Pro-Vicarii et cum facultatibus necessariis et opportunis.

§ 8. Praesentes quoque literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii, quorum interest aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis: aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quacumque auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi ac interpretandi facultate, iudicari atque definiri, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari, irritum ac inane decernimus et declaramus.

Contrariis derogat.

§ 9. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, et de unionibus committendis ad partes, vocatis, quorum interest, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis ac in generalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac quibuscumque concordiis et conventionibus forsan initis roboratis, confirmatis et approbatis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis.

§ 10. Huiusmodi vero literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique locorum, in iudicio et extra, fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter fuissent exhibitae vel ostensae.

Sanctio.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae voluntatis, dismembrationis, divisionis, exemptionis, unionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, decreti ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die II. iunii MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXIX.

Erectio episcopalis ecclesiae de Serena in America Meridionali.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Ad apostolicae potestatis fastigium nullo licet meritorum suffragio divinitus evecti universos plane Christi fideles pastorali cura complecti debemus, utpote qui in B. Petri Apostolorum Principis locum suffecti sumus, cui Christus Dominus gregem suum pascendum commisit universum. Quapropter ad eos etiam quos remotissimae orbis terrarum partes a nobis seiungunt, studia nostra curasque serio convertimus, eorumque, quos animo praesentes cernimus, saluti studentes, nihil praetermittendum ducimus quod ad aternam beatitatem eisdem comparandam pertinere quoquomodo videatur.

§ 1. Cum haec cura animo nostro potissimum inhaereat ut Christi gregem ad salutis pascua ducamus, humillimas preces benigne excepimus supremi Chilensis ditionis moderatoris enixis praecibus efflagitantes ut in urbe Serena novam episcopalem sedem apostolica auctoritate constituamus, eique novum Episcopum adsignemus, quippe quod unus Episcopus suo fungendo muneri, pascendis nimirum illis gentibus, omnino sit impar. Sane ea est dioecesis S. Iacobi amplitudo, ut octingenta ferme hominum millia complectatur, qui in provinciis commorantur quas vocant Santiago, Talca Colchaqua, Anconcaqua et Conquimbo. Iam vero harum postrema, cuius princeps est urbs Serena in extremis finibus posita dioecesis S. Iacobi, a flumine Choapa ad deserta Atacamae loca excurrit, et per ducentas quinquaginta leucas protenditur, atque incolarum centies millia continet. Cum adeo vasta sit dioecesis S. Iacobi et provincia Conquimbo a pastore pro tanto regionis intervallo seiungatur, atque asperrimae imprimis viae sint, quae illuc ducant, mirum non est si ea incolarum pars quae in extremis dioecesis finibus degit, nec Pastores sui praesentia recreari, nec praeceptis erudiri, nec sacro adhuc chrismate iniungi potuerit.

§ 2. Huic tanto malo pro apostolica, qua urgemur, sollicitudine succurrere optantes, uti ea christianorum multitudo pastoris sui monitis in viam salutis dirigi possit, et miserrimae gentes Evangelii lumine collustrentur, quae teterrimis errorum tenebris obvolvuntur, humillimis praecibus Chilensis gubernii per negotiorum gestorem exhibitis benigne indulgere constituimus. Itaque certa scientia ac etiam motu proprio deque apostolicae potestatis plenitudine, habita ratione propitiae sententiae ven. fratris nostri Emanuelis Vicuna hodierni Archiepiscopi Sancti Iacobi iamdiu pansae, et consensui eorum quorum forte intersit, quatenus opus sit, derogantes, universam provinciam Conquimbo ac omnes et singulas paroecias ecclesias, conventus et monasteria aliaque quaecumque saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia, quae inibi forsitan existant, a dioecesi S. Iacobi de Chile perpetuo dismembramus, dividimus, secernimus, separamus, utriusque pariter sexus personas habitatores et incolas tam laicos quam clericos, praesbyteros beneficiatos et religiosos cuiuscumque gradus status ordinis atque conditionis ab ordinaria iurisdictione, potestate ac superioritate Archiepiscopi pro tempore existentis S. Iacobi seu eiusdem dioecesis Ordinarii perpetuum in modum eximimus et liberamus. Terram insuper seu civitatem Serenam positam in provincia Conquimbo sic dismembrata et divisa a dioecesi S. Iacobi de Chile in civitatem episcopalem erigimus et instituimus cum curia et cancellaria ecclesiastica, illamque in civitatem episcopalem sic erectam et institutam omnibus et singulis honoribus, iuribus, privilegiis atque praerogativis quibus caetere civitates pontificali sede decoratae in Chilensi ditione eorumque cives utuntur et gaudent, frui uti et potiri volumus et indulgemus.

§ 3. Maiorem ecclesiam in praedicta terra Serena in civitatem episcopalem erectam existentem et designandam ab executore literarum apostolicar., quem inde nominabimus, ad honorem et dignitatem ecclesiae cathedralis de Serena nuncupandam, evehi atque attolli pariter mandamus, ac in ea sedem et cathedram pontificalem pro suo Episcopo de Serena appellando, qui eidem ecclesiae, civitati ac dioecesi infra adiudicandae eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, ac omnia et singula iura officia muniaque episcopalia habeat atque exerceat cum suis capitulo, arca, sigillo, mensa, ut infra constituenda, ceterisque cathedralibus insigniis, iuribus, honoribus, privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, iurisdictionibus ac praerogativis, quibus reliquae cathedrales ecclesiae Chilensis ditionis eorumque praesules potiuntur et gaudent, dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non sint eis attributa, perpetuo pariter erigimus atque instituimus.

§ 4. Cathedrali de Serena ecclesia hoc modo erecta, ut propria deinceps dioecesis illius Antistiti tribuatur, universam praedictam provinciam Conquimbo a dioecesi S. Iacobi ut supra avulsam et disiunctam pro dioecesi novi episcopatus de Serena perpetuo adiudicari atque adsignari volumus et mandamus; quam quidem provinciam ac in ea existentes seu existentia paroecias, ecclesias, conventus, monasteria et quacumque alia saecularia ac quorumvis ordinum regularium beneficia, utriusque sexus personas et incolas tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus, ordinis, iurisdictionis,

regimini, potestati ac superioritati novi pro tempore existentis Antistitis ecclesiae de Serena perpetuum similiter in modum subiici, eique pro civitate territorio dioecesi, clero et populo, pariter perpetuo adsignamus atque attribuimus.

§ 5. Ut autem futurus pro tempore existens Episcopus de Serena suam decenter valeat tueri dignitatem et vicario generali curiaeque episcopali apte provideri, congruam dotationem, quam Chilense gubernium ex data fide quantocito constituet, mensae episcopali perpetuo ascribi atque attribui volumus et mandamus.

§ 6. Quod vero ad fabricam attinet novae cathedralis ecclesiae, eam similiter congruam dotationem quam idem gubernium tradet, perpetuum quoque in modum adscribimus atque adiudicamus.

§ 7. Pro futuri Episcopi habitatione eiusque curiae episcopalis residentia proprias aedes decenti forma et commodo loco ac proximiores quoad fieri poterit ecclesiae cathedrali ab ipso gubernio quam primum assignari volumus, quae si modo desint, easque conduci oporteat, tunc pensionis pro illarum conductione solvenda rationem habendam esse decernimus et declaramus.

§ 8. In maiori autem ecclesia civitatis de Serena uti supra in cathedralem erecta suum constituimus atque erigimus capitulum Undecim constans canonicalibus praebendis pro totidem presbyteris, tribus nimirum dignitatibus, quarum prima decanatus, quae post pontificalem erit maior ac omnibus potietur honoribus privilegiis et praeeminentiis eidem ex iure competentibus, secunda archidiaconatus, ac tertia Magisterium scholae nuncupabitur; nec non octo canonicatibus, comprehensis theologali ac poenitentiaria praebendis, quae iuxta canonicas sanctiones, ac praesertim Concilii Tridentini decreta, in capitulis cathedralium ecclesiarum extare debent; eidem praeterea ecclesiae pro chori servitio sex praebendati seu vicarii aliique clerici addicti erunt.

§ 9. Harum vero dignitatum non minus quam canonicatuum ac prebendarum futuros ac pro tempore existentes possessores apud eamdem cathedralem ecclesiam de Serena personaliter residere ac ibidem divina quoque officia ceterasque ecclesiasticas functiones celebrare horasque canonicas tam diurnas quam nocturnas decantare, recitare et psallere, missamque conventualem pro benefactoribus in genere quotidie celebrare, et eidem collegiatae ecclesiae in omnibus laudabiliter deservire, illiusque statuta inposterum edenda diligenter celebrare, teneri volumus, decernimus et constituimus.

§ 10. Quod vero spectat ad dignitatum et canonicatuum huiusmodi collationem, eam fieri omnino ac peragi volumus praevio examine vel alio experimento per Episcopum, qui pro tempore extiterit, designando. Si vero agatur de praebendis canonicalibus theologali vel poenitentiaria vel de dignitate vel alia praebenda cui forsitan animarum curam Episcopo pro tempore placeat adnectere, adhibito concursu ad praescriptum Concilii Tridentini et apostolicarum constitutionum.

§ 11. Eidemque sic efformato capitulo cathedrali facultatemim pertimur condendi statuta, ordinationes et decreta, sacris tamen canonibus Concilio Tridentino et apostolicis constitutionibus consona, atque Ordinarii approbationi prorsus subiicienda; nec non ius concedimus fruendi omnibus et singulis privilegiis, honoribus et gratiis quibus alia capitula cathedralium ecclesiarum in ditione Chilensi existentium utuntur ac fruuntur, dummodo adhuc sint in usu et non fuerint revocata, nec sacris canonibus et decretis apostolicis repugnent, neque titulo oneroso aut peculiari indulto sint quaesita.

§ 12. Capitulo autem novae cathedralis ecclesiae S. Caroli sic erecto et constituto congruam similiter dotationem quam tradet memoratum gubernium adsignamus, sin autem integram dotem pro singulis capitularibus illico praestare nequiverit, eorum saltem partem dotabit prudenti arbitrio executoris litterarum apostolicarum mox deputandi, suspensa interim dotatione et collatione reliquarum dignitatum canonicatuum ac praebendarum, quam tamen dotationem quantocitius fieri poterit complendam praecipimus, atque hac in re studium, zelum et curam omnem Episcoporum de Serena pro tempore existentium ipsiusque gubernii vehementer excitamus.

§ 13. Ecclesiasticum item clericorum seminarium iuxta Concilii Tridentini decreta erigimus atque instituimus, ipsique aedes ecclesiae cathedrali si fieri poterit proximas adscribi, eamque dotationem a praedicto gubernio, cum primum pro locorum ac temporum adiunctis datum fuerit, assigna-

mus, quam seminariis ecclesiasticis Chilensis ditionis tribui solet, atque in hoc similiter Chilensis gubernii et Episcoporum de Serena studium omne impense excitamus.

§ 14. Praefatam Ecclesiam de Serena ut supra erectam Archiepiscopo S. Iacobi Chilensis ditionis metropolitico iure subiicimus, iisque omnibus frui volumus facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus, quae ad ceteras suffraganeas ecclesias metropolitanae ecclesiae Sancti Iacobi pertinent.

Fructus vero eiusdem novae ecclesiae de Serena ex more taxari ad florenos auri de camera triginta tres ac tertiam floreni partem, ac huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae et Sacri Collegii describi volumus.

§ 15. Ut vero cuncta a nobis ut supra disposita ad suum perducantur effectum, ven. fratri nostro Emanueli Vicuna metropolitanae ecclesiae S. Iacobi de Chile Archiepiscopo, quem harum litterarum nostrarum executorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes et opportunas tribuimus facultates, ut ipse vel per se vel per aliam personam ecclesiastica dignitate constitutam ab eo subdelegandam omnia statuere ac decernere valeat, atque etiam cum facultate eidem exequutori sive eius subdelegato definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praedicta quomodolibet oritura, iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali describendi et praefiniendi limites novae dioecesis ac mittendi ad sacram Consistorialem Congregationem infra sex menses ab expleta litterarum apostolicarum executione exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium quae in harum litterarum executionem emittet, ut in tabulario Congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservetur.

§ 16. Praesentes autem litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, quatenus opus sit, de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu impugnari, notari, aut in controversiam vocari possit, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, volumus, mandamus atque decernimus.

§ 17. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppresionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 18. Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 19. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrar. dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis ac voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octigentesimo quadragesimo, kalendis iulii, pontificatus nostri anno decimo.

CLXX.

Statuit Abbatem S. Mauritii in inferiori Valesiâ pro tempore episcopali charactere decorandum esse, eique conferendum episcopatum Bethleem Syriae in partibus infidelium.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium — In amplissimo apostolicae dignitatis atque auctoritatis gradu, nullis certe nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio, collocati, ac propterea de universo dominico grege, quem Pastor aeternus nobis pascendum commisit, ve-

hementer soliciti, ea profecto omnia libenter agere solemus, quae ad maiorem Dei gloriam promovendam ac spiritualem animarum salutem procurandam pertinere posse videntur. Itaque sedulo diligenterque inspicientes quid ecclesiarum omnium decori atque utilitati conveniat, decessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, amplis honoribus abbatiales interdum ecclesias decorare opportunum ducimus, ut divini cultus splendor magis eniteat, atque uberior inde dominici gregis fructus existat.

Abatiam Sancti Mauritii laudat.

§ 1. Equidem nos minime latet insignem abbatialem et regalem Ecclesiam S. Mauritii penes Helvetios inferiore in Valesiâ sitam cum proprio territorio originis vetustate, territorii eiusdem amplitudine, populi frequentiâ, cleri numero et canonicorum collegio summopere praestare, ac plura regularia et saecularia beneficia habere. Ipsius autem Abbas, qui canonicorum collegii princeps ac primicerii dignitate ornatus, infulae ac pedi seu pastoralis honore insignitus, in pluribus illius districtus paroeciis iurisdictionem quasi episcopalem exercet, atque huic Apostolicae Sedi una cum canonicorum collegio totâque Abbatiâ immediate subiectus, Sardiniae comitis titulo, et magnâ cruce regii ac militaris Ordinis Ss. Mauritii et Lazari semper decoratur. Canonicorum vero collegium ex pluribus viris conflatum, quorum alii spiritualia paroeciis praebent subsidia, alii divinas in choro laudes concelebrant, alii communem agunt vitam ex regulâ a fel. mem. Pio VII. praedecessore nostro approbatâ. Quod quidem canonicorum collegium eo in districtu studiorum curam agens, omni diligentiâ et industriâ prospicit, ut iuventus in binis praesertim gymnasiis ad pietatem omnemque virtutem mature fingatur, atque amoenioribus literis severioribusque disciplinis rite imbuatur. Accedit etiam, quod maxime interest, ut idem canonicorum collegium catholicae religionis propagandae studio vehementer incensum, nullis neque curis neque laboribus neque impensis sibi parcendum ducat, quo illis in regionibus maiora in dies ipsa religio incrementa suscipiat, atque homines e caecis errorum fluctibus emersi ad Catholicae Ecclesiae gremium redeant.

Abbatem episcopali charactere honorat.

§ 2. Iam vero cum nobis expositum fuerit rei catholicae ac spiritualis animarum salutis bono utile omnino esse, si illius Abbatiae in tempore Abbas episcopali titulo in part. infid. honestetur; nos, quibus nihil potius esse potest, quam omni curâ, vigilantiâ, contentione, in Dei opt. max. gloriam amplificandam ac sempiternam hominum salutem quibusque rebus procurandam incumbere, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Abbatiam ipsam huiusmodi dignitate atque honore decorandam, eique episcopalem titulum de Bethleem in Syriâ in part. infid. perpetuo adsignandum existimavimus. Quamobrem, eiusdem Abbatiae et canonicorum collegii meritorum ratione habitâ, firmis tamen semper in ea Abbatiâ manentibus ibique vigentibus omni statu, qualitate, denominatione, motu proprio, certâ scientiâ, maturâ deliberatione, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine hisce literis Abbatiae S. Mauritii penes Helvetios in Valesiâ inferiori episcopalem titulum de Bethleem in part. infid. perpetuum in modum adsignamus atque attribuimus, atque illius in tempore Abbatem episcopum de Bethleem in Syriâ constituimus et declaramus, eumque nomine, titulo et honore episcopali perpetuo decoramus; ac volumus, ut Abbas S. Mauritii et Episcopus de Bethleem appelletur cum omnibus et singulis iuribus, privilegiis, honoribus, insignibus, praerogativis, quibus Episcopi in part. infid. utuntur, fruuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt, atque id ita concessum volumus, ut, sequutâ eiusdem Abbatis canonicâ electione, etiam Episcopus de Bethleem in part. infid. electus maneat, utque electionis confirmationem una cum ecclesiae episcopalis provisione ab hac Apostolicâ Sede literis apostolicis sub annulo Piscatoris semper obtinere debeat et teneatur.

Decretum irritans.

§ 3. Haec concedimus atque indulgemus, statuimus et mandamus, decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quo-

quam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 4. Non obstantibus, quoties opus fuerit, fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem Abbatiae et canonicorum Collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, aliisque omnibus etiam speciali et individuâ mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die III. iulii MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXI.

Ex quatuor vicariatibus apostolicis Angliae regnum complectentibus octo constituit, unicuique nomine et limitibus assignatis.

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Muneris apostolici ratio, quod occulto Dei consilio ad supremam hanc cathedram evecti, meritis licet imparibus, sustinemus, eo nos esse intentos expostulat, ut catholicae Religioni ac divini nominis gloriam animarumque salutem tuendae et quaquaversus amplificandae, auctoritatem, studium operamque nostram non intermissâ solicitudine impendamus.

Catholicos laudat Angliae. § 1. Inter alia vero, in quibus nostra quotidiana instantia versatur, animum curasque nostras, ut par est, intendimus ad inclytam illam catholici gregis partem, quae in florentissimo Angliae regno magnis nuper per Dei gratiam auctibus crevit. Quo sane tam prospero eventu laetantes et exultantes in Domino, iamdudum cogitabamus de Antistitum numero illic augendo, quandoquidem Vicariis Apostolicis numero quatuor, inibi calamitoso alio tempore a S. hac Sede constitutis, hodie quidem operosum nimis et arduum est advigilare ad custodiam atque ad culturam eius vineae, quae tantâ undique novorum palmitum foecunditate succrescit. In eamdem vero sententiam plures advenerunt catholicorum petitiones, quas sive ex Angliâ per literas, sive coram hic nobis oblatas, benevolentissimo equidem animo accepimus. Verum ut de negotio huiusmodi eâ, qua oportet, maturitate statueremus, primum quidem Deo opt. max. pro tot tantisque suis erga catholicum in Angliâ gregem beneficiis humillimas iterum atque iterum egimus gratias, et Bmae Mariae Virginis ac Sanctorum, qui in regione illâ floruerunt, deprecatione imploratâ, eidem clementissimo Domino per Unigenitum suum Iesum Christum enixe supplicavimus, ut nostra pro illius bono consilia dirigeret, atque ad felicem exitum adduceret: deinde vero totam rei causam considerandam commisimus Congregationi venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, qui Propagandae Fidei negotiis praepositi sunt.

Nova vicariatuum divisio. § 2. Atque hi post sedulam accuratamque habitam deliberationem, unanimi suffragio censuerunt, esse omnino e re catholicâ, ut ex quatuor vicariatibus apostolicis, qui hactenus in Angliâ fuerunt, congruâ divisione factâ, octo constituantur. Communicaverat antea non semel de hoc negotio nostra eadem Congregatio cum quatuor venn. fratribus antiquos illos vicariatus obtinentibus; gratumque fuit perspicere ex acceptis responsis, ipsos omnes eius, de qua agitur, vicariatuum eorumdem divisionis novaeque circumspectionis utilitatem agnoscere. Nos quoque ipsi rem universam diligenter perpendimus, ac, probato tandem praedictorum Cardinalium consilio, eamdem illam apostolicorum vicariatuum divisionem novamque constitutionem apostolicis hisce literis perficere proposuimus.

§ 3. Itaque motu proprio, ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, cunctas regiones seu provincias, ex quibus constabant vicariatus apostolici Londinensis Occidentalis, Medius et Septemtrionalis, ita posthac divisos edicimus, ut octo

vicariatus apostolici efformentur, Londinensis, Occidentalis, Orientalis, Centralis seu Medius, Walliensis, Lancastriensis, Eboracensis, et Septemtrionalis. Insuper singulis horum octo vicariatuum pro cuiusque circuitu ac finibus apostolicâ eâdem auctoritate loca seu regiones mox describendas tribuimus et assignamus. Scilicet Londinensis vicariatus comprehendet provincias sive comitatus Middlesexiensem, Hertfordiensem, Eseexiensem, Bercheriensem, Suth-Hantoniensem, Surreiensem, Sussexiensem, Kantiensem, cum insulis Vecta, Gerseja, Guernseia. Occidentalis autem vicariatus continebit provincias seu comitatus Glocestriensem, Wiltoniensem, Somersettensem, Dorcestriensem, Divoniensem, Cornubiensem una cum insulis, quae Scilly vocantur. Praeterea Orientalis vicariatus habebit provincias seu comitatus Lincolniensem, Rutlandiensem, Huntingdoniensem, Northantoniensem, Cantabrigiensem, Norfolciensem, Suffolciensem, Bedfordiensem, Buckinghamiensem. Centralis deinde seu Medius vicariatus complectetur provincias seu comitatus Derbiensem, Nottinghamiensem, Staffordiensem, Leicestriensem, Worviciensem, Wigorniensem, Oroniensem, Salopiensem. Vicariatus Walliensis habebit provincias seu comitatus illos duodecim, qui in principatu Walliensi continentur, Brechiniensem scilicet, Maridunensem, Cereticensem, Denbighensem, Flintensem, Glamorganiensem, Merviniensem, Montgomeriensem, Penbrokiensem, Radnoriensem et Angleseiam insulam, una cum comitatibus Herefordiensi et Monumethensi in Angliâ. Lacastriensis vicariatus continebit provincias seu comitatus Lancastriensem, Cestriensem, et insulam Monam. Eboracensis vicariatus provinciam seu comitatum omnem Eboracensem complectetur. Denique ad Septentrionalem vicariatum pertinebunt provinciae seu comitatus Northumbriensis, Westmorlandiensis, Cumbriensis et Dunelmensis. Haec igitur loca sunt unicuique Vicariatui attributa, intra quorum fines ecclesiasticam iurisdictionem suam Vicarius quisque Apostolicus exercebit. Iam vero ut providentia haec nostra catholicae in Angliâ rei sine morâ proficiat, delegimus iam ecclesiasticos viros virtute praestantes, quorum scilicet praeclara merita supradictae nostrae Congregationi Propagandae Fidei nobisque ipsis probata sunt; eosque aliis nostris apostolicis literis hac item die sub Piscatoris annulo datis in novis illis vicariatibus apostolicis constituimus.

Vicarios Ap. laudat.

§ 4. Postremo temperare nobis non possumus quin dilectos filios tum e saeculari tum e regulari clero, qui sacris ministeriis in Angliâ funguntur, maxime autem venn. fratres veterum quatuor vicariatuum apostolicorum Antistites, ob exantlatos ab ipsis labores debitis laudum praeconiis prosequamur; eosdemque, uti et alios quatuor Apostolicos Vicarios nunc institutos, adhortemur in Domino vehementer, ut mysticum illum agrum tantâ recentis messis ubertate commendatum excolere sedulo et alacriter studeant. Nos interim, animo cum ipsis in Christi caritate coniuncto, divinum eumdem pastorum Principem in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione precamur, ut super ministros suos, in solâ eius auxilii spe innixos, dona multiplicet gratiae suae, atque omnibus, quae dante ipso plantaverint et rigaverint; incrementum tribuat.

Decretum et derogatio contrariorum.

§ 5. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et spectabit hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die III. iulii MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXII.

Regi Birmannorum gratias agit ob eius benevolentiam in Christianos, eique, additis nonnullis muneribus, illos cum Vicario Apostolico Avae et Pegù ac missionariis commendat.

Potentissimo et augustissimo Birmannorum regi,

GREGORIUS PP. XVI.

Potentissime et augustissime rex, salutem et apostolicam benedictionem.

Certiores facti a ven. in Christo fratre Friderico Episcopo Zamensi pro christianis omnibus tuae subditis maiestati vices

nostras gerente, te peculiari benevolentiâ catholicos missionarios et ipsum excepisse, muneri nostro deesse arbitraremur, si redeunti in Imperium tuum ven. fratri non committeremus, ut grati animi significationem tibi nostro nomine exhiberet. Pauca itaque nostratum artium specimina habeto, ut in iis gratum erga te animum nostrum deprehendas. Nobis vero nil superest aliud, quam ut catholicos omnes Imperii tui, quos fidelissimos semper tuique amantissimos experieris, maiestati tuae etiam atque etiam commendemus, rogemusque praesertim, ut redeuntem Apostolicum Vicarium, una cum eius missionariis, benigne suscipias ac patrocinio tuo validissimo tueâris. Hi quidem quo latius istius Imperii populos perlustrabunt, eo vividiores in animis excitabunt eos obedientiae atque amoris erga principem sensus, quos ssma Christi Religio catholicis omnibus apprime praecipit. Interea illud pro comperto habeat maiestas tua, omnes ad unum fideles catholicos nobis animo ac caritate coniunctos fervidas nobiscum assiduasque oblaturos esse preces aeterno atque uni Deo, qui rerum omnium dominator existit ac regum rex, ut maiestati tuae diuturnam felicemque vitam largiatur, ac tibi illud securumque iter ostendat, quod ad veram atque indeficientem beatitatem perducit.

Datum Romae in palatio apostolico Quirinali die XV. iulii MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXIII.

Delegatum et Visitatorem Apostolicum intuitu fidei propagandae ad Abyssinos mittit Theodorum Abukarim Episcopum Italiensem, cui iam commissa fuerat cura catholicorum Coptorum Aegypti.

Venerabili fratri Theodoro Abukarim Episcopo Italiensi Ritus Copti,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium nobis ex alto commissum postulat atque efflagitat, ut animarum saluti summa vigilantia, cura et studio pro viribus consulemus.

§ 1. Itaque cum ad Abyssinorum gentem in communionem Ecclesiae Romanae iterum adducendam catholicamque fidem in illis regionibus latius propagandam valde opportunum nobis visum fuerit, ut illuc mittatur Episcopus ritus Copti, quem ritum ferme sequuntur Abyssini; de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, huiusmodi munus tibi, ven. frater, committendum censuimus, qui religionis zelo, prudentiâ, scientiâ, integritate summopere praestas, quique catholicorum Coptorum in Aegypto curam iamdiu demandatam sustines.

§ 2. Quamobrem peculiari te benevolentiâ prosequentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ ad nostrum et huius Apostolicae Sedis arbitrium te in Delegatum ac Visitatorem Apostolicum ad Abyssinorum gentem eligimus, constituimus et deputamus cum omnibus et singulis facultatibus, iuribus, quae huiusmodi propria sunt muneris, salvâ tamem semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 3. Mandamus etc.

Datum ab Arce Gandulphi sub annulo Piscatoris die XXIV. iulii MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXIV.

Deplorat impiorum conatus ad religionem evellendam; animum recreat suum recolendo Ecclesiae triumphos per apostolicos operarios; societatem propagationis fidei Lugduni institutam laudibus prosequitur; Praesules hortatur huius societatis incrementa fovere etc.

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Probe nostis, venerabiles fratres, quantis undique calamitatibus tristissimo hoc tempore urgeatur, et quam miserandum in modum Catholica vexetur Eccle-

sia; nec ignoratis quanta omnis generis errorum colluvione, effrenataque errantium audacia religio sancta oppugnetur, et quali astutia quibusque fraudibus haeretici atque increduli homines connitantur fidelium corda mentesque pervertere. Nostis, uno verbo, nullum prope esse laboris ac moliminum genus, quod ad inconcussum sanctae civitatis aedificium ex imis, si fieri posset, sedibus evellendum non insumatur. Enim vero, ut cetera praetereamus, nonne (proh dolor!) videre cogimur longe lateque vaferrimos veritatis hostes impune diffundi, eosque nedum religionem irrisionibus, Ecclesiam contumeliis, catholicosque insultationibus et calumniis lacessire, verum et urbes atque oppida invadere, erroris et impietatis scholas instituere ac venena doctrinarum suarum, pravo etiam scientiarum naturalium recentiumque inventorum usu ad occultiorem fallaciam comparata, typis evulgare; immo et in pauperum penetrare tuguria, rura percurrere et se se in infimae plebis agricolarumque familiaritatem insinuare? Ita scilicet nihil intentatum relinquunt, quo tum vernaculis corruptisque bibliis, tum pestiferis ephemeridibus, aliisque parvae molis libellis, tum captiosis alloquiis, tum simulata charitate, tum denique pecuniarum largitione vel ipsum rudem populum, maxime iuventutem, ad suas sectas alliciant, atque ad deserendam inducant catholicam fidem.

§ 2. Facta innuimus, venerabiles fratres, quae non modo vobis comperta sunt, sed quorum testes vos ipsi estis; qui dolentes quidem, et pro pastorali officio minime silentes, tolerare cogimini in vestris dioecesibus memoratos haeresum et incredulitatis propagatores, procacesque praecones, qui gradientes interdum sub vestimentis ovium, intrinsecus autem lupi rapaces, gregi insidiari, eumdemque dilacerare non cessant. Quid plura? Nulla pene iam extat in universo orbe vel barbara regio, ad quam notissimae haereticorum et incredulorum centrales societates, nullis parcentes sumptibus, suos non mittant excursores et emissarios, qui aut per insidias, aut palam coacto agmine ac perfricata fronte, Catholicae Religioni eiusque pastoribus et ministris indicentes bellum, fideles ab Ecclesiae gremio divellant, eiusque aditum infidelibus intercludant.

§ 3. Coniici hinc facile potest, quantis nos propterea in angustiis diu noctuque versemur, qui cura totius Christi ovilis et omnium ecclesiarum sollicitudine onerati, divino pastorum Principi de cunctis rationem reddere debemus. Easdem vero communium nobis vobisque molestiarum causas idcirco nostris hisce litteris commemorandas censuimus, venerabiles fratres, ut animo intentius recogitetis, quantum Ecclesiae intersit sacros Antistites universos geminatis studiis iunctisque laboribus atque omni contentione adniti, ut tot frementium religionis hostium reprimantur impetus, telaque retundantur, et contra callidas, quibus persaepe utuntur, blanditias praemoneantur muniantur que fideles. Quod nos, ut scitis, praestare quavis opportunitate curavimus, nec desistemus: sicuti et vos hactenus praestitisse non ignoramus, et impensiori usque studio praestituros confidimus.

§ 4. Ceterum, ut in mediis quibusque difficultatibus non deficiamus animo, « cavere nos omnes oportet, venerabiles fratres, ne illas umquam extimescamus quasi propriis viribus superandas; cum et consilium nostrum et fortitudo sit Christus, ac, si sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus: qui confirmans praedicatores evangelii et sacramentorum ministros, *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* et iterum: *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis: in mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum;* quae pollicitationes quia sine dubio manifestae sunt, nullis debemus scandalis infirmari: ne electioni Dei videamur ingrati, cuius tam potentia sunt adiutoria, quam vera promissa » (1).

§ 5. Divinae autem promissionis fructus, qui numquam in Ecclesia defuerunt, nec defuturi sunt, quis non videat nostra etiam hac aetate manifestissimos? Iidem profecto evidenter apparent in insuperabili Ecclesiae firmitate inter tot inimicorum aggressiones, in Religionis inter tot perturbationes ac pericula dilatatione, et in consolatione, qua propterea *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Dum enim ex una parte plorandum nobis est super iactura, quam aliquibus in regionibus passa est et patitur

(1) Ita iisdem fere verbis S. Leo M. in epistola ad Rusticum Narbonensem.

Religio Catholica: nobis laetandum est ex alia, de crebris triumphis, quos etiam inibi, ob invictam catholicorum pastorumque constantiam, passim reportasse noscitur et reportare: quemadmodum et magno gaudio perfruimur ob felices illius inter tot obstacula mirosque profectus, ut ii etiam, qui ex adverso sunt, perspiciant, oppressiones et vexationes, quibus exagitatur Ecclesia, non raro eius gloriae ac fidelibus in Catholica Religione magis magisque confirmandis inservire.

§ 6. Verum, ut de apostolicis missionibus loquamur: quam laetandi causam nobis non praebent et universae Ecclesiae uberes earumdem missionum fructus, fideique progressus in America, in Indiis, atque in aliis infidelium praesertim terris? Haud enim ignoratis, venerabiles fratres, nostris quoque temporibus late illis in partibus diffundi virorum apostolicorum numerum, indefessumque zelum, qui non pecuniarum copia, non armorum apparatu suffulti, sed fidei tantum clypeo muniti, nedum voce et scriptis, privatim et publice, *praelia Domini* contra haereses et incredulitatem, et quidem prospero successu, *praeliari* non reformidant; verum etiam caritatis ardore incensi, nullaque deterriti itinerum asperitate aut gravitate laborum, terra marique conquirunt sedentes in tenebris et umbra mortis, ut eos ad lumen et vitam evocent Catholicae Religionis. Hinc ad quaecumque discrimina intrepidi per barbarorum silvas cavernasque magno animo permeant, illosque christiana paulatim suavitate delinitos ad veram fidem veramque virtutem informant, ac tandem per lavacrum regenerationis a diaboli servitute eripiunt, atque in libertatem vindicant filiorum adoptionis Dei.

§ 7. Non possumus autem sine lacrymis, tum doloris, immanitatem execrantes persecutorum et carnificum, tum consolationis, heroicam suspicientes confessorum fidei constantiam, gloriosa hic commemorare recentium Martyrum gesta in remotissimis Orientis plagis, quorum equidem laudes consistoriali haud ita pridem allocutione celebravimus. Fumant adhuc Tunquini et Cocincinae regiones plurium sacrorum Antistitum et presbyterorum fideliumque incolarum sanguine, qui christianorum Martyrum, quibus prisca praesertim aetas inclaruit, exempla renovantes, impavido in tormentis animo mortem crudelissimam pro Christo in fidei testimonium oppetierunt. Qui itaque praeclarior Ecclesiae ac Religionis triumphus; quae maior eam persequentium confusio, quam facto comprobatas videre nostris etiam hisce diebus divinas perpetuae protectionis et adiutorii promissiones, unde fit, quod *nullo* (ut verbis utamur S. Leonis) *crudelitatis genere destrui possit Sacramento Crucis Christi fundata religio?* (1)

§ 8. Hactenus memorata, consolatoria quidem sunt, venerabiles fratres, et gloriosa Catholicae Religioni; sed et alia non desunt, quae in tantis quibus premitur tribulationibus solantur Ecclesiam: piae nempe institutiones, quae in bonum Religionis et christianae societatis succrescunt, quarum nonnullae adiumento sunt et subsidio sacris ipsis missionibus apostolicis. Sane quis vere catholicus non laetetur Omnipotentis Dei providentiam considerans, qui Ecclesiae suae, iuxta promissiones, perpetuo protector assistens, novas pro opportunitate temporum ac locorum aliarumque circumstantiarum in ea suscitat societates, quae sub eiusdem Ecclesiae auctoritate, suo unaquaeque modo, in caritatis officia, in instructionem fidelium atque in dilatationem fidei suum coniunctis viribus studium atque operam conferunt?

§ 9. Iucundum inter alias catholico orbi, ipsis stupentibus acatholicis, spectaculum offerunt tot illae ac tam late diffusae piarum feminarum sodalitates, quae sub regulis S. Vincentii a Paulo, vel probatis aliis institutis consociatae, christianarumque virtutum splendore conspicuae, totas se alacresque devovent aut mulieribus a perditionis via retrahendis, aut puellis ad religionem solidamque pietatem atque ad labores conditionis suae proprios informandis, aut proximorum aerumnis omni ope sublevandis; quin vel naturali sexus infirmitate, vel cuiusvis periculi metu retardentur.

§ 10. Nec minori nos, bonosque omnes gaudio perfundunt alii illi fidelium coetus, qui in multis praesertim illustrioribus civitatibus novi identidem coalescunt; et quorum scopus ac studium est, perversis libris vel sua vel aliorum utilia opera, errorum monstris puritatem do-

(1) In Natali Apostolorum Petri et Pauli Serm. 82 al. 80.

ctrinae, iniuriis conviciisque christianam opponere mansuetudinem et caritatem.

§ 11. Quid denique, nisi magna cum laude, dicendum de celebri illa societate, quae non solum in catholicis regionibus, sed etiam in acatholicorum et infidelium terris nova semper obtinet incrementa; quaeque fidelibus omnibus cuiuscumque conditionis facilem viam modumque aperit, ut de apostolicis missionibus bene mereantur, ac de spiritualibus illarum bonis participes et ipsi fiant? Iam intelligitis, sermonem hic esset de notissima Societate sub titulo *propagationis fidei.*

§ 12. Communicatis modo vobiscum, venerabiles fratres, et angoribus quibus ob iacturas conficimur, et consolationibus quibus sustentamur ob Catholicae Religionis triumphos; restat nunc, ut pariter vobis communicemus sollicitudinem, quae nos urget pro maiori societatum tam bene de religione merentium prosperitate. Vos igitur impense hortamur in Domino, ut eas in vestrarum dioecesium finibus fovere, tueri atque augere studeatis.

§ 13. Imprimis autem vobis summopere commendamus memoratam societatem *propagationis fidei,* quae inde ab anno MDCCCXXII. in perantiqua ac nobilissima Lugdunensi urbe primum instituta, mirabili subinde celeritate ac prosperitate longe lateque diffusa est. Nec minori profecto commendatione reliquas huiuscemodi sodalitates prosequimur, quae Vindobonae aut alibi conflatae, diverso licet nomine distinguantur, in idem tamen opus propagationis fidei, religiosissimo etiam catholicorum principum favore sustentatum, aequa animorum contentione conspirant. Magnum sane opus et sanctissimum, quod modicis oblationibus et quotidianis precibus a quolibet sodalium ad Deum effusis sustinetur, augetur, invalescit; quodque apostolicis operariis sustentandis, christianaeque caritatis operibus erga Neophytos exercendis, nec non fidelibus ab impetu persecutionum liberandis inductum, bonorum omnium admiratione atque amore dignissimum existimamus. Nec sine peculiari divinae providentiae consilio tantum commodi atque utilitatis Ecclesiae nuperrimis hisce temporibus obvenisse censendum est. Dum enim omnigena inferni hostis machinamenta dilectam Christi sponsam lacessunt; nihil illi opportunius contingere poterat, quam ut desiderio propagandae catholicae veritatis Christi fideles inflammati, iunctis studiis, collataque ope, omnes Christo lucrifacere conniterentur.

§ 14. Quare nos in suprema, licet indigni, Ecclesiae specula constituti nullam praetermisimus opportunitatem, quominus Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes et pronam nostram in tam praeclarum opus voluntatem disertissime testaremur, et fidelium in id caritatem congruis acueremus incitamentis. Et vos igitur, venerabiles fratres, qui in partem vocati estis sollicitudinis nostrae, sedulo agite, ut tantum illud opus ampliora quotidie penes commissum cuique gregem incrementa accipiat. *Canite tuba in Sion,* paternisque monitis et suasionibus curate, ut qui pientissimae societati nondum sese comites adiunxerunt, illam perlibenter ingrediantur; qui vero eidem se addixerint, in proposito perseverent.

§ 15. Hoc sane tempus est, « quo per totum mundum saeviente diabolo, acies debet christiana confligere » (1); atque adeo tempus hoc est omni studio providendi, ut plorantibus, orantibus, ac pro fide laborantibus sacerdotibus sancta hac sese coniungant conspiratione fideles. In spem autem firmissimam erigimur fore, ut Deus, qui Ecclesiam suam in tanto religionis discrimine, et in tam duro ac diuturno cum hostibus certamine, omnipotentiae suae dextera sustentare non desinit, fideliumque constantia caritate ac devotione laetificat; multiplicatis pastorum atque ovium precibus piisque operibus propitiatus, eidem tandem optatam tranquillitatem ac pacem misericorditer largiatur.

§ 16. Interea vobis, venerabiles fratres, et creditis vestrae curae clericis laicisque fidelibus universis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XVIII. sept. MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXV.

Provinciam Yun-nan in Sinis segregat a vicariatu Sutchuensi, et erigit in no-

(1) Ex verbis S. Leonis M. Serm. 49 al. 48.

vum vicariatum apostolicum, cuius curam committit seminario Parisiensi missionum ad exteros.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum ad augendam usquequaque firmandamque rem catholicam nil magis conferre aut validius unquam fuerit, quam Episcoporum quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, numerum augere, qui satius Christifidelium necessitatibus occurrat, hinc de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, attentâ vicariatus apostolici Sutchuensis amplitudine, provinciam Yun-nan, ab anno MDCCLXXXI. gravibus de causis eidem vicariatui ad huius Apostolicae Sedis beneplacitum coniunctam, segregandam atque seiungendam ac in distinctum vicariatum apostolicum erigendam esse censuimus, atque huiusce novi vicariatus regimen alumnis optime meriti seminarii missionum ad exteros committendum duximus cum iisdem conditionibus, quibus ceterorum ipsis vicariatuum cura fuit concredita.

§ 2. Motu igitur proprio, certa scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine hisce literis provinciam Yun-nan a commemorato vicariatu apostolico Sutchuensi penitus seiungimus, subtrahimus, ac in peculiarem ac distinctum vicariatum erigimus et constituimus, atque huiusmodi vicariatus regimen alumnis seminarii missionum ad exteros committimus iisdem cum conditionibus, quibus ceteri vicariatus ipsis commissi sunt, atque ita, ut inter eos qui dignior in evangelico munere habetur, ab Apostolicâ hac Sede in Vicarium Apostolicum eligatur cum charactere et titulo episcopali in part. infid., et cum facultatibus necessariis et opportunis, quae hisce Vicariis ab hac ipsa Apostolicâ Sede concedi solent. Haec volumus etc.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo Piscatoris, die XXVIII. augusti MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXVI.

Superiori seminarii Parisiensis missionum ad exteros committit electionem Vicarii Apostolici Yun-nan, charactere episcopali decorandi, ex missionariis eiusdem seminarii in Sinis laborantibus.

Dilecto filio superiori seu directori seminarii missionum ad exteros,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum per similes apostolicas literas hoc ipso die datas de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio Sinensem provinciam Yun-nan ab anno MDCCLXXXI. Vicario Apostolico Sutchuensi in administrationem traditam, in peculiarem et distinctum apostolicum vicariatum erigendam seu restituendam duxerimus, eiusque curam istius seminarii alumnis committendam existimaverimus; novi huiusce vicariatus regimini prospicere summopere cupientes, eidem vicariatui idoneum praesulem praeficiendum statuimus cum charactere episcopali ac titulo ecclesiae in part. infid. Quamobrem de eorumdem Cardinalium sententiâ tibi, dilecte fili, qui istius Seminarii superior seu director existis, auctoritate nostrâ apostolicâ hisce literis committimus et mandamus, ut eum inter tuos probatos missionarios in Sinis laborantes eligas atque deputes, quem ad id muneris magis idoneum ac digniorem in Domino iudicaveris, quem quidem a te auctoritate nostrâ electum in Vicarium Apostolicum Sinensis provinciae Yun-nan auctoritate et tenore praesentis constituimus et deputamus cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, salvâ tamen semper in praemissis Cardinalium eiusdem Congregationis auctoritate.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo Piscatoris, die XXVIII. augusti MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXVII.

Mongoliam erigit in peculiarem vicariatum apostolicum a vicariatu Leao-tung disiunctum, eiusque curam tradit congregationi Missionis Sancti Vincentii a Paulo.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum per similes nostras apostolicas literas, alias die XIV. augusti anni MDCCCXXXVIII., alias die III. septembris anni MDCCCXXXIX., datas ad rem christianam in quibusdam dioecesis Pekinensis regionibus periclitantem tuendam firmandamque, regiones ipsas ab antedictâ ecclesiâ disiunctas ac dismembratas in distinctos vicariatus apostolicos erexerimus; provinciam scilicet Leao-tung additâ Mantchouriâ et Mongoliâ, nec non alteram provinciam Xantung nuncupatam, iisque Apostolicos Vicarios cum charactere ac titulo episcopali in part. infid. praeficiendos duxerimus, nunc satius prioris vicariatus regimini, seminarii Parisiensis ad exteros alumnis credito, prospicere summopere cupientes, nimiâ eius attentâ amplitudine ac perpendentes missionariorum S. Lazzari in Mongoliâ laborantium numerum ac sollicitudinem, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Mongoliam a vicariatu Leao-tung seiungendam, eamque in distinctum vicariatum alumnis instituti S. Vincentii a Paulo committendum erigere constituimus.

§ 2. Motu igitur proprio, ac certâ scientiâ et matura deliberatione, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine hisce literis Mongoliam a commemorato vicariatu Leao-tung penitus seiungimus, subtrahimus ac in peculiarem et distinctum vicariatum erigimus et constituimus, ac huiusmodi Vicariatum alumnis instituti S. Vincentii a Paulo committimus, cum eisdem conditionibus quibus vicariatus Tche-Kiang et Kiang-si eis creditum fuit, electo ex eorum gremio ab hac Apostolicâ Sede Vicario Apostolico cum charactere ac titulo episcopali in part. infid., omnibusque cum facultatibus necessariis et opportunis, quae huiusmodi Vicariis Apostolicis ab hac Apostolicâ Sede concedi solent.

Haec statuimus etc.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo Piscatoris die XXVIII. augusti MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXVIII.

Superiori generali Congregationis Missionis mandat ut novo vicariatui Mongoliae unum ex alumnis Congregationis praeficiat episcopali titulo decorandum.

Dilecto filio Ioanni Baptistae Nozò superiori generali instituti Sancti Vincentii a Paulo Missionis,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum per similes apostolicas literas hoc ipso die datas, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Sinensem Mongoliae regionem, a dioecesi Pekinensi iam disiunctam ac vicariatui apostolico Leao-tung anno MDCCCXXXVIII. adiectam, in distinctum vicariatum apostolicum erigendam duxerimus, eiusque curam alumnis instituti S. Vincentii a Paulo missionis commiserimus, novi huiusce vicariatus regimini prospicere vehementer optantes, eidem vicariatui idoneum praesulem praeficiendum constituimus cum charactere episcopali ac titulo ecclesiae in part. infid. Quamobrem de eorumdem Cardinalium sententiâ, tibi, dilecte fili, qui illorum alumnorum superior generalis existis, auctoritate nostrâ apostolicâ per hasce literas committimus et mandamus, ut ex tuis alumnis eligas quem ad id muneris magis idoneum ac digniorem in Domino existimaveris, quem quidem a te auctoritate nostrâ electum in Vicarium Apostolicum Mongoliae constituimus et deputamus auctoritate et tenore praesentis cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, quae ab hac Apostolicâ Sede hisce Apostolicis Vicariis concedi solent, salvâ tamen semper in praemissis Cardinalium eiusdem Congregationis auctoritate.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo Piscatoris die XXVIII. augusti MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXIX.

Visitatorem apostolicum pro missione in Bosnia eligit.

Venerabili fratri Iosepho de Kukovich Episcopo Bosniensi et Sirmiensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ad iurgia sedanda dissidiaque extinguenda inter dilectos filios fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia qui missionariorum munere in Bosnia funguntur, eosque in corcordiam adducendos subiiciendosque, ut par est, auctoritati venerabilis fratris Vicarii Apostolici inibi constituti nobis necesse prorsus visum fuerit, novum apostolicum visitatorem pro illa missione statuere, suspensa interim in ea provincia quavis superiorum regularium potestate ademptaque ipsis religiosis viris facultate capitulum celebrandi, electionemque quamcumque in posterum faciendi, nos de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, tibi, venerabilis frater, huiusmodi munus committere statuimus. De tua igitur prudentia ac probitate plurimum in Domino confisi, atque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te Episcopum Bosniensem et Sirmiensem in visitatorem apostolicum in praedicta missione cum omnibus facultatibus ad id negotii necessariis et opportunis auctoritate apostolica tenore praesentium ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum eligimus et constituimus, salva semper in praemissis Congregationis eorumdem Cardinalium auctoritate. Quapropter interea temporis quamvis superiorum regularium potestatem in ea provincia suspensam declaramus, ipsisque religiosis viris interdicimus capitulum celebrare electionemque quamcumque in posterum facere. Idcirco mandamus in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis ad quos spectat etc.

Datum in Arce Gandulphi sub annulo Piscatoris die XXVIII. augusti MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXX.

Respondet principi insularum Gambieres propriam conversionem ac pietatis opera ac praesertim templi aedificationem ex lapide susceptam Pontifici manifestanti; eum cum populo ad perseverandum allicit, et plura numismata ex auro et argento ad eum eiusque uxorem dono mittit:

Dilectissimo in Christo filio nostro Gregorio Stanislao principi insularum Gambieres,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilectissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quo cor nostrum gaudio repleverint literae a celsitudine tuâ ad nos missae, haud facile explicare verbis possumus. Nihil enim amabilius, nihil optatius, quam vel quod de tuâ simul ac tui populi conversione ad veram catholicam fidem laetabundus commemoras, vel quod de summo in Christum Iesum religionis studio significas, qui publicis etiam supplicationibus apud vos colitur, cuique templum ex lapide suscepistis aedificandum, vel denique quod scribis de singulari, qua estis affecti, pietate in Deiparam Virginem Mariam, quam vestram appellare matrem et sollemniter honorare, ei istam quoque regionem dicando, gloriamini. Vere igitur speciosi fuisse dicendi sunt pedes evangelizantium istic pacem, evangelizantium bona, quum adeo uberes ex eorum labore fructus extiterint. Gratulamur itaque quammaxime tibi ac tuae genti universae, quod ita vobis ostenderit Deus misericordiam suam. Quare aequissimum est, quod virtutes eius annuncies qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Quum autem nunc sitis lux in Domino, ut filii lucis semper ambulate, abundantes, in omne opus bonum, et spe gaudentes quoniam merces vestra copiosa erit in coelo. Pro vobis autem et nos magnâ cum spiritus exultatione Deo gratias agimus: ac tuae celsitudinis gentisque tibi subiectae memores in obsecrationibus et orationibus nocte ac die eumdem luminum Patrem et misericordiarum enixe precamur, ut per dilecti Filii sui merita, et SSmâ Matre eius Mariâ intercedente,

sub umbrâ vos protegat alarum suarum, custodiatque ut pupillam oculi. Porro quod meministi etiam de veste a nobis acceptâ, ingenuum gratumque animum tuum agnovimus: verum persuasum tibi esse, dilectissime in Christo fili noster, praeterea volumus, nos quacumque in re possimus celsitudini tuae commodare, paratissimos in Domino semper futuros. Interim tria ad te mittenda duximus numismata argentea, quae imagines referunt Alphonsi confessoris atque Pontificis, Francisci, Ioannis, Pacifici confessorum, et Veronicae Virginis, quos superiore anno, in festo augustissimae Trinitatis, solemni decreto venerandos Sanctorum cultu pronunciavimus: et tria insuper numismata ex auro, in quibus imago conspicitur D. N. Iesu Christi dum in novissimâ coenâ Petri Apostoli pedes lavaret. Ipsorum vero numismatum duo, videlicet ex utroque genere unum, dilectissimae in Christo filiae nostrae praestantissimae principi tuae uxori trades: et haec munuscula tamquam indicia habebitis effusissimae illius caritatis, qua ambos in visceribus Christi prosequimur. Denique benedictionem apostolicam coelestium atque terrestrium bonorum auspicem tibi, dilectissime in Christo fili noster, eidemque tuae coniugi, et fidelibus tuis populis, toto paterni cordis affectu amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die IV. novembris MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXXI.

Coadiutorem vicariatus apostolici Madraspatani, Vicarium Apostolicum Bengalensem seu Calcuttae constituit.

Venerabili fratri Iosepho Carew Episcopo Philadelphiae, et coadiutori Vicarii Apostolici Madraspatani,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium nobis ex alto commissum postulat atque efflagitat, ut animarum saluti summa vigilantia, cura et studio pro viribus consulamus. Itaque cum per obitum bo. me. Ludovici Tabord Episcopi Isauropolitani et Bengalensis Ecclesiae Vicarii Apostolici interini memorata missio seu Vicariatus Praesule ac pastore destituta remanserit, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio eidem missioni seu Vicariatui consulendum esse censuimus. Quamobrem tibi, qui in praesentia coadiutor Vicarii Apostolici Madraspatani existis, eiusque vices ac munus geris, quique singulari prudentiâ, pietate, doctrinâ ac rerum gerendarum peritiâ maxime praestas, illud munus de eorumdem venn. fratrum consilio tribuendum existimavimus. Quocirca te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ a Vicariatu Madraspatano ad Bengalensem transferimus, teque ad nostrum et huius Apostolicae Sedis beneplacitum in Vicarium Apostolicum praedictae Bengalensis missionis eligimus, constituimus et deputamus. Praeterea eâdem auctoritate nostrâ apostolicâ tibi facultatem facimus, ut in Madraspatanâ missione interim Pro-Vicarium Apostolicum ex illis operariis evangelicis constituas atque relinquas, qui missionis ipsius curam gerat, donec ab hac Apostolicâ Sede aliter provisum fuerit. Mandamus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII. nov. MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXXII.

Antonium Mussabini Archiep. Smyrnarum Visitatorem Apostolicum eligit ad inquirendum de fide et moribus Graecorum et Albanensium regni utriusque Siciliae.

Venerabili fratri Antonio Mussabini Archiepiscopo Smyrnae,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum graves acceperimus relationes, ex quibus necessarium sit Apostolicum Visitatorem in regnum utriusque Siciliae mit-

tere ad ea inquirenda, quae fidem moresque respiciunt inter Graecos et Albanenses graeci ritus, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te, ven. frater, Archiepiscopum Smyrnaeum, virum doctrinâ, prudentiâ ac religionis zelo commendatissimum, ad id muneris eligendum esse censuimus atque decernimus. Quapropter te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te Visitatorem Apostolicum Italo-Graecorum in regno utriusque Siciliae cum necessariis et opportunis facultatibus ad negotia componenda auctoritate apostolicâ tenore praesentium ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum facimus et constituimus, iniuncto onere omnia deinde pro definitivâ approbatione referendi, ac salvâ semper in praemissis Congregationis eorumdem Cardinalium auctoritate. Mandamus etc.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIII. nov. MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXXIII.

Vicarii Apostolici districtus Walliae in Angliâ Visitatorem deputat provinciae Anglicanae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae.

Venerabili fratri Dominico Brown Congregationis Anglo-Benedictinae Episcopo Apolloniae in part. infid., et Vicario Apostolico Districtus Walliae,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum ex testimoniis gravitate praestantibus nobis constiterit, talem in praesentiarum esse provinciae Anglicanae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae statum, ut ad illam conservandam, augendam atque ad rationem statuendam, qua illa amplificetur et copiosiorem fratrum numerum habere possit, necesse omnino sit plura negotia componere eamdem provinciam respicientia, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Apostolicum Visitatorem illius provinciae statuere decrevimus.

§ 2. Itaque probe noscentes, te singulari prudentiâ etc. huiusmodi munus de eorumdem venn. fratrum consilio tibi committendum censuimus. Quamobrem peculiari te benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causâ latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ ad nostrum et huius Apostolicae Sedis beneplacitum, in Visitatorem Apostolicum provinciae Anglicanae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae eligimus, constituimus et deputamus, tibique omnes necessarias et opportunas facultates tribuimus, quibus ea omnia perficere possis, quae ad superius commemorata peragenda in Domino expedire censueris, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandamus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXV. dec. MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXXIV.

Laudat Praesules provinciae Baltimoren. in Americâ ob celebratam IV. Synodum, et decreta ad fidem et disciplinam servandam promovendamque lata, quaeque Sedis Apostolicae examini subiecerant: eisque significat accepturos esse per literas S. Congregationis, quae peculiariter de decretis illis eorumque petitionibus statuerit.

Venerabilibus fratribus Samueli Archiep. Baltimorensi et eius suffraganeis,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Plures accepimus literas, quas in exitu Concilii provincialis Baltimorensi IV. a vobis mense maio celebrati, ad nos dedistis, tum ut vestrum erga personam hu-

militatis nostrae Sanctamque hanc Sedem obsequium repetitâ, una omnes, declaratione confirmaretis, nostrumque animum ex afflictis non uno in loco Ecclesiae rebus solicitum vehementerque dolentem amantissime consolaremini; tum vero ut de omnibus Concilii actis more maiorum ad supremam Petri Sedem referentes, enixe precaremini, ut decreta in illo edita probare vel etiam, ubi opus fuerit, emendare velimus, atque insuper nonnulla indulgere ac decernere, quae vobis istic in religionis bonum cessura visa sunt. Iam vero ad memoratas petitiones vestras responsum accipietis per nostram Propagandae Fidei Congregationem, cui Concilii acta cognoscenda mandavimus ac nostram super illis mentem significavimus. Et habebitis quidem in eiusdem Congregationis literis novum documentum singularis benevolentiae, qua vos, venn. fratres, ecclesiasque vestras impense prosequimur. Verum abstinere non possumus, quominus hac etiam nostrâ epistolâ meritis celebremus laudibus pastoralem solicitudinem, qua inducti rursus ex canonum praescripto convenistis in unum, et invocato lumine Spiritus Sancti, consiliisque invicem communicatis, tueri studuistis cleri disciplinam, et pietatem fovere fidelis populi, atque adeo convellere vitiorum germina, seductionis pericula propulsare, ac prospicere ut pueri puellaeque ad veram fidem solidamque virtutem accuratius informentur; denique vos ipsos excitare ad Ecclesiae iura sarta tecta servanda, et partes vestri muneris in animarum salutem alacriori usque sedulitate implendas. Profecto in iis, quae in Synodo a vobis gesta scriptaque sunt, libentissime recognovimus zelum, quo inflammati estis, ut de Catholicâ Ecclesiâ, de S. hac Sede, ac de vestris dioecesibus bene mereamini. Hinc autem firmiori vobiscum spe nitimur fore, ut Deo bene iuvante floreat istic quotidie magis religio nostra sanctissima, et merito iuxta atque numero catholicus populus augeatur. Nos interea, licet indigni, non desistimus fraternitates vestras creditosque vobis greges Deo et Verbo gratiae ipsius suppliciter commendare, nec dubitamus quin vos pariter minime intermittatis Patrem misericordiarum per Iesum Christum filium suum fervidis precibus obsecrare, ut infirmitatem nostram difficillimis hisce temporibus sub immenso supremi apostolatus pondere laborantem omnipotenti suâ virtute sustentet, omnesque actus nostros dirigat atque ad bonum exitum adducat. Denique nostrae in vos propensissimae voluntatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam ex imo corde depromptam vestrum singulis atque istarum ecclesiarum clericis laicisque fidelibus universis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. dec. anni MDCCCXL., pontificatus nostri anno X.

CLXXXV.

Iacobo Holas Patriarchae Ciliciae Armenorum pallium tradit (1).

Venerabili fratri Iacobo Holas nuper Archiepiscopo Amasen. in Patriarcham Ciliciae Armenorum electo,

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos hodie patriarchali ecclesiae Ciliciae Armenorum certo nunc expresso modo pastoris solatio destitutae de persona tua nobis et venn. fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum negotiis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum et per nos adprobatum, de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerimus, teque eidem patriarchali ecclesiae in Patriarcham praefecerimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; ac postmodum Pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, pro parte tua fuerit nobis hodie per dilectum filium Thomam comitem Gnoli nostrae consistorialis aulae advocatum ea qua decuit reverentia postulatum: nos tuis postulationibus annuentes Pallium ipsum de corpore beati Petri

(1) Constitutiones et Bul. per viam de Curia. Vol. 1829-1833.

sumptum et per duos ven. fratres nostros Archiepiscopos vel Episcopos in illis partibus degentes, gratiam tamen et communionem Sedis Apostolicae habentes, tibi assignandum, per dilectum quoque filium Ioannem Topus presbyterum Armenum nuncium tuum duximus destinandum ut iidem Archiepiscopi vel Episcopi aut eorum alter illud tibi sub infrascripta forma assignent vel assignet et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub altera etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum iuramentum recipiant seu recipiat. Tu autem Pallio eodem intra patriarchalem ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus uteris qui expressi in ipsius patriarchalis ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius serves interius in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus, humilitatem et iustitiam dante Domino qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum sponsam tuam cures sollicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augere. Quocirca praefatis Archiepiscopis vel Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum dictum Pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent seu curet assignari et a te nostro et eiusdem S. R. E. nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant seu alter eorum recipiat iuramentum, eiusdemque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium Nuncium quanto citius destinare procures. Forma autem qua praefati Archiepiscopi vel Episcopi in assignando tibi dicto Pallio utentur, haec est: Ad honorem Omnipotentis Dei ac Beatae Mariae Virginis ac Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Domini nostri Domini Gregorii PP. XVI. et S. R. E. necnon patriarchalis ecclesiae Ciliciae Armenorum tibi commissae tradimus tibi Pallium de corpore Beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pastoralis officii, ut eo utaris intra ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis - Forma autem iuramenti quod praestabis, haec est: Ego Iacobus Holas Archiepiscopus Amasen. in Patriarcham Ciliciae Armenorum electus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino nostro Domino Gregorio PP. XVI. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant vel membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut Nuncios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis visitabo aut per me aut per meum Nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de an. Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia. -

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo primo, quinto kalendas februarii, pontif. nostri anno XI.

CLXXXVI.

Iacobum Holas Archiepiscopum Amasen. in Patiarcham Ciliciae Armenorum eligit (1).

Venerabili fratri Iacobo Holas Archiepiscopo nuper Amasen. in Patriarcham Ciliciae Armenorum electo,

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei.

salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem Pastor ille coelestis et Episcopus animarum potestatis

(1) Constitutiones et Bul. per viam de Curia. Vol. 1829-1853.

plenitudine sibi tradita ecclesiis praetulit universis, sollicitudo requirit ut circa cuiuslibet ecclesiae statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectum tunc per simplicis provisionis officium quandoque vero per ministerium translationis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis Pastor accedat idoneus et Rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ecclesiamque sibi traditam non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis. Sane patriarchali ecclesia Ciliciae Armenorum, cui bo. me. Gregorius denominatus Sextus, ultimus illius Patriarcha dum viveret praesidebat, per obitum dicti Gregorii Patriarchae, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem huiusmodi patriarchalis ecclesiae Ciliciae Armenorum paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo ipsi ecclesiae patriarchali Ciliciae Armenorum personam utilem ac etiam fructuosam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te nuper Archiepiscopum Amasen, quem venerabiles etiam fratres nostri Episcopi Catholici nationis Ciliciae Armenorum ad patriarchalem ecclesiam huiusmodi pro illis Patriarcha elegerunt seu postularunt, quique fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica Orientalibus praescriptos expresse professus fuisti, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit, et attendentes quod tu qui ad archiepiscopalem ecclesiam Amasen. evectus munere consecrationis suscepto pontificalia exercuisti, ordinationes habuisti, confirmationis sacramentum administrasti et in reliquis ita te bene gessisti, ut praedictae ecclesiae patriarchali Ciliciae Armenorum praefici dignus censearis, ipsamque patriarchalem ecclesiam scies voles et poteris auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam dictae patriarchali ecclesiae Ciliciae Armenorum quam eius gregi dominico salubriter providere, teque a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat ut translatio, provisio et praefectio per nos ut infra faciendae praesentesque litterae suum debite sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac eiusmodi electionem seu postulationem de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate adprobantes et confirmantes, omnesque et singulos etiam substantiales defectus, si qui in electione seu postulatione huiusmodi quomodolibet intervenerint, quatenus opus sit, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, iuxta decretum a Congregatione eorumdem fratrum nostrorum praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per nos etiam adprobatum te, licet absentem, a vinculo quo dictae ecclesiae Amasen, cui hactenus praefuisti, tenebaris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes ad dictam patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum de consilio et apostolicae potestatis plenitudine similibus transferimus, teque illi in Patriarcham praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo liberamque tibi ad dictam patriarchalem ecclesiam transeundi licentiam tribuendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, ipsa patriarchalis ecclesia sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad praefatam patriarchalem ecclesiam cum gratia nostrae benedictionis accedens curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, ipsaque patriarchalis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis; necnon venerabilibus fratribus nostris suffraganeis orthodoxis ac dilectis etiam filiis Vassallis dictae patriarchalis ecclesiae ac

clero et populo, ipsi patriarchali ecclesiae subiectis per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod mutua inter te et ipsos gratia gratos sortiatur effectus et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare; clerus autum te pro nostra et eiusdem Sedis Apostolicae reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli praeterea praefati te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam tu rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem quod tu in tua patriarchali Montem Pietatis ad praescriptum sacrosancti Concilii Tridentini instituas, conscientiam tuam super hoc onerantes. Volumus etiam quod tu antequam regimini et administrationi dictae patriarchalis ecclesiae te in aliquo immisceas, in manibus duorum pariter fratrum nostrorum Archiepiscoporum vel Episcoporum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentium et in istis partibus degentium, seu alterius eorum, fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta formam praesentibus adnotatam et sic a te praestiti iuramenti formam ad eamdem Congregationem de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis, quibus et eorum cuilibet per easdem praesentes pariter mandamus ut ipsi vel eorum alter a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum huiusmodi iuxta eamdem formam recipiant seu recipiat. Forma autem iuramenti quod prestabis, haec est: Ego Iacobus Holas Patriarcha Ciliciae Armenorum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Ap. sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino nostro Domino Gregorio PP. XVI. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae, Domini nostri Papae et successorum praefatorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse, et quantocitius commode potero significabo eidem Domino nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, reservationes, dispositiones, provisiones, et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Hereticos Schismaticos et Rebelles Domino nostro ac successoribus praefatis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis personaliter et per ipsum visitabo et Domino nostro successoribusque praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio deque rebus omnibus patriarchalis ecclesiae meae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquomdo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica praefata humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio cleri mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum

sacerdotem et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legittimas probationes ad S. R. E. Cardinalem proponentem in Congregatione sacri Concilii Tridentini per supradictum Nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu cleri datriarchalis ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione investiturarum, bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo primo, quinto kalendas februarias, pontificatus nostri anno undecimo.

CLXXXVII.

Patriarchae nationis Maronitarum scribit de subsidiis, quae catholicae nationes tribuunt ut Maronitis et ecclesiae apud illos belli vicissitudininbus afflictae succurrant.

Venerabili fratri Iosepho Habaisci Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum dilectus filius Nicolaus Murad ecclesiae tuae negotiorum gestor in Montem Libanum reverteretur, praetermittere noluimus, ut litteris hisce nostram sollicitudinem nostramque dilectionem tum erga fraternitatem tuam, cum erga universam Maronitarum gentem testificaremus. Ob calamitates sane gravissimas, quas ab hostilibus armis Sanctissima Christi Religio istic perpessa est, intima confecti fuimus amaritudine; verum eo loco positi qua contritiones Israel deplorare non sufficit, eo curas cogitationesque nostras intendimus, ut quantum per nos fieri posset afflictis Maronitarum rebus opitularemur. Cum vero fidelium caritatem excitaverimus, ut fratribus inopia aerumnisque gravatis suppetias ferrent, praecipuae catholicorum nationes paratas sese exhibuerunt ad ea suppeditanda subsidia, quibus prostratae istic Maronitarum ecclesiae res passim instaurarentur, quapropter confidimus opportuna tibi ad opus auxilia non defutura. Quae cum ita se habeant, ven. frater, pietatis caritatisque tuae erit providere, ut ea primo in pristinum statum restituantur, quae Dei cultum ac religionis exercitium attingunt; tum vero et illa diligenter curare, quibus miserrima Maronitarum conditio sublevari queat. Ad haec, quamquam nos minime lateat pastoralis sollicitudo studiumque plane singulare, quo ecclesiam tibi creditam moderaris, attamen pro supremo apostolatus quo fungimur munere, sane non possumus quin fraternitatem tuam sedulo enixeque in Domino adhortemur, ut vigilantiam qua hactenus ad Maronitarum procurandam salutem incubuisti, augeas in praesentia, immo et ingemines. Novimus enim regiones istas ab heterodoxis non paucis perlustrari, ex quo quidem in quantum discrimen catholicorum fides adducatur, tristissima omnium fere saeculorum ac nostrorum praesertim temporum experientia satis superque manifestat. Attende igitur, ven. fr., universo gregi, cui te regendo Spiritus Sanctus praeposuit, atque in id modo operam industriamque omnem colloca, ut ab eodem sive haereseos sive schismatis venenum arceatur. Ceterum in rebus, quae sive ad tui commodum, sive ad utilitatem ecclesiae tuae pertinebunt, nostram Sanctaeque Sedis Apostolicae benignitatem paratissimam fore pollicemur. Interea tibi gregique tuo, quem paterna peculiarique complectimur caritate, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVI. feb. MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CLXXXVIII.

Dominicum Lefebvre Vic. Ap. Cochinchinae missionis eligit, si Episcopus Metel-

lopolitanus, non iam designato coadiutore, ex hac vita migraverit (1).

Dilecto filio presbytero Dominico Lefebvre,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Missionis statum exponit.

§ 1. Pastorale officium nobis ex alto commissum postulat, ut quibusque rebus omnibusque modis spirituali Christifidelium bono continenter vehementerque consulamus. Itaque quamvis per similes nostras apostolicas litteras die x. mensis decembris anno MDCCCXXXIX. datas tam Ludovico Taberd Episcopo Isauropolitano Vicario Apostolico Cochinchinae paulo ante in Bengalae missione defuncto, quam eius coadiutori ven. fratri Stephano Theodoro Cuenet Episcopo Metellopolitano nunc Vicario Apostolico, attentis peculiaribus circumstantiis, data fuerit, cuique, altero obeunte, facultas deligendi sibi coadiutorem cum futura successione et cum charactere et titulo episcopali in partibus quem defunctus praesul habuerat, tamen cum gravioribus iugiter memoratis ven. frater Episcopus Metellopolitanus versetur in angustiis, instantibusque persecutionis magis magisque saevientis periculis, ita ut impediri forsan possit quominus facultate sibi elargita uti valeat, ac propterea Cochinchinae missione episcopali regimine destitueretur:

Necessitas Vicar. Apost. designandi.

§ 2. Nos tam gravi rei occurrere volentes, perspecta etiam mente eiusdem ven. fratris Episcopi Metellopolitani quoad coadiutoris eligendi personam ei acceptam et ad id muneris idoneam, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio aliquem eximium virum eligendum censuimus, qui in casu quo Vicarius Apostolicus, non designato sibi coadiutore, e vita migraret, illius successor et Vicarius Apostolicus Cochinchinae existat et charactere ac titulo episcopali insignitus quoque sit.

Electum designat.

§ 3. Quamobrem ex gravissimis testimoniis probe noscentes eximiam tuam pietatem, religionem, prudentiam, integritatem ac singulare catholicae fidei studium et rerum peritiam quae ad illam Missionem pertinent, de eorumdem venn. fratrum sententia te peculiari beneficientia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, quoties contigerit ut commemoratus ven. frater Episcopus Metellopolitanus non designato sibi coadiutore ex hac vita migret, te hisce litteris auctoritate nostra apostolica Vicarium Apostolicum Cochinchinae Missionis iam nunc eligimus, constituimus et deputamus cum omnibus et singulis facultatibus necessariis atque opportunis alias Cochinchinensi Vicario Apostolico concessis, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Cum autem ad eumdem vicariatum regendum charactere et titulo episcopali ornatus sis oporteat, atque episcopalis ecclesia Isauropolitana, quae in partibus infidelium existit, sui pastoris solatio fuerit destituta; nos ad eiusdem ecclesiae provisionem celerem atque felicem, in qua nemo praeter nos potuit seu potest intromittere, paterno ac sollicito studio intendentes, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et fructuosam cum iisdem venn. fratribus habuimus diligentem, ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate etiam legitima constitutus existis, de cuius morum integritate et catholicae fidei zelo, ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione fide digna accepimus testimonia, oculos mentis nostrae direximus. Quibus omnibus mature perpensis, eamdem episcopalem ecclesiam de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus probata, de eorumdem venn. fratrum consilio auctoritate nostra apostolica hisce literis providemus, teque illi in Episcopum praeficimus atque Pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praedicta ecclesia tuae circumspectionis industria et studio utiliter et prospere dirigetur, grataque in spiritualibus et temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiet. Iugum igitur Domini

(1) Ex Cong. Tabul.

tuis impositum humeris prompta animi devotione amplectens, curam, et administrationem praescriptas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praedicta gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, et tu, praeter aeternae retributionis praemium, nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

Electionis conditiones

§ 4. Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praedictam, quandiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus et indulgemus. Ceterum ad ea quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum favorabiliter respicientes, tibi, ut a quocumque, quem malueris, catholico sacrorum Antistite, Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente, accitis et in hoc ei assistentibus duobus aliis Episcopis, vel, quatenus si commode reperiri non poterunt, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti regularibus, similem praedictae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas; ac eidem Antistiti, ut receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a sede nostra propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento solito, praedictum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, eadem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem. Volumus tamen eademque auctoritate praecipimus atque decernimus, ut, nisi receptis a te prius praedictum antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Omnibus praecipit in posterum obedientiam Vic.

§ 5. Denique omnibus et singulis ad quos spectat vel spectabit in posterum, mandamus, ut tibi tamqnam Cochinchinae Vicario Apostolico prompti pareant et obediant, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et implenda curent, alioquin sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI. febr. MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CLXXXIX.

Vicario Ap. Tunquini Occidentalis committit eligere et consecrare novum Vic. Ap. Cochinchinae, si Vic. Ap. et Coadiutor diem supremum obeant.

Venerabili fratri Episcopo de Acanto in partibus infidelium Vicario Apostolico Tunquini Occidentalis,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. De Conchinchinae Missionis bono vehementer solliciti, per similes nostras apostolicas litteras hodierno die datas dilectum filium presbyterum Dominicum Lefebvre in Vicarium seu successorem venerabilis fratris Stephani Theodori Cuenot Episcopi Metellopolitani Vicarii Apostolici Conchinchinae designavimus, eumdemque presbyterum Isauropolitanae Ecclesiae in partibus infidelium Episcopum renuntiavimus, quoties commemoratus ven. frater Episcopus Metellopolitanus et Vicarius nunc Apostolicus Conchinchinae, non designato sibi coadiutore, ex hac vita migraret.

§ 2. Cum autem evenire possit, ut, saeviente adhuc illis in locis persecutione, tam Episcopus Metellopolitanus quam eius

coadiutor seu electus Dominicus Lefebvre diem obeant supremum, ne Conchinchina Missio maioribus afficiatur detrimentis, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinatium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, Missionis ipsius incolumitati consulendum esse censuimus. Quapropter tibi, venerabilis frater, hisce litteris auctoritate nostra apostolica facultatem facimus atque impertimur, ut, cum tam Episcopus Metellopolitanus, quam eius coadiutor seu electus, de quibus habita mentio est, debitum naturae reddiderint, non solum administres ac regas interea temporis Conchinchinensem Vicariatum, verum etiam novum eligas Vicarium, quem ex Missionariis vel Tunquini vel Cochinchinae digniorem in Domino ac magis idoneum iudicaveris. Praeterea eadem auctoritate nostra apostolica huic viro a te eligendo characterem episcopalem, ac titulum alterutrius defuncti Praesulis, conferes cum omnibus facultatibus necessariis atque opportunis, servatis tamen iis omnibus, quae in Episcoporum consecratione ab hac Apostolica Sede servari praecipiuntur. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI. febr. MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CXC.

Archiepiscopo Armacano et per eum ceteris Praesulibus Hiberniae gratulatur ob unanimem consensionem in iis excipiendis quae circa nationale instituendae iuventutis systema S. Congregatio responderat.

Ven. fratri Guillelmo Crolly Archiepiscopo Armacano totius Hiberniae Primati,

GREGORIUS PP. XVI.

**Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Non sine iucundâ admodum animi nostri laetitiâ perlegimus datas die XV. februarii huius anni atque ab universis Hiberniae Archiepiscopis et Episcopis subscriptas literas, in quibus quidquid circa nationale iuventutis erudiendae systema Congregatio de Propagandâ Fide, nobis probantibus, constituit, unanimi omnium consensione ac grato animo receptum esse significabatur. Quae quidem quum splendidissimum praeseferant testimonium devotionis atque obsequii, quo S. Apostolicam Sedem Hibernenses Antistites prosequuntur, facile perspicis, ven. frater, cur in causâ fuerint, ut nos, dolore atque aegritudine confecti ob crebra quae afflictae Christi Sponsae infliguntur vulnera, singulari ac periucundo gaudio perfusi simus. Nihil enim in hac tristissimâ temporum conditione ad religionis causam tuendam atque ad confirmandos fideles expedit magis, quam ut Episcoporum coetus, civitas nempe illa supra montem posita quae omnium ad sese oculos trahit, firmitatem qua Sanctae Petri Sedi semper adhaesit, luculentioribus argumentis patefaciat. Quamobrem, ven. frater, in Domino exultantes, et tibi et Hiberniae Praesulibus universis etiam atque etiam gratulamur ob egregiam virtutem qua, gloriosis maiorum vestrorum vestigiis insistentes, filialem prorsus observantiam coram catholico orbe erga Cathedram istam exhibuistis; ac Deo misericordiarum Patri, ac Patri totius consolationis, gratias agentes quam maximas, ipsum sedulo enixeque deprecamur, ut exemplis hisce nobilissimis omnium dignetur animos permovere, ut ii etiam qui iamdiu catholicam Ecclesiam, quae sola *columna* est *ac firmamentum veritatis,* dereliquerunt, tandem ad desertae matris sinum divinâ adiuvante gratiâ revertantur. Ceterum in rebus omnibus, quae ad Hibernensium Ecclesiarum utilitatem pertinebunt, huius S. Sedis benignitatem fraternitati tuae et omnibus Hiberniae pastoribus, quibus ut haec communicentur operam dabis, paratissimam semper fore pollicemur. Interim tibi ac venerabili Episcoporum Hibernensium coetui, nec non fidelibus universis ipsorum curae commissis, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII. febr. MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CXCI.

Separat a dioecesi Gandavensi eas paroecias provinciae Zelandiae, quae modo

ditioni Regis Belgii (Paesi Bassi) *subsunt, easque unit vicariatui apostolico Bredae* (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad per etuam rei memoriam.

Prooemium. Universi dominici gregis salus nobis divinitus commissa atque concredita postulat et efflagitat, ut nullis neque consiliis, neque curis, neque laboribus parcamus, atque ea omnia perficienda curemus, quae in maiorem Christifidelium utilitatem redundare posse cognoscimus.

Regis petitio. § 1. Compositis itaque per similes nostras apostolicas literas die II. iunii anno superiori MDCCCXL. datas ecclesiasticis negotiis earum regionum, quae ex conventione a Belgarum regno seiuncta serenissimi Belgii, vulgo *Paesi Bassi,* Regis ac magni Luxemburgi ac Limburgi Ducis ditione restitutae fuerunt, necnon designatis vicariatuum in eodem regno existentium seu erectorum limitibus, cum eiusdem serenissimi regis apud nos et hanc Apostolicam Sedem orator nobis exponendum curaverit, vel maxime congruum ipsi regi videri eiusque in votis esse, ut illae pariter, quae adhuc subsunt ven. fratris Gandavensis Episcopi auctoritati, provinciae Zelandiae paroeciae cum suis adnexis, seu cum actuali earumdem territorio, ab eâdem Gandavensi dioecesi seiunctae et dismembratae vicariatus apostolici Bredani administratoris iurisdictioni subiiciantur; nos rebus omnibus maturo examine perpensis, et inspectâ praesertim maiore Christifidelium in iis locis disiungendis commoditate atque utilitate, atque accepto ipsius ven. fratris Gandavensis Episcopi assensu ac voluntate pro huiusmodi dismembratione, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, hisce postulationibus annuendum censuimus.

Petitionis acceptatio. § 2. Quamobrem motu proprio, certâ scientiâ, maturâ deliberatione, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, hisce literis eas Zelandiae provinciae paroecias cum actuali earumdem territorio, quae hactenus Gandavensi Episcopo subiectae fuerant, ab ipsa Gandavensi dioecesi perpetuo auferimus, distrahimus, divellimus, ipsasque cum vicariatu apostolico Bredano coniungimus, et Bredani in tempore praesulis iisdem in locis existentis auctoritati et iurisdictioni omnino subiicimus ac subiecta esse mandamus.

Executor apostol. § 3. Atque ut huiusmodi res suum sortiatur effectum, in harum literarum exequutorem deputamus ven. fratrem Antonium Antonucci Episcopum Feretranum, gestorem negotiorum huius S. Sedis apud commemoratum serenissimum Belgii Regem, ac Vice-Superiorem illius regni missionum, cum omnibus et singulis facultatibus necessariis atque opportunis, eâdem prorsus ratione, prout exequutio commemoratarum nostrarum apostolicarum literarum in simili formâ Brevis diei II. iunii superioris anni MDCCCXL. ipsi demandata fuit.

Decretum. § 4. Haec volumus, statuimus, mandamus decernentes, has praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ii, quorum interest aut interesse posset in futurum, vocati et auditi non fuerint, aut praemissis etiam non consenserint, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, Sedis Apostolicae Nuncios, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. § 5. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo et de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentibus, aliisque apostolicis atque in generalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, necnon statutis et consuetudinibus ac quibuscumque concor-

(1) Vide supra *Ubi universalis*.

diis et conventionibus forsan initis, roboratis, confirmatis et approbatis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Huiusmodi vero literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo personae ecclesiasticâ dignitate ornatae munitis, eamdem ubique locorum, in iudicio et extra, fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Fides transumptis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis, dismembrationis, divisionis, exemptionis, unionis, subiectionis, commissionis, deputationis, mandati, decreti ac derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX. martii MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CXCII.

Praesidi Reipublicae Haitarum in Insula S. Dominici commendat Episcopum S. Ludovici quem illuc mittit novum delegatum, ut damna Religionis ibi gliscentia, eius praesidio fultus, reparare possit.

Dilecto filio illustri et honorabili viro Ioanni Petro Boyer Haitarum Reipublicae praesidi,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili illustris et honorabilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificii muneris ratio et solicitudo universalis Ecclesiae, cui regendae per immensam divinae bonitatis abundantiam plane immerentes praefecti fuimus, nullam nos sinunt occasionem praetermittere, ut, quae gentis Haitianae spirituale emolumentum attingunt, ea opportune ac salubriter procuremus. Cum igitur ven. frater Iosephus Episcopus S. Ludovici in foederatis Americae provinciis reditum ex Urbe in suam dioecesim pararet, illum ad nobilitatem tuam mittendum duximus, ut tamquam delegatus noster, quae ad religionem pertinent, praesens inviseret, ac de iis componendis tecum pertractaret. Novimus enim (quod sine maximo animi dolore commemorare non possumus) religionem catholicam in Republicâ istâ sensim sine sensu labefactari, nec iam ad vitam moresque recte conformandos vim suam exercere, adeoque aeternam animarum salutem in gravissimum discrimen adduci. Quandoquidem vero, dilecte fili, te minime lateat morum perversitatem religionisque contemptum non leve reipublicae detrimentum inferre, supervacaneum profecto foret, si ea rursus hic percenseremus, quae alias per ven. fratrem Ioannem Episcopum Carolopolitanum tibi in hanc rem significavimus, quum videlicet plurium regionum exempla proposuimus, quibus ob catholicam in eis florentem fidem omnia bene ac feliciter successerunt. Verum, ne Haitarum gens iis destituatur commodis praesidiisque, quae ex divinae religionis cultu proficiscuntur, ab eâ removeatur oportet quidquid impedimento esse potest, ne sic res christiana geratur, quemadmodum fidei auctor et consummator Christus divinitus constituit atque sancivit. Quae quidem cum ita se habeant, illustris et honorabilis vir, legationem istam veluti peculiarem benevolentiae nostrae significationem erga te et rempublicam istam excipias, illudque certo scias, praesulem amplissimum a nobis ad tale munus destinari, quem ob egregias animi sui dotes atque ob plurimos pro Christi fide exantlatos labores singulari prorsus dilectione prosequimur. Ceterum eo vota nostra referuntur (quae a patre misericordiarum ac Deo totius consolationis benigne excipienda confidimus), ut quaecumque catholicae fidei obsunt e regionibus istis eliminentur, quae vero ad religionem instaurandam et ad aeternam animarum salutem promovendam conducunt, ea instituantur atque firmentur. Itaque, dilecte fili, ven. fratrem Episcopum S. Ludovici munus suum apostolicum exequentem tuearis patrocinio tuo validissimo, ac negotium huiusmodi, quo Dei gloria gentisque tuae agitur salus, pro viribus adiuves foveasque; ita enim Haitianae Reipublicae eam firmitatem ac pacem com-

parabis, quae nunquam a germanâ pietate seiungi potest; simulque, dum apud tuos viri optime de patriâ meriti consequeris laudem, indeficienter apud Deum beatitudinem promereberis. Ad cuius interim auspicium et pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIV. martii. MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CXCIII.

Nonnulla declarat et decernit circa missiones Custodiae Terrae Sanctae in Palaestina ac in vicariatibus apostolicis Syriae et Aegypti; poenitentiarios in urbe hierosolymitana constituit; tempus pro officialibus ac visitantibus ad sexennium prorogat (1).

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In supremo episcopatus culmine positi, muneris nostri esse censemus non modo apostolicos viros per orbem universum mittere, qui novas missiones constituant, atque evangelii lumen longe lateque diffundant, verum etiam illorum labores apte dirigere, eaque ratione rei catholicae ubicumque providere, quae fidei propagandae ac conservandae utilior existat. Enimvero, si primum illud Deo favente feliciter nobis contigisse gaudemus, nullis profecto curis, nullis laboribus pepercimus, ut alterum quoque consequeremur, aptioremque rerum ordinem locis congruentem induceremus. Peculiarem hanc nostram solicitudinem postulare videntur regiones illae, quae fratribus Minoribus S. Francisci Custodiae Terrae Sanctae addictis sunt commendatae, quorum profecto munus latissime patet: primo enim sanctuaria Palaestinae, quae Christus Dominus praesentia sua ac passione decoravit, ipsis debito cultu servanda tradita fuerunt; iisdem catholicorum fidelium ritus latini, quandoque etiam rituum Orientalium, cura est demandata; denique omni ope adlaborare debent, ut schismatici, haeretici ac infideles viam veritatis agnoscant et, unicum Christi ovile, Ecclesiam catholicam ingrediantur.

§ 1. Porro facultates et mandata, quae Vicariis Apostolicis Alepi, ab ipsa vicariatus erectione in hanc usque diem, tradita fuerunt, huiusmodi profecto sunt, ut inde aliqua ex parte imminuta videantur iura ac privilegia quibus ex praedecessorum nostrorum concessione fruebatur Guardianus seu Custos Terrae Sanctae. Pluries proinde ad sacram Congregationem de Propaganda Fide preces delatae fuerunt ex parte praesertim Vicariorum Apostolicorum, ut utriusque muneris iurisdictio certis limitibus praefiniretur, atque omnis adimeretur locus controversiis, quae, si ubivis, in locis praesertim missionum, non sine magno religionis detrimento inter ecclesiasticos viros agitarentur. Rem proinde venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sacri Consilii de Propaganda Fide sedulo examinandam tradidimus, ac de eorum sententia, habitaque ratione eorum omnium quae dilectus filius noster Aloisius tituli S. Callisti S. R. E. presbyter Cardinalis Lambruschini nuncupatus Seraphici Ordinis protector, ac dilectus pariter filius fr. Ioseph Maria ab Alexandria Minister Generalis Minorum Observantium ac Reformatorum S. Francisci hac super re nobis repraesentaverunt, auctoritatem tam praefati Vicarii Apostolici Alepi, quam custodis ac guardiani Terrae Sanctae, aptiori modo definiendam decrevimus. Petitiones Vic. Ap. exponit.

§ 2. Motu igitur proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine constituimus, ut guardianus Terrae Sanctae pro tempore iura, quae eidem competunt ad normam apostolicarum constitutionum, libere exerceat in universa Palaestina, atque Insula Cypri, quin Vicario Apostolico Alepi ulla in regionibus illis auctoritas competere amplius valeat. Cum vero ad Custodiam PP. Minorum Terrae Sanctae conventus et hospitia nonnulla pertineant in variis Syriae locis extra Palaestinam, ubi sacro etiam ministerio in populi utilitatem funguntur; decernimus, ut in iis quoque permaneant et omnia, uti antea, pro fidelium bono praestare prosequantur. Attamen, reservata in eos auctoritate P. Guardiani Terrae Sanctae, prout regularis superior existit provinciae seu Custodiae Terrae Sanctae in iis, quae regularem observantiam spectant, volumus et constituimus, ut Vicario Apostolico Vic. Apostolico Alepi custodiam Terrae Sanctae iuxta modum, subiicit.

---

(1) Vide infra Pium IX. *Romani Pontifices*, *Nulla celebrior*.

Alepi, cui Syria universa subest, ii quoque subiiciantur, quemadmodum ceteri Missionarii Regulares, qui in praefato Syriae Vicariatu degunt. Ita Vicarii Apostolici et Guardiani Terrae Sanctae iurisdictione composita, limitibusque statutis, quos uterque servare in posterum debeant, fore confidimus, ut, difficultatibus omnibus de medio sublatis, in satis ampla provincia eorum respective sollicitudini commissa adlaborare impensius pergant. Neque vero diversa ratione agendum putavimus, cum, animo recolentes quot quantaque incrementa catholica fides in Aegypti regione sibi polliceri posset, per nostras literas in simili forma Brevis die XVIII. maii anno MDCCCXXXIX. quae incipiunt *Ex munere Pastoralis ministerii,* missionem Inferioris Aegypti a Guardiani Terrae Sanctae, qui eam uti Praefectus Apostolicus regebat, iurisdictione abstulimus, missionem insuper Superioris Aegypti atque Arabiam a vicariatu apostolico Alepi disiunximus; quibus ex regionibus novum constituimus vicariatum apostolicum, quem ven. fratri perpetuo Episcopo Fesseitano commisimus. Porro, ut ea omnia, quae regimen Terrae Sanctae respiciunt, nostra hac constitutione complectamur, praefatam dismembrationem in omnibus suis partibus, ac Vicariatus Apostolici in Aegypto erectionem ratam habentes ac confirmantes, declaramus pariter, quod fratres Minores Custodiae Terrae Sanctae addicti missionem, quam in Inferiori Aegypto exercebant, obtinere adhuc debeant ea ratione, ut subiectio, quam Vicario Apostolico, quemadmodum alii missionarii regulares ipsius vicariatus, praestare debebunt, nullo pacto impediat, quin ad regularem familiam Terrae Sanctae adhuc pertineant, atque in iis omnibus, quae regularem observantiam respiciunt, P. Guardiano obsequi omnino debeant.

Duodecim poenitentiarios constituit.

§ 3. Ad ipsam vero Terrae Sanctae custodiam seraphici ordinis alumnis creditam solicitudinem nostram propius convertentes, quod pro maiore ipsius cultu ac splendore, et pro fidelium illuc confluentium utilitate iam praestitimus, iterum sancire ac solemniori modo confirmare statuimus. Perpendentes enim ad sanctuaria illa, ubi reparationis nostrae mysteria peracta fuere, devotionis causa magno numero fideles ex omnibus nationibus properare, per nostram Congregationem de Propaganda Fide poenitentiarios in Urbe Hierosolymitana constituendos curavimus, qui peccatorum confessiones in praecipuis illarum nationum linguis excipere assidue valerent. Ut igitur nostrae huius solicitudinis fructus iugiter percipiatur, praefatum Congregationis decretum iterum approbantes, mandamus, ut in Urbe Hierosolymitana duodecim Poenitentiarii ad normam poenitentiariorum basilicarum Urbis semper haberi debeant, quorum tres pro lingua Araba, ceteri vero pro Itala, Hispanica, Gallica, Britannica, Germanica, Hungarica, Polonica, Graeca ac Turcica deputentur. Muneris porro erit Superioris Generalis Ordinis S. Francisci in Urbe constituti diligenter curare, ut praesto semper sint viri pietate, scientia ac zelo praestantes, pro singulis ex praedictis linguis, quos ad ipsam Congregationem de Propaganda Fide deferet, ut ab eadem ceterorum missionariorum more Missionarii Apostolici ac poenitentiarii instituantur. Ii vero omnibus iuribus ac privilegiis gaudebunt, quibus alii missionarii ex Ordine Minorum S. Francisci de Observantia potiuntur, attamen sub obedientia P. Guardiani Terrae Sanctae suo muneri satisfacient.

Ad sexennium officialium munus extendit.

§ 4. Denique supramemorati dilectus filius noster Aloisius Cardinalis Lambruschini Ordinis Protector ac dilectus filius Iosephus ab Alexandria Minister Generalis considerationi nostrae subiecerunt, breve nimis atque angustum videri triennii spatium, quo munus Guardiani aliorumque officialium Terrae Sanctae perdurat, quemadmodum et praefinitum tempus in custodia permanendi pro fratribus Minoribus, qui ex variis ordinis provinciis visitantium nomine ad illam destinantur: optantes proinde, ut illorum ministerium S. Custodiae ac populo ibidem degenti magis utile evadat, preces nobis obtulerunt, ut perduratio dictorum munerum ac mansio in custodia pro visitantibus, ad longius tempus protraherentur. Nos igitur, qui vel maxime cupimus ut praefati regulares non modo in rite custodiendis Sanctuariis Palaestinae, verum etiam in animarum salute procuranda diligentem navent operam, derogantes in hac parte Constitutioni S. M. Benedicti XIV. praedecessoris nostri, quae incipit *In supremo militantis Ecclesiae solio,* decernimus, ut in posterum Custos Terrae Sanctae seu Guardianus S. Sepulchri, quemadmodum

et ceteri officiales, quorum munus triennio concludebatur, ad sexennium illud exerceant, idemque temporis spatium pro iis constituimus, qui visitantium nomine in custodiam se conferunt ex omnibus Ordinis provinciis, ut eidem inserviant, firmis ceteris remanentibus, quae in praefata atque in aliis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus continentur pro regimine Terrae Sanctae.

Hortatur degentes ut strenue adlaborent.

§ 5. Superest iam, ut ecclesiasticos viros et sacros ministros cuiuscumque gradus, ordinis ac ritus, qui in praefatis missionibus ac praesertim in Custodia Terrae Sanctae degunt, etiam atque etiam hortemur, ut solicitudini nostrae in primis respondeant, in vinea Domini strenue adlaborare curent, prae oculis habeant illorum exempla, qui in ministerio isto difficilioribus sane temporibus eos praecesserunt, quorum intuentes exitum conversationis, imitentur fidem, zelum domus Dei, solicitudinem, qua omnes cupiebant in visceribus Christi, pro quo interdum gravissima quaeque libentissime pertulerunt; ita enim eamdem ac illi immarcescibilem gloriae coronam a pastorum principe consequentur.

Contrariis derogat.

§ 6. Decernimus vero has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXIII. martii MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CXCIV.

Ad consulendum gravibus Religionis et fidelium necessitatibus in Republicâ Haitarum, illuc mittit Delegatum Apostolicum Episcopum S. Ludovici in America septemtrionali.

Ven. fratri Iosepho Rosati Episcopo S. Ludovici in foederatis Americae Septentrionalis provinciis,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Universi dominici gregis salus nobis divinitus concredita atque commissa postulat et efflagitat, ut summa vigilantiâ et curâ omnium Christifidelium bono consulamus, eaque peragenda curemus, quae in Catholicae Ecclesiae utilitatem animarumque salutem cedere posse videntur.

§ 1. Itaque quum magno paterni animi nostri dolore noverimus in Haitarum Republicâ res ecclesiasticas adeo afflictas ac perturbatas reperiri, ut peculiaris aliqua huius Apostolicae Sedis providentia necessaria prorsus videatur, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, aliquem idoneum virum eligendum censuimus, qui in Haitarum insulâ Delegati Apostolici munere fungens, ac omnibus facultatibus necessariis et opportunis instructus, Catholicae Religionis causam agat, eiusque necessitatibus consulat: huiusmodi vero munus de eorumdem fratrum consilio tibi committendum duximus, cuius prudentia, probitas, religionis zelus et in rebus ecclesiasticis sollertia atque peritia nobis satis est probata.

§ 2. Quamobrem egregiis tui animi ingeniique dotibus summopere in Domino fidentes, hisce literis, te, ven. frater, auctoritate nostrâ apostolicâ in nostrum et huius S. Sedis Delegatum Apostolicum apud totius Haitarum Reipublicae praesidem cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis eligimus, constituimus et deputamus, ut eâ in Republicâ Catholicae Religionis causam suscipere et agere possis, eiusque bono et commodo pro viribus consulere valeas.

§ 3. Te vero in Domino hortamur, ut singulari curâ, studio et diligentiâ ea omnia provide scienterque agenda cures, quae ad spiritualem illorum fidelium salutem procurandam et religionis bonum augendum pertinere posse videntur. Nos interim in humilitate cordis nostri Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis rogare non desinemus, ut det tibi spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, quo omnia a te hac super re perficienda optatum exitum consequantur. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXX. aprilis MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CXCV.

Agit cum Praesulibus Hungariae de matrimoniis mixtis ab Ecclesia reprobatis; de causis et cautionibus quibus nonnunquam permittuntur, ac de improbando parochorum usu qui, nulla accedente dispensatione nec cautionibus exactis, eisdem matrimoniis benedicunt. Praesules laudat quod hunc abusum passim sustulerint: permittit tamen, ipsis petentibus, ut, ad maiora mala evitanda, parochi materialem tantum praesentiam hisce matrimoniis, quae impedire nequeunt, exhibeant excepturi dumtaxat coniugum consensum; non omissuri tamen catholicum postea coniugem de obligationibus, quas habet, admonere (1).

Venerabilibus fratribus Praesulibus Hungariae,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Iudicium Eccl. super matrimoniis mixtis.

§ 1. Quas vestro et communi istius regni Antistitum nomine ad nos per ven. fratrem Iosephum Episcopum Canadiensem misistis, obsequentissimae literae partim moeroris, partim laetitiae causa nobis extiterunt. Et sane, cum pro apostolici muneris officio sacrae doctrinae et disciplinae integritati cavere studiosissime debeamus, non possumus non moleste ferre quidquid in earum discrimen induci fortasse contingat. Exploratum porro satis superque est quid Ecclesia de matrimoniis catholicos inter et acatholicos perpetuo senserit. Ipsa nimirum tamquam illicitas planeque perniciosas semper habuit eiusmodi nuptias, tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, pravamque sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones illis severe interdicentes, et recentiores summorum Pontificum sanctiones, a quibus speciatim recensendis iuvat abstinere, cum ea abunde sufficiant, quae in rem disseruit insignis memoriae praedec. noster Benedictus XIV. in encyclicis literis ad Poloniae regni Episcopos, atque in celebratissimo opere quod *de Synodo Dioecesanâ* inscriptum est. Quod si alicubi propter locorum ac temporum difficultatem talia connubia tolerentur; id profecto ad eam referendum est aequanimitatem, quae nullâ ratione adprobationis vel consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non voluntas; quemadmodum in datâ ad Archiepiscopum Moguntinum die IX. octobris MDCCCIII. epistolâ fel. rec. Pius VII., decessoris sui ad Episcopos Vratislaviensem, Rosnaviensem, Scepusiensem responsiones commemorans, sapienter animadvertit (2).

Quando et quomodo permiserit.

§ 2. Hinc etiam accidit ut, si aliquid de canonum severitate remittens haec Apostolica Sedes mixta istiusmodi matrimonia quandoque permisit, id gravibus dumtaxat de causis aegreque admodum fecerit, et nonnisi expressâ sub conditione de praemittendis opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed insuper ut proles utriusque sexus ex hisce coniugiis procreanda in Catholicae Religionis sanctitate omnino educaretur. Quae certe cautiones in ipsâ divinâ et naturali lege fundantur, in quam procul dubio gravissime peccat quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere committit.

Accedente Ecclesiae necessaria dispensatione

§ 3. Iam vero ex praedictis vestris literis comperimus per istius regni dioeceses abusum communiter inolevisse, ut matrimonia catholicos inter et acatholicos, nullâ licet accedente Ecclesiae dispensatione nec praeviis necessariis cautionibus, per catholicos parochos benedictione sacrisque ritibus honestarentur. Ac proterea intelligitis, venn. fratres, quam graviter exinde offici debuerimus, maxime cum invectam ita lateque propagatam perspiceremus omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque adeo magis in dies promotum funestissimum, uti vocant, indifferentismum in religionis negotio intra vastissimi illius regni fines, quod antea catholicae fidei gloriâ tantopere praestabat. Nec sane dissimulamus, nos sanctissimi, quo fungimur, muneris partes minime

(1) Roschovany de matr. mixt.
(2) Vide vol. III. p. 372 et vol. IV. p. 463, et infra *Non sine*.

fuisse praetermissuras, si scilicet res pridem innotuisset. Hanc autem silentii nostri causam ex eo etiam vobis pronum est coniicere, quod vel nuperis temporibus nulla prorsus ad promiscuas nuptias istic ineundas apostolica dispensatio fuerit concessa, nisi praescriptis necessariis conditionibus, iniunctisque regulis quae ex S. huius Sedis instituto servari consueverunt.

De Episcoporum animarum zelo laetatur.

§ 4. Inter haec tamen non parum solatii nobis allatum est quod, uno tempore de ingruenti malo certiores facti, didicerimus pariter adhibita per vos collegasque vestros studia ad illud opportune medendum. Et superabundavit quidem gaudio cor nostrum cum noverimus, quo coniunctim zelo inflammemini ut catholicae fidei puritas illaesa usquę permaneat, quaque unanimiter hanc Apostolicam Sedem, veritatis ducem et magistram, observantiâ ac devotione prosequamini, ad illius nutum crediti vobis pastoralis officii rationem sedulo dirigentes. Ubi enim, docti nostris in rem ipsam declarationibus ad alias regiones spectantibus, perpendistis, praxim, quae istic invaluerat, Ecclesiae principiis ac legibus penitus adversari, ac proinde sine gravi periculo tolerari per vos diutius non posse; minime dubitastis communi consilio atque operâ eidem tollendae, ut par erat, insistere, parati etiam fortiter sustinere pericula, si quae forent, pro aeternâ vestrâ gregisque salute obeunda. Ad nostram autem laetitiam complendam accesserunt uberes fructus qui ex vestris curis illico dimanarunt. Neque enim ignoramus quam fideliter parochi et reliquus clerus vestris eâ de re monitis praeceptisque fuerint obsequuti, ita ut, illegitimâ consuetudine iam passim sublatâ, primaevae sacrorum canonum disciplinae consultum sit. Itaque gratulamur vobis maiorem in modum, ven. fratres, et, gratias agentes Deo qui vosmetipsos in fidei suae ac doctrinae tutelam fortitudine induit ex alto, hortari ac vehementius etiam excitare non desistimus, ut pari firmitate atque constantiâ pergatis Catholicae Ecclesiae causam propugnare, ne pravus usus uspiam reviviscat et, si quod adhuc superest illius germen, funditus eradicetur.

Parochi a Sancta Sede instructionem petent.

§ 5. Interim vero non potuimus non attente respicere ad ea omnia quae in memoratis vestris literis addebatis, exponentes nimirum gravissimas circumstantiarum difficultates, unde permoti ac propemodum coacti tolerandum censuistis ut, siquando catholicus vir aut mulier, conantibus licet contrą per debitas suasiones hortationesque sacris pastoribus, in contrahendi mixti matrimonii citra necessarias cautiones sententiâ persistat, nec aliunde res absque maiori Catholicae Religionis discrimine valeat impediri, tum parochi matrimonio ipsi passive tantum intersint, ab omni religioso ritu et a quovis adprobationis indicio prorsus abstinendo. Qua quidem providentiae formâ, dum propositum vobis erat praesenti necessitati prudenter occurrere, arduum huiusmodi negotium ad nos quamprimum deferendum statuistis, assensum in id nostrum impetraturi, quem ex urgenti causarum concursu praesumi tunc quodammodo posse arbitrabamini. Et reapse nos, qui, ceteroquin sanctissimis catholicae Eccl. doctrinis institutis integre retinendis iugiter intenti, nequaquam omittimus calamitosis istarum regionum circumstantiis ortisque inde vestris augustiis, pro traditâ nobis potestate, subvenire, quin susceptam per vos consilii rationem improbemus, petitioni vestrae ducimus indulgendum. Idque facimus congruenter ad ea quae et nos ipsi, praedecessorum nostrorum exemplo, circa aliarum ditionum loca haud ita pridem tolerantes admisimus; et iam ante alter illorum, san. nempe mem. Pius VI., pro aliquâ ipsiusmet Hungarici regni dioecesi pluries declaraverat. Is namque in responsione quam, tum anno MDCCLXXXII Vindobonae degens, tum subsequenti post suum in urbem reditum, dandam mandavit Episcopo Scepusiensi, quamque huius successori anno MDCCXCV. iterari iussit, ita, de mixtis connubiis in iis temporum adiunctis agens, mentem suam aperuit: « quaecumque, scilicet, de hac re latae essent leges, oportere ut Episcopus et parochi studiose et prudenter curent ne huiusmodi matrimonia fiant, et si contrahantur, ut proles universa in Catholicâ Religione educetur: quoties vero ipsis invitis secus fuerit factum, abstineant semper a nuptiali benedictione impertiendâ, eorumque praesentia, si necessitas urgeat, sit tantummodo materialis, neque actibus et declarationibus coniungatur, quae confirment vel adprobent prolem aliter quam in Religione Catholicâ posse educari ».

Quae parochi in matrim. mixtis praesentia.

§ 6. Si quidem igitur, venn. fratres, in regni istius dioecesibus ex temporum, locorum ac personarum conditione quan-

doque contingat, ut matrimonium acatholici viri cum catholicâ muliere, et vicissim, deficientibus licet cautionibus ab Ecclesiâ praescriptis, absque maioris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti omnino non possit, simulque (verbis utimur gloriosae memoriae Pii VII. supranunciatâ epistola ad Archiepiscopum Moguntinum) in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere posse dignoscatur, si huiusmodi nuptiae, quantumlibet vetitae et illicitae, coram catholico parocho potius quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugerent, celebrentur; tunc parochus catholicus, aliusve sacerdos eius vices fungens, poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentiâ, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes unice ageret meri testis, ut aiunt, *qualificati* seu *auctorisabilis*, ita scilicet ut, utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat.

De prolis educatione.

§ 7. His tamen in circumstantiis, uti idem decessor noster apposite commendabat, haud impari imo maiori etiam conatu et studio per Episcopos et parochos elaborandum est, ut a catholicâ parte perversionis periculum, quoad fieri poterit, amoveatur, ut prolis utriusque sexus educationi in Religione Catholicâ, quo meliori modo fas erit, cautum sit, atque ut coniux catholicae fidei adhaerens serio admoneatur de obligatione, qua tenetur, curandi pro viribus acatholici coniugis conversionem, quod ad veniam patratorum criminum facilius a Deo obtinendam erit opportunissimum.

Quibus sit Pontif. ductus rationibus.

§ 8. Ceterum, intime dolentes quod haec tolerantiae ratio erga regnum professione Catholicae Religionis insigne fuerit ineunda, sincerissime coram Deo profitemur, nos ad ipsam unicâ de causâ adduci, seu verius pertrahi, ne graviora Ecclesiae Catholicae incommoda obveniant. Idcirco vos, venn. fratres, cunctosque collegas vestros per viscera Iesu Christi, cuius personam immerentes utique gerimus in terris, totâ animi contentione obtestamur, ut id demum in tam gravi negotio agere studeatis, quod, implorato Spiritus S. lumine, istiusmodi fini revera censueritis respondere. Atque illud una simul satagite, ne tali tolerantiae ratione erga homines mixta connubia illicite contracturos fiat, ut in catholico populo extenuetur memoria canonum ea matrimonia detestantium et constantissime curae, qua sancta mater Ecclesia filios suos avertere studet ab illis in suarum animarum iacturam contrahendis. His vestrum aliorumque sodalium Antistitum et parochorum erit, in erudiendis sive privatim sive publice fidelibus, flagrantiori in posterum zelo doctrinam et leges ad connubia eadem pertinentes commemorare, accuratamque earum custodiam iniungere. Haec omnia exspectatâ vestrâ religione, fide et in hanc B. Petri cathedram reverentiâ nobis certissime pollicentes, caelestis auxilii auspicem et paternae nostrae caritatis testem apostolicam benedictionem vobis universisque collegis vestris, cum proprio cuiusque grege communicandam, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXX. aprilis MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CXCVI.

Respondet Arch. Parisiensi notam sibi esse novam Societatem pro missionibus in locis haereticorum Europae sitis, disiunctam ab illa Propagationis Fidei *dicta; at ob graves rationes se optare ut eadem Societas exitum non habeat; responso adnectit literas S. Congregationis de re agentes et iudicantes, quid a fidelibus peragendum sit.*

Venerabili fratri Dionysio Augusto Archiepiscopo Parisiensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex literis, quas sub die XXVI. martii huius anni fraternitas tua ad nos misit, intelleximus, id quod gratum vehementer accidit nobis, desiderari scilicet a te, ut quo essemus animo erga nuperrimam pro catholicis missionibus constituendam Societatem tibi significaremus. Etsi enim antea minime dubitabamus, quin fraternitas tua ea, qua par esset, observantiâ Petri Cathedram prosequeretur, hac tamen occasione tui erga nos Sanctamque Sedem obsequii splendidissimum accepimus testimonium. Novimus quidem illud a te

existimari, naturam atque indolem novae illius institutionis notam haud satis nobis esse atque perspectam; verum adnexa hisce literis epistola dilecti filii nostri Cardinalis Fransonii de Propagandâ Fide Praefecturam gerentis (1) ad generalem tui Vi-

---

(1) Ex Tabulario Cong. exscribimus literas Cardinalis Franzonii Cong. Praefecti. — All' Illmo Sig. Mons. Augé Vic. Gen. di Parigi. 4 maggio 1841.

Illustrissimo Signore

Sonosi quasi ad un tempo ricevuti i fogli che V. S. unitamente ai rispettabili soggetti che seco lei si sono associati coll' intendimento di promuovere *l' Opera del Cattolicismo in Europa,* si è compiaciuta dirigere non meno al Santo Padre, che all' Emo Sig. Card. Lambruschini, e a me istesso, in data dei 10 dello scorso aprile, e mi è grato il tributare i maggiori encomj alle piissime intenzioni, e ai lodevoli religiosi sentimenti che in detti fogli vengono espressi. Nell' applaudire però all' edificante commendevolissimo zelo di V. S., e degli egregii illustri suoi collaboratori, e nel tutti ben apprezzare i nobili motivi onde furon mossi ad una impresa il di cui scopo onora sommamente quanti vi presero parte, è pur forza il richiamare la loro attenzione sopra i fatti precorsi, e sui provvedimenti che giusta la espressa mente del S. Padre vennero qui adottati.

Sin dall' aprile 1839 Mons. Gillis coadiutore del Vicario Apostolico di Edimburgo, autore primario del progetto dell' *Opera del Cattolicismo,* ne implorò la sanzione dalla Santa Sede, quale appunto richiedesi all' *articolo 29 degli statuti* ora inviatimi da V. S., e la Santità di N. S. dopo avere bene maturamente ponderata la cosa, in sua sapienza, giudicò spediente per giusti prudenziali motivi il non acconsentirvi, e col mezzo di Mons. Internunzio di Parigi, si fecero conoscere a quel prelato le intenzioni del S. Padre. In pari tempo volle però l' Augusto Pontefice, che la Propaganda raddoppiasse gli assegni soliti pagarsi ai Vicarii Apostolici di Scozia, e che per quanto il permettevano le picciole risorse del Pio Istituto, loro si dessero più generosi sussidj pei gravi bisogni delle loro Chiese. Ma all' ampiezza di questi bisogni era ben lungi dal corrispondere la tenuità de' nostri sovvenimenti, e però i Vicarii Apostolici di Scozia nel prontamente sottomettersi alla determinazione di Sua Santità, e nel rinunziar quindi alla meditata nuova *Opera del Cattolicismo* di cui eransi già incominciati a pubblicare gli annali (qui giudicati *inopportuni, e poco prudenti*), invocarono di essere compresi nella benèmerita *Opera della Propagazione della Fede.* Interpellò dapprima la Propaganda il Consiglio di Lione con cui si trova sin dall' origine dell' Associazione in diretta corrispondenza, e ritenendo pei riscontri ricevuti, che laddove intervenisse una Pontificia dichiarazione, niun' ostacolo sarebbesi più incontrato per tutte comprendere anche le Missioni Europee nel riparto de' fondi della Propagazion della Fede, propose al Santo Padre se creduto avesse in sua saviezza opportuno, che quest' opera *universale,* e veramente *cattolica,* accogliesse quind' innanzi nel suo seno le missioni Europee tuttavia escluse dalle beneficenze della medesima; e Sua Santità applaudì alla proposta, e manifestò il maggior gradimento di questa misura, che tutti conciliava i bisogni delle varie missioni coi gravi riflessi pei quali non avea saputo convenire nel progetto della novella parziale opera del *Cattolicismo.* Comunicate da me le intenzioni del Santo Padre al Consiglio di Lione, fu questi sollecito di uniformarvisi, ma insorto dubbio nel Consiglio di Parigi circa le medesime, nell' acconsentire che fece ad assegnare nel frattanto *ventimila franchi* alle missioni di *Scozia,* e *cinquemila* a quelle di *Svezia,* propose gli argomenti di sua esitanza, e viceversa di sua propensione al progetto della nuova Associazione Cattolica. Fu la risposta coerente alle risoluzioni con tanto di maturità già adottate, e per viemaggiormente confortarlo a non ricusarvi la propria cooperazione, s' interessò Mons. Internunzio ad adoperarsi con ogni efficacia non meno presso il Consiglio di Parigi, che presso l' egregio prelato il quale meritamente presiede a codesta Archidiocesi. Mons. Arcivescovo procedendo però con saggia cautela e riservatezza, prima di decidersi ad una definitiva misura, con ottimo avvedimento si è direttamente rivolto al Santo Padre, affine di avverare e riconoscere nel suo fonte nel migliore e più autentico modo, quali le risoluzioni si fossero di Sua Santità, e V. S. in pari tempo coi rimembrati suoi fogli ha chiarite di bel nuovo e sviluppate le ragioni per cui pareale rimeritare benigno favorevole suffragio la novella Associazione.

Or dunque, il tutto ben considerato, lungi il Santo Padre dal trovar motivo di recedere dalle già sue manifestate intenzioni, non saprebbe che sempre meglio confermarle. La divina misericordia protegge e favorisce in modo al tutto prodigioso l' opera della Propagazione della Fede, i di cui nuovi recenti progressi debbonsi in massima parte agli ulteriori eccitamenti, e stimoli dati dalla Santità Sua a tutti i Vescovi della cristianità colla Enciclica dello scorso anno. Per serbare l' *unità* di cui, particolarmente in tutto ciò che in alcun modo riguarda la Chiesa, i maggiori e più durevoli successi dipendono, comunque i regni di Napoli, di Piemonte, di Baviera, non che alcune diocesi del Belgio da verun' altri fuorchè dal Consiglio di Roma dipender volessero, fu procacciato e stabilito, che dovessero invece associarsi, e dipendere dai Consigli di Francia; nè qui pel vantaggio appunto dell' *unità* si rattenne la dilicatezza, e la deferenza di Roma, dappoichè malgrado ogni ragion di convenienza per questo centro del cattolicismo, anche gli stati Pontificii, e Roma istessa ai Consigli di Francia si unirono e assoggettarono. La Propaganda dopo di ciò, e dopo che nel promuovere e favorire in tutte guise quest' opera, si trova di aver perdute le largizioni, che dapprima direttamente le pervenivano, può a diritto lusingarsi di aver acquistato titoli efficaci a grata corrispondenza.

Un' *opera parziale* pel solo *cattolicismo di Europa* con appositi annali, trae seco non lievi inconvenienti, che il tempo maturerebbe ben tosto, e che la Santa Sede è più che tutt' altri in grado di apprezzare, nel mentre istesso che dovrebbe essa sola portarne e risentirne le conseguenze. Viceversa l' opera della *Propagazione della Fede* già per ogni dove grandeggiante e ben radicata può di leggieri e senza verun timore, estendere alle altre missioni di Europa quei soccorsi, che di già concede al regno di Grecia, alle isole Ionie, alle altre dell' Arcipelago, alla Moldavia, Albania, Macedonia ecc., e che si trova di aver pur dato di recente alla Scozia, e alla Svezia. Or dunque piuttosto che la nuova Associazione venga, siccome si offre, ad assumere anche i pesi dell' antica col provvedere allorchè ne abbia i mezzi alle missioni eziandio degli infedeli, meglio sarà che avvalori l' antica, *unendosi con essa* il nuovo presidio, e conforto prestandole dell' operoso attivo suo zelo.

Non ignoro che la ritrosia dell' esimio Consiglio di Parigi a tutte abbracciare le missioni Europee ha dato maggiore alimento all' idea di nuovo parziale Istituto, ma per le cose dette, la Propaganda farebbe troppo torto al d' altronde rispettabilissimo Consiglio di Parigi, se concepisse anche il più pic-

carium fraternitatem tuam certiorem reddet, plane nobis eiusmodi Societatem ab ipsis sui primordiis innotuisse, nosque nonnisi gravioribus permotos rationum momentis exoptasse, ut opus illud, optimâ licet mente susceptum, ad propositum tamen exitum non perveniret. Itaque egregium catholicae religionis amplificandae studium in iis fidelibus qui ei Societati sive instituendae sive fovendae operam navare parati erant, etiam atque etiam in Domino commendamus, redditamque ipsis propterea volumus meritissimam laudem; ceterum ex tenore literarum praefati Cardinalis nostri, quid ipsis hac in re optimum factu sit significari curavimus. Tu vero, ven. frater, gratissimum nobis feceris, si tantum apud fideles illos consilii tui atque auctoritatis impenderis, quantum pro tuâ prudentiâ ac virtute ad Apostolicae Sedis confirmandam sententiam opus esse duxeris, id enim nobis valde acceptum, et in eo ipso religionem virtutemque tuam plurimum commendabimus. Interea tibi gregique tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IV. maii MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CXCVII.

Erigit in Vicariatum Apostolicum provinciam Texas in Americâ septemtrionali regendam per Vicarium Apost. episcopali dignitate fulgentem.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Universi dominici gregis salus nobis ab ipso pastorum Principe et Episcopo animarum divinitus commissa atque concredita postulat atque efflagitat, ut omni curâ et contentione ea peragere non omittamus, quae ad maiorem Christifidelium utilitatem procurandam pertinere posse cognoscimus.

§ 1. Itaque, cum in praesentibus rerum ac temporum adiunctis Catholicae Religionis bono plurimum expedire noverimus, si in Texensi provinciâ, vulgo Texas, cuius regimen ecclesiasticum simplici hactenus presbytero praefecti apostolici titulum habenti fuit commissum, Vicarius Apostolicus episcopali dignitate insignitus constituatur, qui ampliore auctoritate in illâ regione ecclesiae negotia gerenda curet, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, provinciam ipsam Texensem in peculiarem ac distinctum Vicariatum Apostolicum erigendam censuimus.

§ 2. Motu igitur proprio atque ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum tenore, ipsam provinciam Texensem in peculiarem ac distinctum Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus. Ipsi autem Vicario ab hac Apostolicâ Sede adlegendo omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eâdem auctoritate nostrâ concedimus et impertimur.

§ 3. Haec statuimus atque decernimus volentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat ac in posterum spectabit, plenissime suffragari et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito

---

ciolo dubbio, che fosse per ripugnare ulteriormente a troppo autorevoli voti espressi con tanto di solennità, e all'adempimento de' quali Mons. Arcivescovo, e V. S. istessa non mancheranno di vieppiù impegnarlo.

In tal modo gli egregii soggetti, e prelati che giusta il rimembrato articolo 29 degli statuti, *pel supposto gradimento e beneplacito della Santa Sede*, volenterosamente concorrevano all' *Opera del Cattolicismo*, potranno assai più convenevolmente e durevolmente raggiungere lo scopo, che si erano prefissi procacciando *riuniti alla Propagazion della Fede* nuove e più copiose risorse a questa Pia Associazione; e nel farlo non è certo a temersi del successo, dappoichè siccome ben avverte V. S., non si appella mai indarno alla carità veramente inesauribile della Francia, che oggidì rivendica la vetusta sua prerogativa di *figlia primogenita della Chiesa*, e a tutti sembra da Iddio chiamata a rinnovare i prodigii dell' antica sua pietà.

E qui con sentimenti di sincera distintissima stima......

non tollendo, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ceterisque etiam speciali et expressâ mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris die XVI. iulii MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CXCVIII.

Michaeli Lewicki Metropolitae Ruthenorum unitorum gratulatur de R. P. primatu vindicato ex libris liturgicis, quibus Greco-Russi et Rutheni utuntur; calumniam refellit eorum, qui asserunt Eccl. Cath. latini ritus avertere orientales a propriis ritibus, et de transitu ad alienum ritum docet (1).

Venerabili fratri Michaeli Archiepiscopo Leopoliensi, Haliciensi et Camenecensi Rutheni ritus,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratulatio Pontificis. § 1. Perlatum ad nos est exemplum epistolae Pastoralis datae a te die x. mensis martii huius anni, qua id tibi propositum fuit, ven. frater, ut clero tuarum dioecesium, ac per eum fidelibus Ruthenis, qui sub tua cura sunt, supremam auctoritatem Romani Pontificis, et custodiendae cum illo communionis necessitatem studiosissime commendares. Hoc sane vigilantiae ac zeli tui documento lenitus est aliquantulum qui iam diu haeret infixus cordi nostro acerbissimus dolor ob damna inter Ruthenos nonnullorum locorum rei catholicae illata, et permultos nostrorum in Christo filiorum in magno religionis periculo versantes, ac praesertim ob infandum illud facinus Ruthenorum quorumdam Antistitum, qui altero abhinc anno ad Graeco-Russos acatholicos transfugae parricidalia contra matrem ecclesiam arma sumpserunt. Igitur gratulamur tibi in Domino vehementer, quod licet gregi praesideas sub catholici et benignissimi erga illum amantissimique Principis ditione constituto, non tamen fugerit prudentiam tuam, quanta esse soleat pravorum huiusmodi exemplorum vis, qualibusque insuper artibus acatholici homines uti consueverint ad decipiendum incautos, atque adeo tuum esse intellexeris, ut de salute sollicitus dilectarum ovium, ipsis ingruentium periculorum initiis omni ope atque opera obsisteres. Gratulamur deinde speciatim de ratione a te prudentissime adhibita, ut Pontificii Primatus dogma testimoniis etiam confirmares librorum liturgicorum, quibus Rutheni seu Graeco-Russi omnes tum catholici tum acatholici diversarum nationum ad nostra usque tempora usi sunt. Profecto cunctis, qui chri-

---

(1) Ex Reg. lit. ad Principes et alios. — Pro historia allat. lit. Greg. XVI. quaedam transcribimus ex notis optimae Collectionis Lacensis vol II, p. 606, de Ruthenorum transitu ad ritum latinum.

« Versus medium saeculum XVIII. antiquae de transitu controversiae denuo recrudescebant. Die XXIV. nov. et X. dec. MDCCLXVIII. Benedictus XIV. laicos Ruthenos vetuit sine consensu Latini Episcopi ad ritum Latinum transire (Molinowski, pag. 65). Quae de hac re sentiret, litteris ad Epp. Leopoliensem et Premisliensem significavit: « VV. FF. salutem et apostolicam benedictionem. Vestrae ad nos delatae sunt litterae scriptae XVII. iulii, in quibus merito conquerimini de transitu Ruthenorum a ritu Graeco ad ritum Latinum, ubi bene nostis, VV. FF., quod nostri praedecessores transitus hos abhorruerunt, et nos ipsi abhorremus, utpote qui non destructionem, sed conservationem ritus Graeci summopere desideramus. Specialiter de prohibendo transitu Ruthenorum actum est coram nobis anno MDCCXLVIII., sed nulla fuit capta resolutio sub obtentu resistentiae factae a rege Poloniae decretis Urbani VIII., in quibus transitus fuerat prohibitus. Quamprimum materia reassumetur, omnem lapidem movebimus, ut nedum finali decreto transitus prohibeatur, sed etiam ut decretum sua non careat exsecutione. Et interea vobis, VV. FF., et gregibus vestrae curae commissis apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die XVIII. sept. MDCCLI, pontificatus nostri anno XII. ».

Sed SS. Pont. hoc *finale decretum* nunquam edidit, quia Rex et Epp. Lat. r. restiterunt. Etenim Nuntius Apost. in Polonia die XXVIII. mart. MDCCLII. regio procancellario significavit, quum decretum Urbani VIII., quo Rutheni ecclesiastici ad Lat. r. sine speciali Sedis Apost. licentia transire prohibiti fuerunt, tollendis discidiis impar deprehensum esset, SS. Pontificem in eam sententiam venisse, quod laicis etiam Ruthenis transitum ad Lat. r. prohibere operae pretium esset, impertita tamen suo et Sedis Apostolicae in Polonia pro tempore Nuntio facultate dispensandi. Haec cum Epp. r. Lat. communicata sunt, qui mense octobri Grodnae congregati et ipsi, memoriali die XX. oct. conscripto, apud S. Sedem Apostolicam intercedere decreverunt, et regem ad idem faciendum adduxerunt. Contra Epp. Rutheni m. febr. Vilnae convenerunt et die XVII. febr. MDCCLIII. *informationem materiam transitus a ritu ad ritum concernentem* Romam et ad Regem miserunt. Quo facto Praefectus S. Congregationis de Prop. Fide die VI. aprilis Nuntio Ap. in Polonia scripsit: « Sua Sanctitas cogitaret statuere, ne illius legitimus habeatur transitus a ritu Graeco ad Latinum, qui, natus a parentibus Ruthenis et in illo ritu educatus, non faceret in actis episcopalibus Latinis huius dioecesis, in qua habitat et suum habet domicilium, formalem declarationem,

stiano nomine gloriantur, satis esse deberet plenissima illa eius veritatis ostensio, quae ex divinis scripturarum libris, constantique veterum patrum tum occidentalium tum orientalium traditione, atque adeo ex irreformabili universalis Ecclesiae doctrina clarescit. Sed nihilominus confirmatio dogmatis eiusdem ex libris assumpta, antiquo commendatis Ruthenorum usu, atque (ut opportune adnotas) in plures quoque variarum nationum linguas interpretatis, peculiarem habet vim catholicis eius ritus in sanctae unionis cultu custodiendis, eademque Graeco-Russos seu Ruthenos acatholicos luculentiori quodam proprii sui oris testimonio redar-

---

se velle spontanee et libere transire a ritu Rutheno ad Latinum. Ultra hoc posset quoque statui et declarari, ne ullus Ruthenorum tunc ad ritum Latinum transire possit, quando actu inquiritur a suo Ordinario Rutheno, et quin prius ab ipso Ordinario Rutheno vel a suo Superiore liber ab omni processu declaretur ». (Malinowski, p. 65–161). Sic lite in curia Romana pendente, Nuntius Apostolicus die IV. novembris MDCCLVI. vetuit officialem Cameneclensem r. Gr. fideles, qui ad r. Latinum transierant, ad r. Graecum censuris cogere (l. c. p. 166). SS. Pontifex quidem die XXVI. iulii MDCCLV. encyclica *Allatae* transitum a ritu ad ritum prohibuerat, sed controversiam ab Epp. Polonis ad S. Sedem delatam certe minime hac encyclica *ad missionarios per Orientem dispersos* data definire voluit. Quodsi in his litteris utroque decreto Urbani VIII. (die VII. febr. et VII. iulii MDCXXIV.) demonstrare nititur, S. Sedem, *etsi libere affirmari potest, transitum huiusmodi* (ad L. r.) *non aeque ac primum* (ad Gr. r.) *interdici*, tamen etiam eundem improbare: optimo quidem iure id facit, quum illius decreti exsecutio, invita S. Sede, temporum iniuria impedita sit; sed non inde efficitur, SS. Pontificem *restricto* decreto die VII. febr. *hac ratione* vigorem voluisse restituere. Neque si Benedictus XIV. Protoarchimandritam O. S. Basil. Ruthenorum bullam *Demandatam* ad Graeco-Melchitas missam servare iussit (v. supra p. 481 c.), inde colligi potest, SS. Pontificem omnes et singulos Ruthenos ad eandem servandam obligasse. At, quod Benedictus XIV. facere impeditus est, Clemens XIV. pro Ruthenis in Russiae imperio et Pius VII. pro Ruthenis in Galicia praestitit, ut patet ex his litteris:

« EX AUDIENTIA SANCTISSIMI HABITA DIE XIII. IUNII MDCCCII.

Cum SSmo D. N. Pio div. prov. PP. VII. expositum fuerit, decretum fel. rec. Urbani VIII. de non transitu Ruthenorum ad Latinum ritum, editum sub die VII. februarii MDCXXIV., confirmatum die XVI. aprilis MDCCLXXIV. a Clemente PP. XIV. pro omnibus locis et provinciis, quae Moscorum imperio subsunt, aliquoties ibidem violari: Sanctitas Sua, decessorum suorum vestigiis inhaerens, ex gravissimis causis animum suum moventibus, referente me infrascripto S. Congregationis de Prop. Fide secretario, decretum, de quo agitur, iterum expresse renovavit, mandans, ut ab omnibus praedictorum locorum Christi fidelibus tum ecclesiasticis, tum laicis, sive ii Latini sint, sive Graeci, sancte ac inviolabiliter observetur. Decretum est autem huiusmodi: *Ad conservandam* (supra p. 602 d). Itaque hoc decretum sic renovatum SS. mandavit in notitiam caute deduci omnium Episcoporum tum R. ritus, tum L., iisque denuntiari, non licere sibi in posterum Ruthenos, sive monachos sive clericos sive etiam laicos, ad Latinum ritum quavis de causa, inconsulta Sede Apostolica, admittere, praetextu etiam cuiusvis facultatis, quam forsan a Sanctitate Sua vel eius praedecessoribus, sive scripto, sive voce, obtinuerint, quas facultates Sanctitas Sua tenore praesentium revocat, suoque peculiari indicio huiusmodi transitus perpetuo sibi suisque successoribus reservat sub iisdem poenis in superiori decreto propositis; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus dictae S. Congregationis die et anno quibus supra.

Dominicus Archiep. Myren., Secret. ».

Sed haec decreta in tempora inciderunt, quibus magistratus civilis recursum ad S. Sedem impediebat. Ipse Episcopus r. Gr. Premisliensis, etsi decretum Urbani VIII. vigere acriter contendebat, tamen affirmavit: *quemlibet, qui a ritu ad ritum transire vellet, ad locorum Ordinarios, utpote plenaria (!) iurisdictione gaudentes, se referre debere.* (Litt. ad Ep. Premisliensem L. r. die III. dec. MDCCC. Harasiewicz, Annales Ruth. p. 701-717). Reapse idem Episcopus postquam sedi metropolitanae Leopoliensi praefectus est, subditis aliquoties permisit, ut ad ritum Latinum transirent. Quod quum, eo defuncto, etiam a vicario capitulari Michaele de Harasiewicz postulatum esset, hic ad S. Sedem recurrit et duo rescripta accepit (dd. XXV. novembris MDCCCXV. et XXIX. iunii MDCCCXVI.), quibus Cardinalis Litta, Praef. Congr. de Prop. Fide, ipsi significavit, transitum istum sine S. Sedis dispensatione esse vetitum. In secundis tamen litteris Cardinalis hanc moderationem apposuit: « Unum tamen est, quod ad vitanda incommoda, quae ex ritus varietate in una eademque familia oriri solent, ex decreto Sacrae huius Congregationis die XIX. martii MDCCLIX. et apostolica auctoritate firmato permissum est, scilicet Graecum maritum posse, si velit, ritum sequi Latinae uxoris, itemque Graecam uxorem posse, si velit, Latini viri ritum amplecti, quin eo defuncto ad ritum Graecum redire valeat ». (Malinowski, p. 666).

Omnia haec rescripta, ne quis sine apostolica dispensatione ad ritum Latinum transire posset, parum iuvabant; nam C. R. Gubernium Galiciae decreto die XX. februarii MDCCCXVIII Nostro 7897 significavit, *Suam Maiestatem resolutione die* XX. *ian. pro exacta in futurum norma sancire dignatam esse*:...... ad hunc transitum ex natura rei consensus Pontificis omnino non requiritur. « Denuo igitur discordiae mutuis querelis magis magisque accendebantur. Peropportunae fuerunt eo tempore apostolicae litterae Gregorii XVI. die XVII. iulii MDCCCXLI. ad Archiep. Lewicki, quibus eos quidem valde reprehendit, qui *Orientales catholicos ad ritum Latinum amplectendum allicerent*, sed simul monuit, maius periculum Ecclesiae Ruthenae aliunde imminere ».

« Motus vero civiles, paullo post in Galicia orti, concitatis inter Polonos Ruthenosque acerrimis partium studiis, controversiam illam de transitu ad ritum alienum non modo non sedarunt, sed cum magno religionis detrimento tam vehementer auxerunt, ut Episcopi utriusque ritus intelligerent, omnino *Concordiam* ineundam esse. Convenerunt igitur inter se Leopoli, et tandem die XXX. sept. MDCCCLXIII. (v. supra p. 561–566) SSmo Patri et D. N. Pio IX. contigit, postquam *singulari amore et assiduo studio paternas curas ad electam dominici gregis partem* Orientalem *vel ab ipso supremi pontificatus initio* contulerat (encycl. *Amantissimus*), post ducentos quinquaginta annos discordiarum suprema apostolica auctoritate firmare *Concordiam* ».

guit. Nec refert si recens apud hos aliqua iis in libris resecta forsan hoc in genere aut subdole immutata fuerint; quum imo ex mutationibus huiusmodi nedum ipsarum auctores inexcusabiles fierent, sed ipsa quoque illorum testimoniorum vis illustrior per eam fraudem ac manifestior evaderet.

Constantinopolitanae schismaticae ecclesiae status.

§ 2. Iam vero et illud opportunissimum fuit, quod in tua epistola commemorasti de statu schismaticae ecclesiae Constantinopolitanae, uti et aliarum ecclesiarum a Sanctae huius Sedis auctoritate rebellium, quae in diversos prolapsae errores et dissociatae paullatim alterae ab alteris, ne umbram quidem retinent sanctae illius catholicae et apostolicae unitatis, quam inesse omnino in vera Christi Ecclesia ipsae quoque una nobiscum in Constantinopolitano symbolo profitentur. Quo in loco scitissime insuper adnotasti, plures illarum redactas fuisse in subiectionem omnimodam civilium potestatum, et contra Hierarchiae ordinem a Christo Domino institutum (1) earum nutu atque arbitrio sacris in rebus gubernari.

Calumniatores refellit

§ 3. Pergratum pariter nobis fuit in eadem epistola tua legere, quae contra illos animadvertis, qui Sanctam hanc Sedem calumniari non verentur, quasi tum Orientales alios, tum etiam Ruthenos sibi obedientes avertere semper studuerit a propriis ipsorum ritibus, ut tandem eosdem omnes ad latinum ritum traducat. Quam longe id a veritate absit, manifestissime evincitur, ex plurimis Romanorum Pontificum sanctionibus (a te etiam laudatis), quae scilicet sive Orientalibus ceteris, sive Ruthenis catholicis nominatim permissum decernunt usum suorum rituum; ea tantum exceptione adiecta, ut eiusmodi ritus veritati et fidei catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant (2). Hinc porro si factum aliquando est, ut in ritu nonnullarum ecclesiarum peculiaris aliqua circa unum vel alterum eius caput mutatio expeteretur, non aliter illam probavit decrevitque Apostolica Sedes, nisi graves id causae suaderent; cautumque voluit, ut nihilominus suo semper in robore permanerent pontificiae constitutiones et generalium conciliorum decreta de orientalibus ritibus conservandis. Eo insuper spectant scholae et collegia sumptu aut cura praedecessorum nostrorum tum alibi tum Romae aperta clericis diversorum rituum informandis; eo spectant ecclesiae in illorum usum destinatae, ac non denegata Episcopis presbyterisque facultas celebrandi etiam more suo in ecclesiis latinis; eo denique spectat, quod iam diu institutum est, ut quoties Romanus Pontifex solemniter celebrat, adsint una cum Latinis subdiaconus atque diaconus graeci ritus, qui et ipsi epistolam et evangelium sua lingua decantant. Postremo nec praetermiserunt Romani Pontifices inconsultam reprehendere illorum rationem, qui Orientales catholicos ad latinum ritum amplectendum allicerent. Totam hanc Ecclesiae Romanae in permittendis, tuendis honorandisque tum Ruthenorum tum aliorum Orientalium ritibus oeconomiam explicat fusius multisque omnis generis documentis illustrat Benedictus XIV. immortalis memoriae decessor noster in litteris, quarum initium « Allatae sunt » datis die XXVI. iulii MDCCLV. (3) quas quidem litteras cum quis attente perlegerit, habebit profecto unde illorum inscitiam coarguat, qui Summos Pontifices erga Orientales liturgias minus aequos fuisse contendunt.

Pericula ecclesiae Ruthenae.

§ 4. Illud vero dolendum, quod ex servata apud Ruthenos catholicos sui ritus disciplina occasionem arripiunt Graeco-Russi acatholici, ut eos subdole avertant a Romana Ecclesia, quasi in diverso ritu diversam religionem habente, atque adeo impellant facilius ad schismaticam suam communionem, quam vix in paucis ac nullius pene momenti rebus ab illorum cultu distingui comminiscuntur. Probe autem nosti, ven. frater, quanta penes rudiorem

(1) Penes Imperatores potestas non est, ut Ecclesiis leges sanciant. Attende quid dicat Apostolus: « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Pastores et Doctores ad perfectionem Ecclesiae. » Non adiecit: « Imperatores. » Ita Ioannes Damascenus (de imaginibus Orat. 2, num. 12, tom. I. oper. edit. Le Quien.) Athanasius vero (in hist. Arianorum ad Monachos num. 52, tom. I., pag. 1, opp. edit. Patav.): « Quandonam (inquit) Ecclesiae Decretum ab Imperatore accepit auctoritatem, aut pro decreto illud habitum est? Multae antehac Synodi coactae sunt; multa prodiere Ecclesiae decreta; sed nunquam Patres huiusmodi Imperatori suasere, nunquam Imperator ecclesiastica curiose perquisivit ».

(2) Ita de Ruthenorum ritibus statuit Clemens PP. VIII. in const. *Magnus Dominus* XXIII. decembris MDXCV., et in const. *Decet* XXIII. febr. MDXCVI. et declaravit iterum Paulus V. in const. *Solet circumspecta* X. decembris MDCXV.

(3) Bullar. Benedict. XIV. tom. IV., constit. 47.

praesertim populum vis esse soleat in huiusmodi cavillationibus ex rerum similitudine externaque veluti facie petitis. Ne desistas itaque, toto pastoralis vigilantiae studio prospicere, ut tuus iste grex iis fraudibus minime capiatur. Hunc vero in finem praecavere primum oportet, ne idem illud seductionis periculum maius evadat ex nova aliqua commutatione, qua scilicet Rutheni catholicorum ritus ad pleniorem cum schismaticis similitudinem accommodentur. Enimvero si de iis ritibus loquimur, qui ad professionem quodammodo fidei et unitatis catholicae, atque ad detestationem schismatis pertinent, hos quidem variari prorsus non posse, manifestissimum est. De aliis autem ritibus, quos Rutheni catholici retinuerunt ex veteri suo more, aut quos progressu temporis ad tuendam suam a schismaticis separationem, seu alias quascumque ob caussas adoptarunt, hi quoque haud certe possunt variari pro lubitu, atque in tanto praesertim huius temporis periculo maximae prorsus imprudentiae foret, quidquam eo in genere ad schismaticorum placita detrahere, adiungere, aut quomodo libet immutare. Huc insuper spectat, ut intento iugiter animo caveas, ne clerus populusque iste missalia accipiant, vel catechismos, aut alios liturgicos seu religiosos quoscumque libros, qui ex officinis schismaticorum prodierint. Quam circa rem eo maior adhibenda vigilantia est, quod Graeco-Russi libros huiusmodi ad rationem suam callide aptatos magno nuper exemplarium numero edidisse narrantur, eosdemque Ruthenis catholicis modico aut etiam nullo petito pretio obtrudere gestiunt; speciatim vero catechismum non lingua solummodo qua ipsi utuntur, sed germanice insuper interpretatum evulgarunt; ut de hoc proinde magis adhuc timendum sit, ne inter Ruthenos, qui in dioecesibus tuis, aut in aliis Germaniae regionibus sunt, diffundatur.

Differentiam ostendit inter Ruthenos et Latinos, inter utrosque et Graeco Russos

§ 5. Deinde non intermissa unquam sollicitudine providere perges; ut sacerdotes, qui sub te sunt, ipsi inter se diligentius considerent, et tecum una prout res et occasio postulet, opportune populum doceant, differentiam quidem illam, qua Rutheni catholici a Latinis distinguuntur, utpote quae aliquibus tantum merae disciplinae capitibus sacrisque nonnullis ritibus continetur, et Sanctae huius Sedis auctoritate permissa est, non disrumpere ullo modo inter ipsos vinculum, quo verae Christi oves invicem conglutinantur; contra vero Graeco-Russis nihil prodesse tatam illam suorum cum vestris ritibus similitudinem, quum ipsi nihilominus ab omnibus catholicis seu Ruthenis seu Latinis seu alterius cuiuscumque ritus dissentiant in rebus ad veram pertinentibus fidem, ex qua iustus vivit (1), atque ad subiectionem erga successorem Petri Apostolorum Principis, Romanorum Pontificem, cui (ut verbis utamur Patrum Chalcedonensium) vineae custodia a Salvatore commissa est (2), ad cuius ecclesiam (ut Irenaeus loquitur) propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles (3) cum quo denique (ut inquit Hieronymus) quicumque non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est (4).

De graeco schismate populi erudiantur.

§ 6. Iuxta haec igitur, rationi insistens iam a te sapienter adhibitae, admonere gregem non cessabis, ut constantissimi adhaereant sanctae huic unitati, et fidei catholicae, quae a Christo et ab eius Apostolis annunciata, atque a sanctis Patribus tum Latinis tum Orientalibus inviolate custodita, et unanimi consensione praedicata et transmissa ad nos est; quam tenuerunt etiam Rutheni Russive omnes, quo tempore sive Graecorum sacerdotum Romanae Sedi tunc adhaerentium (5) sive etiam Latinorum (6) ministerio ad Christi ovile adducti sunt. De schismatica vero Graeco-

(1) Ad Hebraeos X., 38.

(2) Concil. Oecum. Chalcedon. in relat. ad Leonem Papam (tom. IV., pag. 1775, 1776. Concilior. Labbeanae collectionis Venetiis iterum editae a Coleto).

(3) Libr. III. contra haereses cap. 3.

(4) Epistola ad Damasum, quae est ep. XV. in tom. I. opp. S. Hieronymi Veronae ed. a Vallarsio.

(5) Generalem Russiae conversionem ante annum Christi M. sub Volodimiro piissimo Principe contigisse, testatur inter alios Nestor Monachus (Ruthenae hist. parens) in Chronicis slavo sermone scriptis, quae Petropoli edita sunt. Cessaverat iam a centum annis Schisma Photii. Volodimirus vero obiit anno MXV; atque ita longe ante annum MLIII, quo tandem Michael Caerularius C-Poli schisma instauravit. Sed Russi multo adhuc tempore perseverarunt in obedientia Ecclesiae Romanae. Immo ex literis Gregorii VII. anno MLXXV., ad Demetrium (seu Izaslaum) Russorum Regem eiusque uxorem datis (tom. XII. Concilior. pag. 355) manifestum est, hos misisse Romam filium suum, ut regnum sub Petri Apostoli protectione ponerent.

(6) Celebrantur inter alios Episcopi Reinbernus et Bruno seu Bonifacius, quorum alter post ingentem Russorum numerum Ecclesiae catholicae aggregatum, martyr occubuit annum circiter MVIII.

Russorum communione perges dare operam, ut oves tuae penitus intelligant, illos non alios habere auctores suae a nobis scissionis, nisi Michaelem Caerularium, aliosque sive undecimi a Christo saeculi, sive recentioris adhuc aetatis superbissimos homines, qui rebellionis signa erigere ausi sunt contra Ecclesiae Catholicae doctrinam et auctoritatem totius licet vetustatis consensione comprobatam, quique porro evanuerunt adeo in cogitationibus suis, ut in liturgicis suorum sectatorum libris intactas reliquerint preces laudesque illas, quibus suprema, quam tantopere oderunt, Ecclesiae Romanae auctoritas luculentissime praedicatur.

Precationem suggerit ad obtinendam in fide constantiam.

§ 7. Verum ut augeatur in Ruthenis fidelibus unitatis amor, iidemque uberioribus eum in finem divinae gratiae roborentur auxiliis, docere ipsos iuvabit brevem aliquam precationis formulam, qua saepius a Deo supplices petant, ut per eius misericordiam digni habeantur profiteri constanter veram catholicam fidem, atque adeo in necessaria Sanctae huius Sedis communione firmiter perseverare. Harum vero precationum usus et vicem supplebit amplioris instructionis, cui rudiores praesertim laici haudquaquam forent idonei.

Clerum ad pietatem et doctrinam efformandum.

§ 8. De clero sane satagendum est, ut rite omnia noverit, quae sui muneris sunt; nec desint in sacerdotum Ordine viri plures ad sacras disciplinas diligentius exculti, qui potentes sint exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Atque id ut futuro etiam tempore feliciter consequaris, perges, ut certe facis, cunctos pastoralis zeli nervos intendere, quo minores clerici tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad doctrinam informentur omnino catholicam, atque ab erroris cuiusque periculo alienam. Eo etiam spectat, ut maior, qui fieri poterit, illorum numerus a prima aetate (ut Tridentina Synodus (1) monet) in Seminarium ecclesiasticum recipiantur, ubi a probatissimis viris sedulo instituti sub tuis oculis in spem Ecclesiae succrescant. Nunquam interea invigilare cessabis tum Seminarii eiusdem Moderatoribus, tum aliis extra seminarium magistris minorum maiorumque disciplinarum, ut nemo illorum ab officio declinet, sed una omnium cura sit in teneros adolescentium animos catholicae veritatis amorem et horrorem schismatis instillare. Ita, Deo benedicente, continget, ut nihil unquam clero tuo potius sit, quam praedicare veram catholicam fidem, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit (2), eoque ipso et unionem fovere cum Ecclesia Catholica, a qua quisquis fuerit separatus, non habebit vitam (3) et obedientiam tueri erga supremam hanc Petri cathedram, ubi Christus Dominus ipsius Ecclesiae fundamentum posuit, in qua proinde est integra christianae religionis et perfecta soliditas (4).

§ 9. Haec sunt, ven. frater, quae tecum nostris hisce litteris communicare voluimus sive ad gratulandum eximiae tuae vigilantiae, sive ad zelum ipsum tuum pro supremi nostri apostolatus munere adiuvandum. Plane autem non ambigimus, quin aequo tibi gratulentur alii ven. fratres catholici Ruthenorum Praesules, et maiorem inde animum sumant, ad suum quisque gregem alacriori sedulitate muniendum adversus schismaticorum fraudes et in sanctae Ecclesiae unitate custodiendum. Utinam te atque ipsos non contristassent quidam illi eiusdem vestri ritus Antistites, quos duobus ante annis rebellasse a catholica veritate deflevimus! Heic autem temperare nobis non possumus, quin rursus doleamus etiam atque etiam calamitatem fidelium ovium, quibus iidem praepositi fuerant, quaeque nunc Pastorum loco veros in eis habent lupos in ipsarum caedem furentes. Nos quidem nihil intentatum relinquimus, quo illas eripiamus ab eorum faucibus et a conditione miserrima, in quam deiectae sunt, Deo bene iuvante, relevemus. Nec sane desistimus, ipsum Patrem misericordiarum per Iesum Christum Filium suum omni, qua possumus, supplicum precum contentione orare et obsecrare, ut roborare illas dignetur validioribus gratiae suae donis, simulque propitius adsit sollicitudini nostrae, qua levamen eis atque opem ferre connitimur.

(1) Sess. 23, cap. 18 de Reform.

(2) Ex symbolo *Quicumque* in princ.

(3) Ex Concil. Zertensi an. ccccxii. in synodalibus litteris ad Donatistas (inter opp. S. Augustini edit. Maur. tom. II, cap. 141 et 152). Quisquis (inquit) ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.

(4) Ex regula fidei, seu formula Hormisdae, quae tum eo Pontifice ad initia saeculi VI., tum postea non semel ab Orientis Episcopis subscripta est.

§ 10. Denique tibi etiam, ven. frater, et creditis fidei tuae ovibus, nec non caeteris omnibus aliorum locorum Ruthenis fidelibus universis prospera et salutaria omnia impense precamur a Domino, et nostrae testem studiosissimae benevolentiae apostolicam benedictionem toto cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XVII. iulii MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CXCIX.

Dolet cum Vicario Apostolico Gibraltariae ac reprobat audaciam aedituorum eiusdem Vic. Apost. auctoritatem et Sacrae Congregationis contemnentium, et ad laicum magistratum appellantium. Monet eos in censuras incidisse, et optat ut in bonam frugem redeant. Declarat aedituorum munus a Vicario Apostolico pendere, cuius agendi rationem laudat, et ipsum iure prohibuisse ne pecunia occasione sacramentorum exigeretur. Sperat tandem gubernium pactae iam catholicae religionis libertati non defuturum.

Venerabili fratri Henrico Episcopo Heliopolitano Gibraltariae Vicario Apostolico,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Dudum nos solicitos habent, quae istic contra Ecclesiae ius atque in tuam, ven. frater, tuaeque dignitatis iniuriam gesta comperimus. Quae quidem eo acerbiora cordi nostro acciderunt, quod in sacrae rei detrimentum conspirasse intelleximus nonnullos, e catholico populo, qui ob munia sibi demandata antecellere aliis in officio debuissent. Scilicet laici quidam viri, cum non aliud unquam ius habuerint, quam quod ex concessione Antistitis ad ecclesiae aedituos pertineret, insurgere ausi sunt adversus auctoritatem tuam, et decretum contemnere a te postea editum de pecuniis ob sacramentorum administrationem non exigendis; atque adeo contra sanctiones canonum, immo contra ipsam Christi Domini ordinationem usurpare sibi rerum divinarum regimen contenderunt. Qui etiam cum nostram Propagandae Fidei Congregationem contra te frustra solicitassent, huius quoque auctoritate contemptâ non sunt veriti appellare per summum nefas ad laicos eosdemque acatholicos magistratus; quorum porro interventu tu ipse, ven. frater, in carcerem coniectus fuisti, et ad initia usque mensis proximi ibidem detentus.

Haec cum ita contigerint, illud solicitudini omnium ecclesiarum et supremo, quo fungimur, apostolatus officio nos debere sentimus, ut e fastigio S. huius Sedis vocem attollentes, illatam sacro Ordini ac rei catholicae contumeliam nostris hisce literis palam reclamemus. Quare auctoritate nostrâ apostolicâ solemniter declaramus, memoratos aedituos violasse et conculcasse libertatem sacrae potestatis, et in sanctissima eius iura invasisse. Itaque illos, utpote manifestae reos audaciae, dignissimos se exhibuisse decernimus, in quos ad canonum normam graviter animadvertatur. Interim admonemus ipsos atque obtestamur in Domino, ut meminerint censurarum poenarumque spiritualium, quae apostolicis constitutionibus et conciliorum oecumenicorum decretis in omnes, qui talia audent, statutae ita sunt, ut facto ipso contrahantur. Et quoniam eius in terris vicem gerimus qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, nihil equidem optamus magis, quam ut iidem peccatum suum detestantes, ad obsequium et obedientiam fraternitatis tuae sincero animo redeant.

Iam vero ad eorum munus quod attinet, neminem ignorare volumus, illud pendere omnino ex auctoritate Episcopi, nihilque ab aedituis ecclesiae geri unquam posse, nisi quod eis fuerit ab Antistite demandatum. Quod vero pertinet ad sacramentorum administrationem, erit tibi curae, ut fideles, qui sub te sunt, sedulo admoneas, divina eiusmodi munera nullam omnino temporalis pretii aestimationem recipere; sed a Dei ministris, qui ea gratis acceperunt, gratis pariter esse dispensanda: nec posse istic ullam ad tramites canonum (cap. *Ad apostolicam* 42 de simoniâ) probabilem consuetudinem obtendi ad pecuniae quidpiam alicuius sacramenti occasione alio titulo postulandum, quando id a te atque a Congregatione Propagandae Fidei ex acceptâ a nobis potestate ad tuendam sacramentorum sanctitatem iure meritoque vetitum est.

Ceterum ea nos cogitatio consolatur, quod sub inclyto gubernio serenissimae ac potentissimae Anglorum reginae haud certe metuendum est, ne ulterior tibi molestia inferatur, frausque fiat sancitae iamdiu Ultraiectino foedere Catholicae Religionis apud vos libertati: quum praesertim in florentissimo etiam Britannico regno pro aequitate maiestatis suae catholici eorumque Antistites libero sanctissimae nostrae religionis exercitio fruantur.

Denique, ven. frater, tuam istam vigilantiam, zelum et eximiam animi firmitatem meritissimis laudibus honestamus, hortamurque in Domino, ut posthac pariter religionis causam non minori sedulitate constantiâque sustinere pergas. Nos autem, licet indigni, non desistimus Deo per Iesum Christum humillime supplicare, ut adsit tibi semper propitius in abundantiâ gratiae, atque in parte istâ suae vineae, tuis rigatâ sudoribus, adaugeat iustitiae fruges, et tranquilla omnia faciat. Ac nostrae in te et fidelem, cui praees, clerum et populum studiosissimae caritatis pignus adiungimus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam tibi, ven. frater, atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XII. augusti MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CC.

Domino regionis Tigre in Abyssinia Desgiamaccio Ubie scribit de reditu ad fidem et de muneribus (1).

Questa lettera del Pontefice Massimo di Roma, successore di S. Pietro, è mandata a Desgiamaccio Ubie signore del Tigre in Abissinia.

È lungo tempo che il tuo popolo è separato da noi. Noi però ti abbiamo sempre amato, e desiderato di essere amati da te. Ora che l'affettuosa tua lettera, e gli uomini che ci hai mandati mi assicurano del tuo affetto verso noi, questa nuova ci ha ripieno l'animo di gaudio ed amorosamente ti stringiamo al nostro seno. Iddio ci ha dato pel governo della sua Chiesa la potestà di Pietro, e con essa l'abbondanza dei celesti tesori. Quanto saremo consolati se ci sarà dato d'usarne pel bene tuo, e del diletto tuo popolo a pro delle anime vostre, per le quali il nostro Signore Gesù Cristo versò il sangue suo prezioso. Quattro individui del tuo paese rimangono qui con me, e con te si trovano uomini miei, spirituali miei figli. Questi ci ricorderanno l'amicizia che ora si è stabilita fra noi: considera pertanto che se noi fossimo uniti nella fede, in quella fede pura che è fondamento della vera carità, la nostra amicizia sarebbe eterna. Tu che saggio sei, rifletti a questo importante affare.

Ricevi finalmente con affetto di figlio alcuni pochi doni che ti mandiamo. Desideriamo vivamente che sopra te si adempia la divina misericordia fin dove si stende la speranza del nostro paterno cuore affettuoso.

Dato in Roma dal palazzo apostolico Quirinale questo dì 29 agosto 1841, anno del nostro pontificato undecimo.

CCI.

Vicariatum Apostolicum Siamensem in duos partitur, quorum alterum Orientalem, alterum Occidentalem Siamensem praefinitis limitibus nuncupandum esse decernit, atque utriusque Vicarium constituit.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Universi dominici gregis salus nobis divinitus commissa postulat, ut ea peragenda curemus, quae in maiorem spiritualem Christifidelium utilitatem cedere posse cognoscimus.

§ 1. Itaque pro missionum Sinensium bono, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio die XVI. decembris an. MDCCCXXXIX. gravibus de causis complures regiones, Vicarii Apostolici Avae ac Pagù administrationi iam creditae, Siamensi vicariatui seminarii missionum ad exteros alumnis commendato adiectae fuerunt, eâ sane mente, ut ampla iam ac

(1) Vide supra *Pastorale officium*.

magis aucta haec missio in duas deinceps divideretur a duobus Vicariis Apostolicis gubernandas. Iam vero rebus omnibus maturo examine perpensis atque accedente eiusdem seminarii moderatorum consensu et suffragio, de eorumdem venn. fratrum nostrorum consilio memoratum vicariatum in duos dividendum esse censuimus.

§ 2. Quamobrem hisce literis auctoritate nostrâ apostolicâ ipsum vicariatum ita dividimus, ut alter, Siamensis Occidentalis vel potius Malayensis Peninsulae parte occidentali nuncupandus, complectatur Insulam Syngaporae, Malacensem regionem eidem Vicariatui anno MDCCCXXXIX., ut supra, additam, una cum reliquâ Peninsulae parte iam Siamensi Vicario subiectâ, quae regnum Quatae amplectitur, provincias item Merguy, Tenasserim, Tavay, Martaban (exceptâ urbe Moulmein quae Avano Vicario subest) una cum finitimis iisdem provinciis, regionibus, populisque silvestribus, ac demum insulas Andaman, Nicobar, Merguy, Tuncselant, Laracè, Pulopinang, ceterasque Peninsulae Malacensi adiacentes, exceptis Hollandicis possessionibus ac coloniis: alter autem, Siamensis Vicariatus Orientalis appellandus, perficiatur ex integro Siami superioris et inferioris regno, ceteris additis regionibus et insulis finitimis et adiacentibus, quae in Occidentali Vicariatu non continentur, quaeque Siamensis Regis ditioni subsunt, et ad Siamensem Vicariatum ante divisionem iam pertinebant.

§ 3. Praeterea eâdem auctoritate nostrâ apostolicâ prioris sive Occidentalis Vicariatus regimen venn. fratri Hilario Paulo Courvezy Episcopo Biduensi actuali Vicario Apostolico in Syngaporae Insulâ tradimus, alterius vero, sive Siamensis Orientalis, curam venn. fratri Ioanni Baptistae Pallegoix Episcopo Mallensi committimus cum Vicarii Apostolici titulo, eumque a vinculo coadiutoris Episcopi Biduensis solvimus, atque ipsis necessarias et opportunas omnes facultates tribuimus, salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 4. Haec volumus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die X. septembris MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CCII.

Vicarium Apostolicum Coreae, iuxta modum, eligit.

Venerabili fratri Iacobo Leonardo Perocheau Episcopo de Manula in partibus infidelium Vicario Apost. Sutchuensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Petitio. § 1. Quamvis per similes apostolicas litteras die XIV. augusti anno MDCCCXXXVIII. datas ad preces ven. fratris Laurentii I. M. Imbert Episcopi Capsensis Vicarii Apostolici Coreae, attentis difficillimis vicariatus circumstantiis ac Vicarii ipsius, in quibus tunc versabatur, periculis, de VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio eiusdem ven. fratris desideriis annuimus, ut unum ex sacerdotibus ipsius missionis in coadiutorem sibi eligeret cum charactere ac titulo episcopali ecclesiae Bellinensis in partibus infidelium; nihilominus cum per epistolas diei I. dec. anno MDCCCXXXVIII., ac XXX. martii MDCCCXXXIX. idem ven. frater iterum nobis exponendum curaverit minime expedire, ut duo Episcopi intra limites eiusdem periculosissimi regni commorentur, nec plures quam duo nunc ibi adesse operarios evangelicos, quorum alter eligendus esset coadiutor, ac propterea multo opportunius et utilius ei videri, ut coadiutor in Sutchuensi provincia a te eligatur inter provinciae ipsius missionarios magis probatos, et linguam Sinicam ac mores edoctos, et consecretur titulo ecclesiae Bellinensi, qui in Tartaria maneat ad fines Coreae ad missionis absolvenda negotia semper paratus Coream ingredi deficiente Vicario Apostolico, vel si propter gravem persecutionem ab ingressu ad tempus iudicaverit abstinendum, inde tamen missionem regere et gubernare possit, ac proinde ad praecavendam duorum coadiutorum deputationem idem Capsensis Antistes testatus fuerit, se ad coadiutoris electionem iuxta elargitam sibi anno MDCCCXXXVIII. facultatem non processurum:

Precum executio. § 2. Nos de eorumdem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium sententia, votis Capsensis Episcopi annuendum existimavi-

mus. Quamobrem hisce litteris auctoritate nostra apostolica potestatem facimus atque impertimur, ut in ista Sutchuensi provincia inter provinciae ipsius missionarios magis probatos et linguam Sinicam et mores edoctos Coreae Vicarii Apostolici coadiutorem cum futura successione eligas, qui in Tartaria maneat ad ipsius Coreae fines ad missionis absolvenda negotia, semper paratus Coream ingredi, deficiente illo Vicario Apostolico, vel si propter gravem persecutionem ab ingressu ad tempus iudicaverit abstinendum, inde tamen missionem regere et gubernare possit, ita tamen ut coadiutor ita electus nonnisi ea, quae hac in re illi a suo coadiuto demandata fuerint, omnino praestare teneatur. Cum autem munus huiusmodi quomodolibet vacaverit, coadiutorem a te eligendum Vicarium Apostolicum Coreae cum omnibus et singulis facultatibus, quae ratione officii huiusmodi ab hac Apostolica Sede quomodolibet concessae sunt, iam nunc auctoritate et tenore praedictis facimus et constituimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Praeterea, ut idem coadiutor ita a te eligendus charactere et titulo episcopali Bellinen. insignitus evadat, tibi facultatem facimus, qua eadem auctoritate nostra apostolica coadiutorem eligendum illius ecclesiae Episcopum eligas atque declares, illique ut ad eamdem ecclesiam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime teneatur, dicta auctoritate nostra concedas, indulgeas, atque tibi eidem coadiutori, ut supra eligendo ac postea in Episcopum renuntiando, postquam ab eo professionem catholicae fidei, iuxta articulos a sede nostra propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum receperis, munus consecrationis auctoritate nostra apostolica impendere licite valeas, accitis, et in hoc tibi assistentibus duobus, loco Episcoporum, presbyteris saecularibus, seu cuiuscumque Ordinis et Instituti regularibus, praedictae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, dicta auctoritate plenam et liberam tribuimus facultatem.

§ 3. Volumus tamen etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVII. sept. MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CCIII.

Separat a dioecesi Regipolitanâ (Kingstoniensi) occidentalem provinciam Canadae superioris, et hanc in novum et distinctum ab illâ episcopatum erigit, cuius sedes ab Episcopo, qui illi statim praeficitur, determinanda sit.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Inter multiplices gravissimasque apostolatus nostri curas non exiguam ea tenet partem, quae dioecesium per universum orbem respicit statum; siquidem supremae potestatis iudiciique nostri est illas moderari, earumque limites constituere vel immutare, prout, habitâ temporum ac rerum ratione, fidelium utilitati convenire dignoscimus.

§ 1. Itaque, quum ven. frater Remigius Gaulin Episcopus Regipolitanus in superiori Canadâ gravibus adductis rationibus nobis exposuerit, religionis bonum et fidei catholicae incrementum in remotâ eiusdem Canadae superioris occidentali provinciâ omnino requirere, ut ea provincia occidentalis e dioecesi Regipolitanâ disiungatur, atque in peculiarem episcopatum seu dioecesim proprie dictam erigatur; nos rem tanti momenti Congregationi venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositae inquirendam commisimus, rebusque omnibus accurate perpensis, ac praesertim ratione habitâ totius Canadae superioris permagnae amplitudinis, qua fit ut ab uno tantum Episcopo regionis vastissimae regimen cum verâ Ecclesiae utilitate retinere diutius non possit, postulationibus ipsius Episcopi benigne annuentes, huius novi episcopatus erectionem perutilem esse existimavimus.

§ 2. Motu igitur proprio et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratam remotam occidentalem superioris Canadae provinciam a Regipolitanâ dioecesi perpetuo separantes, eam regionem in peculiarem episcopatum et dioecesim harum literarum vi erigimus, atque una simul statuimus ut sedes episcopalis, quae in posterum dioecesi titulum datura erit, ab Episcopo, quem per similes apostolicas literas hoc ipso die datas illi praeficimus, determinetur.

§ 3. Haec volumus mandantes propterea

omnibus et singulis ad quos spectat ac in futurum spectabit, ut praedictis dispositionibus nostris se subiiciant, illasque accurate exequi satagant. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos pertinet, et pertinebit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVII. dec. MDCCCXLI., pontificatus nostri anno XI.

CCIV.

Archiepiscopo Primati Armeno Constantinopolitano ad onus episcopale ferendum coadiutorem promittit, Archiepiscopum et gentem Armenorum paterna dilectione se prosequi fatetur (1).

Ven. fratri Paulo Marusci Archiepiscopo Primati Armeno Constantinopolitano,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras tuas datas sub die XVII. septembris elapsi anni tradidit nobis dilectus filius Arsenius Angiarakian monachus Antonianus tui Ordinis apud nos procurator generalis, isque simul fraternitatis tuae nomine retulit plura, quibus sane intelleximus, quot quantisque Armenorum indigeat ecclesia, quibusque angustiis in tristissima hac rerum conditione tu ipse, ven. frater, tenearis. Quae quidem quum ita esse intellexerimus, sacro consilio christiano nomini propagando commisimus statim, ut quae a te patefacta sunt nobis, curaret quam solerter; tibi vero, quem a sede ista tuis illustrata virtutibus remotum nequaquam volumus, adiutricem manum componendam decrevimus, Antistitem videlicet tibi apprime probatum constituimus deligendum, quo in tanta temporum ac locorum difficultate ad onus episcopatus ferendum adiuveris. Erit porro Sacrae Congregationis de Propaganda Fide inanes prorsus a te conceptos dispellere timores, circa huius Sanctae Sedis in te Armenosque tuos benevolentiam; ast illud tibi ratum iam nunc certumque volumus, nos et fraternitatem tuam, cuius eximiam religionem prudentiamque haud ignoravimus unquam, et universam Armenorum gentem peculiari semper ac paterna dilectione esse prosecutos, tum omnia quovis tempore exoptasse quae sive ad tui commodum, sive ad utilitatem commissi tibi gregis pertinerent. Equidem illud nobis summo gaudio atque incredibili laetitia fuit, quod epistola fraternitatis tuae retulit nuper plures videlicet haereticos Armenos ad catholicae unitatis sinum rediisse, ac Deo misericordiarum patri immortales egimus gratias, quod dum intima conficeremur amaritudine ob innumeras fere, quibus Ecclesia vexatur, calamitates, tantum nobis consolationis argumentum exhibuerit. Nec vero nullum nobis suboriri dubium potest, quin tu, ven. frater, pro eo, quo incensus es, catholicae religionis propagandae studio divinae providentiae consiliis obsecundans, omnes, quotquot sunt, errantes Ecclesiae filios, qui in ovile Christi revertuntur, paterno sis affectu complexurus. Interim vero Deum Optimum Maximum enixe deprecantes ut in te atque in istam dominici gregis electam partem divitias misericordiae suae dignetur effundere, et Tibi atque universae Armenorum ecclesiae de catholica religione optime meritae apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX. ian. MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCV.

Iacobum Holas ab Episcopis nationis Armenorum in Patriarcham Ciliciae electum seu postulatum in ea dignitate confirmat (2).

---

(1) Ex Reg. Brevium vol. V., p. 61.

(2) Ex Tabul. Datariae.

In consistorio secreto pro hac confirmatione Pontifex habuit allocutionem, quam transcribimus ex Tabul. Consistoriali:

VENERABILES FRATRES,

Benedicti XIV. gloriosissimae memoriae praedecessoris nostri temporibus aequalis est catholici Ciliciae patriarchatus origo. Ab eo Pontifice Abra-

Venerabili fratri Iacobo Holas Archiepiscopo nuper Amasen. in Patriarcham Ciliciae Armenorum electo,

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Romani Pontificis, quem Pastor ille coelestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis praetulit universis, sollicitudo requirit ut circa cuiuslibet ecclesiae statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectam tunc per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis accommode, prout personarum locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ecclesiamque sibi traditam non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis.

Patriarch. ecclesiae Ciliciae conditiones. § 1. Sane patriarchali ecclesia Ciliciae Armenorum, cui bo. me. Gregorius denominatus Sextus ultimus illius Patriarcha dum viveret praesidebat, per obitum dicti Gregorii Patriarchae, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem huiusmodi patriarchalis ecclesiae paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo ipsi ecclesiae patriarchali Ciliciae Armenorum personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te nuper Archiepiscopum Amasen., quem venerabiles etiam fratres nostri Episcopi catholici nationis Ciliciae Armenorum ad patriarchalem ecclesiam huiusmodi pro illius Patriarcha elegerunt seu postularunt, quique fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica Orientalibus praescriptos expresse professus fuisti, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor Altissimus multipliciter insignivit, et attendentes quod tu, qui ad archiepiscopalem ecclesiam Amasen. evectus munere consecrationis suscepto pontificalia exercuisti, ordinationes habuisti, confirmationis sacramentum administrasti et in re-

---

hamus Petrus Primus antea Aleppi Archiepiscopus in consistorio publico Ciliciae Patriarcha solemni ritu fuit renuntiatus. Quinque post eum Patriarchae sedi illi praefuerunt, quorum postremus Gregorius Petrus Sextus ab immortalis recordationis Pontifice praedecessore nostro Pio VII. a. MDCCCXIV. solemniter confirmatus, diem suum obiit die XXII. septembris MDCCCXL.

Non ante proximum elapsum mensem iunium congregari potuerunt novum Patriarcham electuri Basilius Aivaz Archiepiscopus Aleppinus, Iosephus Farra Archiepiscopus Mardinensis, Iacobus Holas Archiepiscopus Amasiensis Sedis Patriarchalis procurator, Stephanus Episcopus Adanensis. Unus defuit Michael Archiepiscopus Caesareensis, qui ut Vicarius Patriarchalis Tokatensem dioecesim administrabat: qui tamen litteras misit, ex quibus causae legitimae constarent absentiae suae, longitudo praesertim itineris et asperitas viarum.

Convenerunt itaque quatuor, quos indicavimus, electores die XXX. iunii in Coenobium Bsommarii in Monte Libano, ubi consuetis adhibitis caeremoniis, litterisque perlectis Archiepiscopi Caesareensis, ab aliis tribus Iacobus Holas Archiepiscopus Amasiensis proclamatus est Patriarcha, qui invitus licet, coactus est dignitatem accipere. Itaque Amasiae sede abdicata, Iacobi Petri Septimi nomen assumpsit.

Tum solemnis confectus est electionis seu postulationis actus, cui supradicti subscripserunt ac duo seniores Coenobitae ad testimonium vocati. Intellectum est autem ex epistola Michaelis Archiepiscopi Caesareensis, quae tunc lecta est, ipsum quoque electioni assensum fuisse Archiepiscopi Amasiensis, cui subinde consuetus ritu nationis honor est habitus: cuius de electione regulariter facta, itemque de probitate, zelo, prudentia ac doctrina Franciscus Villardell Archiepiscopus Philippensis Delegatus Apostolicus in Monte Libano sollemne dedit testimonium; quarum ceteroqui virtutum idem electus, cum professor fuit in collegio, ac deinde Sedis Patriarchalis procurator, se iam satis perspicuis commendaverat argumentis.

Non praetermisit postulatus Patriarcha litteras ad nos officiosissimas mittere electionis suae, confirmationem sacrique pallii honorem implorans, idemque per constitutum a se procuratorem nobis exhibuit a se subscriptam fidei catholicae professionem ad normam formulae ab Urbano VIII. praescriptae. Idem praestiterunt Episcopi, rem, uti gesta est, referentes, nobisque supplicantes, ut actum sanctione nostra firmaremus.

Quae cum ita sint, S. Congregatio Propagandae Fidei, re considerata et sedulo perpensa, preces nobis exhibendas esse decrevit, ut nostra auctoritate Iacobum Holas Archiepiscopum Amasiensem, Iacobi Petri Septimi assumpto nomine, in Patriarcham Armenum Ciliciae confirmemus et Sacri Pallii honore decoremus. Nos igitur indicavimus eiusdem Congregationis precibus annuere.

Quid vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem in Patriarcham Ciliciae Armenorum rite factam de persona praedicti Archiepiscopi Iacobi Holas nunc Iacobi Petri, quem absolvimus a vinculo quo tenebatur ecclesiae archiepiscopalis Amasiae, et transferimus ad patriarchalem praefatam ecclesiam, praeficientes eum in Patriarcham et pastorem eius nationis, prout in decreto et schedula consistoriali exprimetur.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

liquis ita te bene gessisti, ut praedictae ecclesiae patriarchali Ciliciae Armenorum praefici dignus censearis, ipsamque patriarchalem ecclesiam scies voles et poteris auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam dictae patriarchiali ecclesiae Ciliciae Armenorum quam eius gregi dominico salubriter providere, teque a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat ut translatio, provisio et praefectio per nos ut infra faciendae praesentesque litterae suum debite sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac eiusmodi electionem seu postulationem de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate approbantes et confirmantes, omnesque et singulos etiam substantiales defectus, si qui in electione seu postulatione huiusmodi quomodolibet intervenerint, quatenus opus sit, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, iuxta decretum a Congregatione eorumdem fratrum nostrorum praedictae S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per nos etiam approbatum, te, licet absentem, a vinculo quo dictae ecclesiae Amasen., cui hactenus praefuisti, tenebaris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad dictam patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum de consilio et apostolicae potestatis plenitudine similibus transferimus, teque illi in Patriarcham praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad dictam patriarchalem ecclesiam transeundi licentiam tribuendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos ipsa patriarchalis ecclesia sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus ac temporalibus suscipiet incrementa.

Patriarchatus electo curam committit.

§ 2. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, ad praefatam patriarchalem ecclesiam cum gratia nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant, ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, ipsaque patriarchalis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis; nec non venerabilibus fratribus nostris suffraganeis orthodoxis ac dilectis etiam filiis vassallis dictae patriarchalis ecclesiae ac clero et populo ipsi patriarchali ecclesiae subiectis per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas ita, quod mutua inter te et ipsos gratia gratos sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare; clerus autem te pro nostra et eiusdem Sedis Apostolicae reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant ita, quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis; vassalli praeterea praefati te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent: alioquin sententiam sive poenam quam tu rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Confirmationis conditiones.

§ 3. Volumus autem quod tu in sede tua patriarchali montem pietatis ad praescriptum sacrosancti Concilii Tridentini instituas, conscientiam tuam super hoc onerantes; volumus etiam quod tu antequam regimini et administrationi dictae patriarchalis ecclesiae te in aliquo immisceas, in manibus duorum pariter fratrum nostrorum Archiepiscoporum et Episcoporum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentium et in istis partibus degentium seu alterius eorum fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta formam praesentibus adnotatam, et sic a te praestiti iuramenti formam ad eamdem Congregationem de Propaganda Fide de

verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium Nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis, quibus et eorum cuilibet per easdem praesentes pariter mandamus ut ipsi vel eorum alter a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum huiusmodi iuxta eamdem formam recipiant seu recipiat.

Forma iuramenti.

§ 4. Forma autem iuramenti quod praestabis haec est: « Ego Iacobus Holas Patriarcha Ciliciae Armenorum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro Apostolo sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et domino nostro domino Gregorio PP. XVI. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore; consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam; Papatum Romanum et regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem; Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo; iura, honores, privilegia et auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae, domini nostri Papae et successorum eiusdem conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse et, quantocitius commode potero, significabo eidem Domino Nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, reservationes, dispositiones, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, schismaticos et rebelles Domino Nostro ac successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis personaliter et per me ipsum visitabo et Domino Nostro successoribusque praedictis rationem reddam de toto meo pastorali officio deque rebus omnibus ad patriarchalis ecclesiae meae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquomodo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica praedicta humiliter recipiam et quam diligentissime exequar: quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio cleri mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem, et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem proponéntem in congregatione sacri Concilii Tridentini per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu cleri patriarchalis ecclesiae meae inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia. »

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae MDCCCXLII., V. kalendas februarii, pontif. nostri anno XII.

CCVI.

Patriarchae Ciliciae Armenorum Iacobo Holas pallium concedit.

Venerabili fratri Iacobo Holas nuper Archiepiscopo Amasien. in Patriarcham Ciliciae Armenorum electo,

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum nos hodie patriarchali ecclesiae Ciliciae Armenorum certo nunc ex-

presso modo pastoris solatio destituta de persona tua nobis et venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum negotiis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum et per nos approbatum, de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerimus, teque eidem patriarchali ecclesiae in Patriarcham praefecerimus et pastorem, curam regimen et administrationem ipsius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, ac postmodum pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, pro parte tua fuerit nobis hodie per dilectum filium Thomam comitem Gnoli nostrae consistorialis aulae advocatum ea qua decuit reverentia postulatum: nos tuis postulationibus annuentes, pallium ipsum de corpore Beati Petri sumptum et per duos venerabiles fratres nostros Archiepiscopos vel Episcopos in istis partibus degentes, gratiam tamen et communionem Sedis Apostolicae habentes, tibi assignandum per dilectum quoque filium Ioannem Topus presbyterum Armenum nuncium tuum duximus destinandum, ut iidem Archiepiscopi vel Episcopi aut eorum alter illud tibi sub infrascripta forma assignent vel assignet, et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub altera etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum iuramentum recipiant seu recipiat. Tu autem pallio eodem intra patriarchalem ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus uteris, qui expressi in ipsius patriarchalis ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus, humilitatem et iustitiam dante Domino qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum sponsam tuam cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augere.

§ 2. Quocirca praedictis Archiepiscopis vel Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum dictum pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent seu curet assignare, et a te nostro et eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant seu alter eorum recipiat iuramentum, eiusdemque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procures. Forma autem qua praedicti Archiepiscopi vel Episcopi in assignando tibi dicto pallio utentur, haec est: « Ad honorem Omnipotentis Dei ac Beatae Mariae Virginis ac SS. Apostolorum Petri et Pauli ac domini nostri domini Gregorii PP. XVI. et Sanctae Romanae Ecclesiae nec non patriarchalis ecclesiae Ciliciae Armenorum tibi commissae, tradimus tibi pallium de corpore Beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pastoralis officii, ut eo utaris intra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis ». - Forma autem iuramenti quod praestabis, haec est: « Ego Iacobus Holas Archiepiscopus Amasien. in Patriarcham Ciliciae Armenorum electus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro sanctaeque apostolicae Romanae Ecclesiae et domino nostro domino Gregorio Papae XVI. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant vel membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad Synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis visitabo aut per me aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia. »

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae MDCCCXLII., V. kalendas februarii, pontif. nostri anno XII.

CCVII.

Patriarchae Hierosolymitano et Alexandrino nationis Graeco-Melchitae scribit de auxilio principibus demandato pro fidelibus eius ritus (1).

Ven. fr. Maximo Moylum Pat. Antiocheno, Alexandrino et Ierosolymitano nationis Graeco-Melchitae,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Binas nuper a te accepimus literas, quae quidem licet diversa prorsus praeseferant, ambae tamen animum nostrum vehementer permoverunt. Quod enim nuntiatus de calumniis, quas Schismatici tibi intentaverant, coram gubernio isto a te repulsis, de obtenta in bonum Christifidelium facultate, deque honoribus dignitati tuae istic delatis, id maximae nobis laetitiae ac iucunditati fuit; quae vero de minis ac caedibus catholicorum in Libano editis retulisti, ea etsi nova nobis nequaquam acciderint, nihilominus permagno nos moerore affecerunt. Verum haec postrema sicut latere nos antea non potuerunt, ita pastoralem nostri sollicitudinem non effugere. Ex quo enim anno superiori ad aures nostras infaustum nuntium devenit vexationum illarum, illico curas omnes cogitationesque nostras eo convertimus, ut de subsidiis afflictae eorum fidelium conditioni apprime necessariis quantum per nos fieri posse provideremus. Itaque iam tunc, ven. fr., catholicorum principum magnanimitatem charitatemque excitavimus in Domino, ut fideles in Libano degentes ab hostium armis atque incursionibus tutarentur. Hinc porro compertum nobis est eos iam aliquid praesidii suscepisse, eisdemque in posterum maiora etiam auxilia confidimus non defutura. Ad haec quandoquidem te fugere nequaquam possit, ven. fr., qua nos paterna charitate omnes et singulos ecclesiae filios, atque eos praesertim qui *in pressura sunt,* complectamur, potes existimare nos nihil eorum praetermissuros, quae ad miseram praedictorum fidelium conditionem sublevandam magis conferre iudicabimus. Ceterum in tantis quibus ecclesia Dei ubique premitur aerumnis, id in primis ad rem nostram pertinere arbitramur, ut *adeamus cum fiducia ad thronum gratiae et misericordiae, ut gratiam et misericordiam inveniamus in auxilio opportuno.* Quod quidem dum facimus ex animo, dumque fraternitatem tuam ad idem praestandum sedulo adhortamur, tibi gregique tuo apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VI. febr. MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCVIII.

Insulam Novae Scotiae, cui hactenus praeerat Vicarius Apostolicus, in episcopatum erigit, cum sede in urbe Halifax.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex munere pastorali ministerii superna Dei providentia humeris nostris impositi non leve sane totius dominici gregis onus ferentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile ad pascua coelestia vocari valeant feliciterque perduci.

Erectionis causae.

§ 1. Hinc, quum ex plenissimis Vicariatus Apostolici Novae Scotiae ad nos notitiis allatis certo constiterit, religionem in eâ permagnâ insulâ amplos fecisse progressus, catholicos copiosissimos ibi nunc esse, sacerdotum sufficientem numerum in eâ reperiri, seminarium erectum fuisse, et omnem sperandi rationem adesse, fore ut religio catholica in eâ insulâ quotidie magis floreat atque amplificetur, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardi-

(1) Ex Reg. Brevium vol. V., p. 63.

nalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio rem totam accurate perpendentes, ac tempus advenisse considerantes, ut ea insula in proprie dictum episcopatum erigatur, censuimus atque decrevimus, huiusmodi consilium omnino esse perficiendum.

Decretum erectionis.

§ 2. Motu igitur proprio, atque ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi Novae Scotiae insulae Vicariatum Apostolicum in proprie dictum episcopatum erigimus, eiusque sedem Halifaxiam, quae praecipua insulae civitas est, constituimus, ubi Episcopus deget. Ipsi autem Episcopo ab hac S. Sede adlegendo omnes et singulas facultates aliis Episcopis concedi solitas, eâdem auctoritate nostrâ concedimus et impertimur.

Clausulae.

§ 3. Haec statuimus atque praecipimus, decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis, ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, caeterisque, etiam speciali, individuâ et expressâ mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XV. febr. MDCCCLXII., pontificatus nostri anno XII.

CCIX.

Novo erecto episcopatui Novae Scotiae *praeficit Guillelmum Fraser Episcopum Thanen.* (1).

Ven. fratri Guillelmo Fraser Ep. Thanen. in partibus infidelium,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium

Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum regimini divina providentia praesidemus, illud vel maxime postulat ut, cum de ecclesiarum earumdem regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis, informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium ordinationi ac provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Electum ad nov. sedem designat et facultates concedit.

§ 1. Cum igitur per alias nostras similes apostolicas litteras hoc ipso die editas, quarum tenorem pro expresso et inserto in nostris hisce praesentibus haberi volumus, Vicariatus Apostolicus novae Scotiae in proprie dictum episcopatum fuerit erectus, cuius sedes esse debeat Halifaxiae, quae insulae praecipua civitas est, ex eaque episcopalis eius titulus proficiscitur, nos ad eiusdem novae episcopalis ecclesiae provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter nos se potest intromittere, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo huiusmodi ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum venerab. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, ad te qui Episcopus Thanensis in partibus infidelium existis, et hactenus Vicarii Apostolici illius insulae munere fungeris, oculos mentis nostrae direximus. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, ac eamdem novam episcopalem ecclesiam Halifaxiae de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam me-

(1) Ex Reg. Brevium vol. V., p. 67.

ritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio providere volentes, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, ab episcopatu Thanen. in partibus infidelium in illam transferimus, atque Halifaxiae ecclesiae in Episcopum praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Halifaxiae tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praefata ecclesia Halifaxiae per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigetur, grataque in ipsis spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiet.

Electionis conditiones.

§ 2. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris ita studeas fideliter gerere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu, praeter aeternae retributionis praemium, nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Tibi praeterea, ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud illam personaliter residere minime tenearis, auctoritate nostra apostolica concedimus et indulgemus. Tibi insuper a quocumque malueris catholico Antistite S. huius Sedis gratiam et communionem habente, adcitis illique adsistentibus duobus aliis Episcopis, vel, si commode reperiri nequeat, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti Regularibus, similem S. huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere possis, atque eidem Antistiti, ut receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos ab hac S. Sede propositos et nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento dictum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, plenam ac liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen ac praecipimus ut, nisi receptis a te iuramento ac professione fidei huiusmodi dictus Antistes consecrationis munus tibique impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xv. febr. MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCX.

Vicariatum Apostolicum Novae Hollandiae sive Australiae in tres episcopatus proprie dictos partitur, Sydneyensem, Hobartoniensem et Adelaidensem.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi non leve sane totius dominici gregis onus sustinentes, illis praecipue ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiore consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua coelestia vocari valeant, feliciterque perduci.

Divisio vicariatus.

§ 1. Hinc, quum in vastissimis regionibus, quae in Novae Hollandiae Vicariatu Apostolico continentur, religionis amplificandae atque eius boni uberius ac stabilius promovendi necessitas id omnino postulare demonstratum sit, ut tanta locorum amplitudo non unius dumtaxat Episcopi Vicarii Apostolici curae commissa atque ab eo tantummodo gubernanda relinquatur, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, nonnulla statuenda censuimus, ut proposito fini exitus, quem optamus, omnino contingat.

Limites nov. vicariatuum.

§ 2. Rebus igitur omnibus mature perpensis, quum ipse ven. frater Ioannes Beda Polding Episcopus Hierocaesareensis et Novae Hollandiae Vicarius Apostolicus ea omnia descripserit, quae ostendunt necesse esse insulam permagnam Van-Diemen

seu Tasmanicam in Oceano Australi ad meridiem Novae Hollandiae ab iurisdictione suâ subducere, et in eâdem peculiarem Episcopum Vicarium Apostolicum constituere, cui eiusdem insulae ac terrae regimen ecclesiasticum committatur; quumque idem de meridionali Australiae provinciâ statuendum esse memoratus Vicarius Apostolicus demonstraverit; motu proprio ac certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi, utrasque regiones seu provincias mox significatas revera ab ipsius Vicarii Apostolici Novae Hollandiae iurisdictione detrahendas, atque eas proprio peculiari Episcopo Vicario Apostolico gubernandas tradi mandamus, illud simul decernentes, ut Episcopus Vicarius Apostolicus insulae ac terrae Van-Diemen Hobartoniensem titulum suscipiat, ab Hobartoniâ scilicet, quae illius provinciae praecipua civitas est, Episcopus vero Vicarius Apostolicus provinciae meridionalis Australiae titulum assumat Adelaidensem, ab Adelaide, quae provinciae illius prima civitas est.

§ 3. Praeterea, quum graves adesse rationes intellexerimus, ut ipse ven. frater Ioannes Beda Polding, qui, post subtractas ab eius iurisdictione superius expositas provincias, prosequatur iurisdictionem suam, prout antea, exercere in Novâ Galliâ meridionali, in Australiâ Occidentali atque in ceteris regionibus vel provinciis ad Vicariatum Apostolicum Novae Hollandiae pertinentibus, sed in istâ novâ ecclesiastici regiminis partitione non comprehensis, relicto Hierocaesareensis episcopatus in part. infid. titulo, suscipiat potius titulum Sydneyensem, a Sydneyâ civitate principe provinciae Novae Galliae meridionalis in qua ipse residet; de eodem venn. fratrum nostrorum consilio atque eâdem apostolicâ auctoritate nostrâ, ipsi venerabili fratri Ioanni Beda Polding facultatem tribuimus, qua, dimisso titulo episcopali Hierocaesareensi, Sydneyensem titulum libere ac licite suscipere possit.

§ 4. Denique, ut novi Vicarii Apostolici Hobartoniensis et Adelaidensis eorum munere rite perfungi valeant, iisdem ipsis, ab hac S. Sede adlegendis, omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas, eâdem auctoritate nostrâ concedimus et impertimur.

Decretum derogans.

§ 5. Haec statuimus atque decernimus, mandantes, has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis, ad quos spectat et in futurum spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari ac inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari: non obstantibus nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ceterisque, etiam speciali et expressâ mentione et derogatione dignis, in contrarium quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die v. aprilis MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXI.

Sedem episcopalem Sydneyensem in Australia Metropolitanam constituit, cuius suffraganei sint Episcopi Hobartoniensis et Adelaidensis.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ad supremum totius Ecclesiae regimen, nullis certe nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio evecti, ea quidem peragere debemus, quae ipsius Ecclesiae utilitates postulare videntur.

Metropoliae necessitas

§ 1. Itaque ad eiusdem Ecclesiae bonum magis magisque procurandum in vastissimis regionibus, quae hactenus in Vicariatu Apostolico Novae Hollandiae seu Australiae continebantur, quaeque similibus nostris apostolicis literis v. aprilis huius anni editis in tres episcopatus interea divisae sunt, Sydneyensem, Hobartoniensem et Adelaidensem, de VV. FF. etc. consilio, archiepiscopalem sedem constituere opportunum esse iudicavimus, cui iure metropolitico ceteri illarum regionum Episcopi tamquam suffraganei subditi sint.

Decretum erectionis Sydneyensis eccl. in Metropolit.

§ 2. Quamobrem hisce literis motu proprio, certâ scientiâ, maturâ deliberatione, deque nostrae apostolicae potestatis plenitudine sedem Sydneyensem civitatis

principis Novae Galliae Meridionalis ad archiepiscopalem dignitatem et gradum seu in metropolitanam evehimus, erigimus et constituimus, cum omnibus iuribus, honoribus, privilegiis, indultis, quibus aliae archiepiscopales seu metropolitanae ecclesiae utuntur, potiuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt. Atque huiusmodi archiepiscopali Sydneyensi sedi Episcopum Hobartoniensis insulae ac terrae Van-Diemen seu Tasmaniae, et Episcopum Adelaidensem in Australiâ meridionali subiectos esse debere praecipimus atque mandamus.

Derogat contrariis.

§ 3. Haec volumus, statuimus, decernimus, atque iubemus, non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. aprilis MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXII.

Disiungit a vicariatu apostolico Oceaniae Occidentalis curae concredito Societatis Lugdunensis B. M. V. plures regiones, quas in novum vicariatum apostolicum, Centralem nuncupandum, erigit, eidem Societati committendum.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastoris aeterni vicariam operam hic in terris, nullis certe nostris promeritis, sed ineffabili divinae providentiae consilio gerentes, omni certe curâ, studio ac vigilantiâ prospicere debemus, ut dominici gregis oves, nobis divinitus commissae atque concreditae, magis magisque ad salutaria pascua deducantur, omnique adiuventur praesidio, quo salutem assequantur aeternam.

Ratio divisionis.

§ 1. Itaque eum summâ animi nostri laetitiâ noverimus in amplissimo vicariatu apostolico Oceaniae in parte occidentali Societatis Lugdunensis sub titulo B. Mariae V. presbyteris commisso evangelicam lucem divinâ adspirante gratiâ ita usquequaque pervasisse, ut innumerae iam gentes e tenebris et umbrâ mortis fuerint eductae, atque in dies augeatur credentium in Domino multitudo, ac propterea ven. frater Ioannes Baptista Pompallier Maroneae Episcopus, qui in praesentia totius vicariatus Occidentalis praeses, ob nimiam locorum invicem interiecto mare seiunctorum distantiam, ac multiplices commercii difficultates tanto oneri ferendo impar omnino sit, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio nonnullas ex eodem vicariatu regiones seiungere, easque in distinctum apostolicum vicariatum alteri praesuli eiusdem Societatis committendum ac Centralem appellandum erigere statuimus, quo facilius, tutius atque opportunius spirituali illorum Christifidelium bono atque utilitati consulatur.

Novi vicariatus limites.

§ 2. Itaque motu proprio, certâ scientiâ, maturâ deliberatione, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, harum literarum vi, novum atque distinctum vicariatum apostolicum, Centralem nuncupandum, Oceaniae in parte occidentali erigimus et instituimus, ita ut novi huiusce vicariatus limites constituantur ad orientem lineâ meridiani quae per Mangeam insulam transit, sive lineâ ipsâ, quae Occidentalem ab Orientali vicariatu dividit; ad occidentem lineâ quoque meridiani, quae orientalem tangit sinum insulae Christoval, quin tamen eam complectatur; ad septemtrionem lineâ aequinoctialis; ad meridiem denique tropicum Capricorni; ac propterea eidem vicariatui omnes intra praedictos fines regiones positas attributas esse decernimus; namque insulas vulgo Wallis Futuna, Tonga, Hamoa, Witij Nova Caledonia, Novae Hebrides, aliasque parvas insulas iis interiectas vel adiacentes, quas omnes et singulas regiones eâdem auctoritate nostrâ a vicariatu et omnimodâ iurisdictione eiusdem ven. fratris Ioannis Baptistae Pompallier perpetuo auferimus atque dismembramus et in peculiarem novum apostolicum vicariatum Centralem appellandum erigimus et constituimus. Ipsi autem Vic. Apostolico huius novi vicariatus ab hac Apostolica Sede eligendo omnes et singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eadem auctoritate nostra concedimus et impertimur.

§ 3. Haec volumus, statuimus, atque mandamus, decernentes has praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et in futurum spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari ac inviolabiliter observari; sicque

in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari: non obstantibus nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis, ceterisque etiam speciali et expressâ mentione et derogatione dignis in contrarium quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXIII. augusti MDCCCXLII., pontific. nostri anno XII.

CCXIII.

Coadiutorem Vicarium Apostolicum Oceaniae Centralis instituit.

Dilecto filio Guillelmo Dusarre presbytero Lugdunensis Societatis sub titulo B. M. V.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum novus ac distinctus alter vicariatus apostolicus Centralis Oceaniae in parte occidentali pro maiore spirituali illorum catholicorum utilitate per similes nostras apostolicas litteras hodierno die datas, a nobis fuerit erectus, atque ipsius vicariatus regimen dilecto filio Petro Bataillon presbytero eiusdem tuae Societatis tanti sane nominis claro cum charactere et titulo episcopali in partibus infidelium fuerit demandatum, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio in eam sententiam devenimus, ut ipsi Vicario Apostolico, habita ratione locorum distantiae, commercii aliarumque difficultatum, aliquem idoneum ecclesiasticum virum in auxilium daremus.

§ 2. Quamobrem probe noscentes te egregiis animi ingeniique dotibus, morum gravitate, vitae religione, pietate, prudentia, integritate praestare, hoc munus tibi committendum censuimus. Itaque te quem per similes alias apostolicas litteras hoc ipso die datas Episcopum Amatensem in partibus infidelium renuntiavimus, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce litteris auctoritate nostra apostolica in coadiutorem novi electi Centralis vicariatus Antistitis eligimus et constituimus, tibique concedimus et indulgemus ut illi in pastorali munere obeundo opitulari possis et auxilium praesidiumque afferre valeas, ita tamen ut in hoc officio exercendo ea tantum peragas quae idem Petrus tibi committenda censuerit. Praeterea tibi facultatem tribuimus ut, postquam episcopalem consecrationem in Galliis acceperis, Missionem petens, coadiutorem tuum in Episcopum rite consecrare possis. Non obstantibus etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat., die XXIII. augusti MDCCCXLII., pontific. nostri anno XII.

CCXIV.

Novum vic. ap. Centrale nuncupatum, confectum ex terris disiunctis a vic. ap. Oceaniae Occidentalis, curae committit Petri Bataillon (1).

Dilecto filio Petro Bataillon presbytero Lugdunensis Societatis sub titulo B. M. V.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum gravissimis ex causis, atque allatis maximi momenti rationibus, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio per similes apstolicas literas hodierno die datas novum atque distinctum vicariatum apostolicum Centralem Oceaniae in parte occidentali pro maiore spirituali illorum Christifidelium utilitate erigendum censuerimus iis circumscriptum limitibus qui iisdem in litteris describuntur, atque idcirco aliquis ecclesiasticus

---

(1) Eadem die Petrum Bataillon Episcopum nominavit ecclesiâe Aenen., quae sub Archiepiscopo Traianopolitano in part. infidelium existit, per lit. *Apostolatus officium*.

vir episcopali charactere et titulo insignitus eidem vicariatui sit praeficiendus. Nos huiusmodi munus alacri libentique animo tibi committendum existimavimus, qui singulari pietate, doctrina, prudentia, integritate et evangelicis laboribus in iisdem regionibus exantlatis et catholicae fidei propagandae studio summopere praestas. Quamobrem te, quem per alias similes apostolicas litteras hoc ipso die editas Episcopum Aenen. in partibus infidelium renuntiavimus, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, in Vicarium Apostolicum novi vicariatus Centralis Oceaniae in parte occidentali, auctoritate nostra apostolica hisce litteris eligimus, constituimus et deputamus cum omnibus et singulis quibuscumque facultatibus, quae huiusmodi propriae sunt muneris, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Mandamus proinde omnibus et singulis ad quos spectat, ut te in Vicarium Apostolicum huiusmodi recipiant et admittant, tibique faveant, pareant, ac praesto sint, tuaque mandata efficaciter adimpleant, secus sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXIII. augusti MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXV.

Guillelmum Donarre coadiutorem novi electi Petri Bataillon vic. ap. Centralis vicariatus Oceaniae, eligit (1).

Dilecto filio Guillelmo Donarre presbytero Lugdunen. Societatis sub titulo B. M. V.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum novus ac distinctus alter vicariatus apostolicus Centralis Oceaniae in parte Occidentali pro maiore spirituali illorum catholicorum utilitate per similes nostras apostolicas litteras hodierno die datas, a nobis fuerit erectus, atque ipsius Vicariatus regimen dilecto filio Petro Bataillon presbytero eiusdem tuae societatis tanti sane nominis claro cum charactere et titulo episcopali in partibus fuerit demandatum, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio in eam sententiam devenimus, ut ipsi Vicario Apostolico, habita ratione locorum distantiae, commercii aliarumque difficultatum, aliquem idoneum ecclesiasticum virum in auxilium daremus.

§ 2. Quamobrem probe noscentes te egregiis animi ingeniique dotibus, morum gravitate, integritate vitae, religione, pietate, prudentia, praestare, huiusmodi munus tibi committendum censuimus. Itaque te, quem per similes alias apostolicas litteras hoc ipso die datas Episcopum Amaten. in partibus infidelium renuntiavimus, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce litteris auctoritate nostra apostolica in coadiutorem novi electi Centralis vicariatus Antistitis eligimus et constituimus. Tibique concedimus et indulgemus, ut illi in pastorali munere obeundo opitulari possis, et auxilium praesidiumque afferre valeas, ita tamen ut in hoc officio exercendo ea tantum peragas, quae idem Petrus tibi committenda censuerit.

§ 3. Praeterea tibi facultatatem tribuimus, ut postquam episcopalem consecrationem in Galliis acceperis, missionem petens, coadiutum tuum in Episcopum rite consecrare possis.

(1) Per literas *Apostolatus officium* eiusdem diei nomivavit Guillelmum ep. ecclesiae Amaten. subiec. Patriarchae Hierosolymitano in part. infidelium.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXIII. augusti MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXVI.

Visitatorem Apostolicum in Archidioecesi Antibarensi, iuxta modum, eligit (1).

Venerabili fratri Raphaëli Barissich Episcopo Azotensi Vicario Apostolico Provinciae Bosnae Argentino Othomanae,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. De universi dominici gregis salute vehementer solliciti ea omnia peragenda curamus, quae ad spiritualem eorum utilitatem pertinere videntur. Itaque cum noscamus talia nunc in Archidioecesi Antibarensi rerum esse adiuncta, ut peculiarem huius Apostolicae Sedis sollicitudinem requirant, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, aliquem praeclarum virum eidem Archidioecesi Antibarensi praeficiendum duximus, qui inibi visitatoris apostolici munere fungatur, atque huiusmodi officium de eorumdem VV. FF. consilio tibi committendo censuimus. Quamobrem te, venerabilis frater, peculiari benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tamen rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce litteris auctoritate nostra apostolica, ad nostrum et huius Apostolicae Sedis arbitrium, te in Visitatorem Apostolicum in commemoratae Archidioecesis Antibarensis eligimus, constituimus et deputamus, tibique plenam potestatem tribuimus regendi et gubernandi praefatam Antibarensem Archidioecesim cum omnibus et singulis facultatibus, quibus antea illius Archiepiscopus fruebatur, qui suspensus interim remaneat ab exercitio potestatis tum ordinis, tum iurisdictionis in ea Archidioecesi, amoto insuper Vicario Apostolico Antonio a Boscomare, cui praefata Archidiocesis regenda tradita fuerat, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis earumdem Cardinalium.

§ 2. Mandamus proinde omnibus et singulis ad quos spectat, ut te in Visitatorem Apostolicum huiusmodi recipiant et admittant, tibique faveant, pareant ac praesto sint, tuaque mandata efficaciter adimpleant, secus sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXV. aug. MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXVII.

Trium congregationum monachorum Basilian. Melchitarum in monte Libano, iuxta modum, visitat. apostol. decernit (2).

Ven. fratri Francisco Villardel Archiepiscopo Philippensi, ac Delegato Apostolico in Monte Libano,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum ex recta religiosarum familiarum disciplina in christianam et civilem rempublicam maxima bona redundent, tum omni quidem vigilantia et studio ea peragenda curamus, quae ad earumdem familiarum bonum pertinere cognoscimus. Itaque cum occasione controversiae

(1) Ex Reg. Brevium vol. V., pag. 82.
(2) Ex Reg. Brevium vol. V., pag. 93. — De his monachis vide Ben. XIV. *Opinionem — Super familiam — Inter plures.*

circa validitatem postremi capituli generalis inter Monachos Basilianos Melchitas S. Ioannis in Soairo exortae, noverimus tum in praefato, tum in aliis eiusdem nationis Regularibus Institutis a S. Basilio pariter nuncupatis, Alepinorum nimirum et SSmi Salvatoris, nonnullos invaluisse abusus, qui peculiarem huius Apostolicae Sedis providentiam exposcunt, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, aliquem praestantem ecclesiasticum virum earum Congregationum apostolicum visitatorem eligendum censuimus. Atque huiusmodi munus de eorumdem ven. FF. NN. sententia tibi committendum existimavimus, qui integritate, prudentia, religione, pietate, consilio ac rerum gerendarum peritia summopere es commendatus.

§ 2. Itaque peculiari te benevolentia complecti volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, te hisce litteris auctoritate nostra apostolica, ad nostrum et huius Apostolicae Sedis arbitrium, Visitatorem apostolicum trium commemoratarum Congregationum Monachorum Basilianorum Melchitarum, nempe S. Ioannis in Soairo, Alepinorum, et SSmi Salvatoris, eligimus, constituimus et deputamus cum facultate assumendi duos convisitatores sive charactere episcopali insignitos, sive non, ac deputandi Praesidem provisorie pro interino regimine; tibique omnes alias facultates necessarias atque opportunas tribuimus ad normam instructionis tibi ab eadem Congregatione de Propaganda Fide tradendae tum pro regimine corrigendo ac reformando earum trium congregationum, tum pro cognoscenda validitate capituli generalis iam initi a Monachis S. Ioannis in Soairo.

§ 3. Mandamus proinde omnibus et singulis ad quos spectat seu spectabit, ut te ad officium visitatoris apostolici memoratarum congregationum recipiant et admittant, tibique pareant ac praesto sint, secus sententiam seu poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque ac synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. augusti MDCCCXLII., pontif. nostri anno XII.

CCXVIII.

Hollandicam Missionem de Curaçao in Americâ Meridionali in vicariatum apostolicum erigit.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Apostolici ministerii munus supernâ Dei providentiâ nobis impositum atque commissum postulat, ut omni quidem studio et curâ ea peragere non omittamus, quae ad Catholicae Religionis incrementum ac spiritualem Christifidelium utilitatem pertinere perspicimus.

§ 1. Itaque cum non mediocri paterni animi nostri laetitiâ noverimus Hollandicae missionis de Curaçao in Americâ Meridionali statum, benedicente Domino, ita florere, ut opportunum vel maxime sit missionem ipsam in apostolicum vicariatum erigi, eique Antistitem charactere episcopali insignitum praefici, nos maiori illorum Christifidelium spirituali utilitate prospicere, ac rei catholicae incremento atque splendori consulere vehementer cupientes, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, inibi peculiarem Vicariatum Apostolicum erigendum censuimus.

§ 2. Motu igitur proprio ac certâ scientia et maturâ deliberatione, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, hisce literis Hollandicam missionem de Curaçao in Americâ Meridionali in peculiarem vicariatum apostolicum erigimus et constituimus, et in eo Vicarium Apostolicum charactere episcopali exornatum esse debere decernimus, qui eiusdem missionis regimini praesit. Ipsi autem Vicario Apostolico, ab hac Sede eligendo, omnes ac singulas facultates Vicariis Apostolicis concedi solitas eadem auctoritate nostrâ concedimus et impertimur.

§ 3. Haec volumus, statuimus atque mandamus decernentes has praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et spectabit in futurum plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XX. semptem. MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXIX.

Sedem Episcopalem, quam anno praeterito erexerat in provincià Occidentali Canadae superioris, in urbe Toronta figendam esse statuit, et graphice determinat huius dioecesis fines.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum per similes nostras apostolicas literas die XVII. decembris anno MDCCCXLI. (1) datas occidentalem superioris Canadae regionem in dioecesim seu episcopatum peculiarem a dioecesi Regipolitanâ distinctum instituerimus, ven. fratri Michaëli Prower novae dioecesis Episcopo facultatem tribuimus statuendi in qua civitate dioecesis sedes esset constituenda: ad huiusmodi autem negotium absolvendum idem ven. frater nobis exponendum curavit, assentientibus iam venn. fratribus Episcopis Regipolitano, Marianopolitano et Sydensi Quebecensis Archiepiscopi Coadiutore, episcopalem sedem in civitate Torontinâ *(Toronto)* constitui posse; consentiente vero ac probante ven. fratre Episcopo Regipolitano seu Kingstoniensi, novae dioecesis limites incipere debere ad orientem a Lacu Ontario per lineam separantem districtum Neocastrensem *(New Castle)* in dioecesi Regipolitanâ a districtu *Stome* in dioecesi Torontinâ, continuatamque in eâdem directione usque ad lacum Muskago, et hinc versus septemtrionalem, vel strictius Nord-est, per alveos vel media lacuum et amnium Moon Muskogo: deinde per ramum occidentalem duorum fluminum, vulgo *deux rivières,* usque ad magnum fluvium Ottawensem seu *Ottawa.* Itaque a nobis idem ven. frater petiit, ut haec omnia auctoritate nostrâ apostolicâ approbare et confirmare velimus.

§ 2. Nos vero de venn.fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio rem ipsam suprema nostrâ auctoritate sancire decrevimus. Quamobrem hisce literis auctoritate nostrâ apostolica novae dioecesis in occidentali superioris Canadae regione institutae episcopalem sedem in civitate Torontina, *Toronto,* constituimus, ac eiusdem novae dioecesis limites incipere debere decernimus ad Orientem a lacu Ontario per lineam separantem districtum Neocastrensem, *New Castle,* in dioecesi Regipolitanâ a districtu *Home* in dioecesi Torontinâ, continuatamque in eâdem directione usque ad lacum Muskogo, et hinc versus septemtrionem vel strictius Nord-est, per alveos, vel media lacuum, et amnium Moon Muskogo; deinde per ramum occidentalem duorum fluviorum, vulgo *deux rivières,* usque ad magnum fluvium Ottawensem, seu *Ottawa.*

§ 3. Haec volumus, statuimus, atque mandamus decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostrâ et cancellariae apostolicaede regulâ iure quaesito non tollendo aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis edi-

(1) Vide supra *Inter multiplices.*

tis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die xx. sept. MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXX.

In America Septemtrionali dividit a dioecesi Carolipolitanâ novam Brunopolim seu Brunswik, eamque in proprie dictam dioecesim a Carolinopolitanâ distinctam constituit.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Dominici gregis cura nobis divinitus commissa postulat, ut omni quidem vigilantiâ et studio Christifidelium bono consulamus, quod ad maiorem eorum spiritualem utilitatem procurandam pertinere posse cognoscimus.

§ 1. Non mediocri certe paterni animi nostri voluptate gravibus ex testimoniis accepimus in vastissimâ Americae Septentrionalis Anglicanâ coloniâ Novae Brunopolis seu Novi Brunswikii, benedicente Domino, valde copiosum nunc esse catholicorum numerum, ibique simul magnam ad religionis incrementum suscipiendum propensionem, ac satis abundantes praesto esse reditus seu proventus temporales, quibus honestae Episcopi conservationi prospici possit. Itaque cum ven. frater Bernardus Donaldus (Mac-Donald) Episcopus Carolinopolitanus, in cuius dioecesi Nova Brunopolis hactenus comprehensa est, iurisdictionem in eam regionem totam sponte dimiserit, ac nobis exponendum curaverit religioni plurimum utile futurum esse, Novam ipsam Brunopolim in dioecesim proprie dictam erigi, nos de venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, ad catholicae religionis bonum procurandum inibi novam dioecesim erigendam esse existimavimus.

§ 2. Quamobrem motu proprio atque certâ scientiâ, maturâ deliberatione, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, Novam Brunopolim hisce literis ab iurisdictione ven. fratris Episcopi Carolinopolitani penitus auferentes, in peculiarem, distinctam ac proprie dictam dioecesim erigimus, atque in eâ proprium Episcopum constituimus. Ipsi autem Episcopo, ab hac Apostolicâ Sede eligendo, omnes et singulas facultates, quae propriae huius sunt muneris, damus et largimur.

§ 3. Haec volumus, statuimus atque mandamus decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et afficaces existere et fore, suosque plenarios et integro effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die xxx. sept. MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXXI.

Novum instituit Vicariatum Apostolicum qui Guineam superiorem atque inferiorem, et regionem Sierra Leone, *complectatur.*

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

De universi dominici gregis salute nobis divinitus commissâ vehementer soliciti, ea omnia singulari studio peragenda curamus, quae ad Catholicae Religionis incrementum ac maiorem Christifidelium utilitatem pertinere posse cognoscimus.

§ 1. Cum igitur ad Catholicam Religionem in Guineâ superiori et inferiori, atque in totâ regione, quae *Sierra Leone* dicitur, statuendam, confirmandam ac propagandam opportunum in primis esse duxerimus Vicariatum Apostolicum constituere, qui vastissimos illos regionum tractus comprehendat, de VV. FF. etc. consilio, huiusmodi Vicariatum statuendum

esse existimavimus, illique Vicarium Apostolicum charactere episcopali insignitum praeficiendum esse censuimus.

§ 2. Motu igitur proprio, certâ scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine hisce literis in Guineâ superiori et inferiori, atque in totâ regione, quae *Sierra Leone* dicitur, proprium ac peculiarem Vicariatum Apostolicum, qui vastissimos illos regionum tractus comprehendat, erigimus et constituimus. Ipsi autem Vicario ab hac Apostolicâ Sede eligendo omnes ac singulas facultates huiusmodi Vicariis Apostolicis concedi solitas eâdem auctoritate nostrâ concedimus et impertimur.

§ 3. Haec volumus, statuimus, atque mandamus decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die III. octobris MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXXII.

Rectori Piae Cathecumenorum Domus Urbis parochialem iurisdictionem concedit super ibi morantes et domicilium habentes (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Piae domus cathecumenorum laudes.

§ 1. Plurima inter et maxima christianae caritatis instituta, et clarissima Catholicae Religionis monumenta, quibus communi omnium cuiusque aetatis sexus et conditionis haec Alma nostra Urbs Roma copiose abundat et mirifice splendet, praecipuum certe locum obtinet Pia Cathecumenorum Domus ad parochialem Aedem Mariae Sanctae in regione Montana Vico Suburra sita. Etenim ibi omnes omnium gentium ac nationum, qui de errorum tenebris emergere et christianam professionem amplecti exoptant, peramanter excepti, ac singulari cura, diligentia, contentione sanctissimis fidei rudimentis imbuti, praeceptionibus eruditi, quibusque adiuvantur praesidiis, ut, omni mentis dispulsa caligine, ad pietatem, virtutem, honestatem, et catholicae religionis disciplinam rite instituantur atque informentur. Quod quidem tam salutare tamque frugiferum opus Romani Pontifices decessores nostri merito atque optimo iure summa benevolentia prosequuti, pluribus privilegiis ditarunt, ac nullis umquam curis sibi parcendum esse duxerunt, ne quid detrimenti caperet, atque omnibus consiliis et studiis maiori ipsius instituti bono atque utilitati quam diligentissime consulendum esse existimarunt.

Votum visitatorum Card exponit.

§ 2. Hac sane mente, cum idem institutum nobis vel maxime cordi sit, ad illius prosperitatem magis magisque procurandam, illustribus praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, per similes nostras apostolicas litteras die XII. febr. superiori anno datas apostolicam visitationem ex tribus S. R. E. Cardinalibus conflatam in Pia illa Domo instituendam censuimus, ut ipsi pro eximia eorum sapientia, prudentia, consilio provide diligenterque ea peragenda curarent, quae tum spiritualibus, tum temporariis eiusdem Piae Domus rebus atque rationibus magis consentanea atque accommodata esse perspicerent. Iam vero cum ipsi nobis exponendum curaverint, opportunum omnino esse aliquas facultates illius Piae Domus Rectori tribui, quo facilius spirituali Cathecumenorum bono consulatur, omnisque controversia penitus tollatur, quae inter Rectorem ipsum et commemoratae paroeciae Vicarium curatum in sacramentorum praesertim administratione aliisque sacris functionibus posset oriri, nos rebus omnibus maturo examine perpensis, huiusmodi postulationibus alacri libentique animo annuendum existimavimus.

(1) Ex Tabul. S. Cong. de Prop. Fide.

Cardinalium postulationi libenter annuit et parochiales facultates rectori piae domus concedit.

§ 3. Itaque omnes et singulos quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, hisce litteris Piae Catechumenorum Domus in tempore Rectori perpetuum in modum omnimodam parochialem iurisdictionem tribuimus erga illos omnes tantum exercendam, qui intra eamdem Piam Domum morantur vel domicilium habent. Quam ob rem ipsius Piae Domus pro tempore Rectori facultates perpetuo facimus, ut ipse pueris cathecumenis et Neophytorum filiis Baptismi Sacramentum conferre, ac intra eamdem Piam Domum degentibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum paschali etiam tempore in ecclesiastici praecepti satisfactionem impertiri, illorum matrimoniorum celebrationi veluti proprius parochus assistere, ipsius Piae Domus benedictionem in Sabbato Sancto agere, atque aegrotantibus Sanctissimum Christi Corpus ad aeternitatem Viaticum dare, eosque sacro exeuntium oleo inungere libere, licite ac valide possit et debeat. Non dubitamus profecto quin ipse Piae Domus in tempore Rector hisce munitus facultatibus omnia eo, quo par est, decore et cultu ex Ecclesiae praescripto peragere diligenter studeat. Quod autem ad funera pertinet, volumus, ut quoties aliquis intra eamdem Piam Domum degens ex hac vita migraverit, illius cadaver ipse Rector intus eamdem Domum ex more efferat, seu associet usque ad ecclesiam, vel si ita magis placuerit supremis Piae Domus moderatoribus usque ad limen externae portae, atque ibi illud Vicarius Curatus excipiat, in parochialem ecclesiam deferat, et exequias ex more agat.

Decretum irritans et clausulae.

§ 4. Haec volumus, statuimus, praecipimus atque mandamus decernentes has praesentes literas, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et pro tempore spectabit, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari ac definiri, debere irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus, quoties opus fuerit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac rec. me. Benedicti XIV. praedecessoris nostri super Div. Mat. aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non eiusdem Piae Domus et commemoratae paroeciae etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene ac sufficienter expressis deque verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque omnibus etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XIX. novem. MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXXIII.

Abbati generali FF. Armenorum Ordinis S. Antonii gratulatur de eius confirmatione in abbatia a Cap. Gen. Ordinis statuta.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ex litteris tuis sub die XXIV. augusti ad nos datis cognovimus ea quae nobis grata admodum acciderunt, te scilicet in postremo capitulo generalem tui Ordinis Abbatem fuisse confirmatum ac dilectos filios Nicolaum Gagoriean ac Narses Toja-

(1) Ex Reg. Brevium vol. V., pag. 112.

gian Ordinis definitores electos esse. Porro ratum nobis certumque est, quod ex tua integritate, prudentia ac religionis amplificandae studio, non ii tantum, quibus praees, regulares, sed et ipsa Catholicà Ecclesia magnum percipiet emolumentum. Etenim, praeterquam quod de tua virtute ac pietate minime dubitemus, probe novimus singularem tuam erga Sanctam hanc Sedem devotionem ac reverentiam, cuius quidem novum habuimus indicium, quod tu, missis ad nos data opera literis tuis, nos tamquam Dei Vicarios in terris B. Petri Apostolorum Principis, in capite universalis per totum terrarum orbem Ecclesiae divina providentia licet imparibus meritis constitutos, quemadmodum decet, venerari volueris, ac nobis tui confirmationem in munere generalis Abbatis haud ulla interiecta mora nuntiaveris. Quapropter, dilecte fili, de peculiari tua erga Petri cathedram observantia te summopere commendamus hortamurque in Domino, ut quae hactenus pro catholica religione recte admodum praestitisti, ea in posterum Spiritu Sancto cooperante geras alacrius atque perficias. P. Arsenio Angiara-Kian Procuratori tuo Generali Armenorum Collegio apud nos constituto, P. Ioanni Bapt. Gagonian monasterii huius Abbati tuisque omnibus tum pro paterna qua eos complectimur benevolentia, cum etiam in tui gratiam ea semper libentissime tribuemus, quae a nobis salva Romanae Ecclesiae maiestate expetere poterunt. Interim vero tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die IV. decembris MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXXIV.

Respondet Abbati generali Congregationis Anglo-Benedictinae sibi Capituli generalis celebrationem ac simul Monachorum studium erga Sedem Apostolicam et regularem observantiam significanti.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem,

Accepimus literas tuas nomine totius Congregationis Anglicanae Ordinis S. Benedicti ad nos datas sub die IV. octobris labentis anni, eisque perlectis non levem animo concepimus laetitiam, tum ob praefatam caritatem, quam inter eiusdem Congregationis patres in generalis capituli celebratione viguisse cognovimus, cum etiam ob eorum regularis observantiae studium, quam ipsis maxime cordi esse deprehendimus. Verum illud nobis gratissimum fuit, quod eadem Congregatio statim ac habitum est generale capitulum, nos, meritis licet imparibus, ad supremum Apostolatus fastigium erectos, de illius celebratione certiores effecerit, suamque in S. hanc Sedem observantiam ac reverentiam significaverit. Quod quidem etsi nobis iucundissimum, non tamen novum accidit aut inexpectatum. Neque enim, dilecte fili, praeterire nos poterat, quantâ semper devotione et obsequio inclytus Ordo tuus Apostolicam Petri Sedem sit prosecutus, quantâque religione eiusdem filii omnium Ecclesiarum matri atque capiti quovis tempore adhaerere studuerint. Id vero cum omnium eiusdem Ordinis Congregationum, tum etiam Anglicanae ornamentum esse praeclarissimum, cui quidem tanta nunc temporis religionis ac pietatis accessit laus, ut complures eiusdem alumni digni inventi sint, qui ad summum sacerdotii honorem veherentur. Tibi itaque, dilecte fili, tuisque omnibus de his etiam atque etiam gratulamur in Domino, hortamurque vehementer, ut quas hactenus tantâ Dei cum gloriâ atque Ecclesiae emolumento virtutes coluistis, eas in posterum alacriori animo perficiatis, quo scilicet, si forte Dominus in tantâ messis copiâ atque operariorum penuriâ vos in vineam suam mittere decernat ad maiores subeundos labores, aptos vosmetipsos atque idoneos ad uberes percipiendos fructus exhibeatis. Interim vero, dilecte fili, tibi ac tuae Congregationis alumnis omnibus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XI. decembris MDCCCXLII., pontificatus nostri anno XII.

CCXXV.

Administratorem apost. dioecesis Nanchinensis consolatur ob aerumnas quas ipse patitur; eumque monet per s. Congr. cogniturum quid ab ipso agendum quoad sacerdotes et Societatem Iesu.

Ven. fr. Ludovico Canopensi administr. ap. dioecesis Nankinensis Vicario Ap. in provincia Xan-tung,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex literis fraternitatis tuae sub die XIII. augusti ad nos datis novimus quae et quanta dilecti filii nostri Sinenses fideles in regionibus istis degentes cogantur sustinere, ac quibus psaesertim aerumnis fraternitas tua, cui munus istius regendae ecclesiae divinitus est demandatum, pro nomine Iesu afficiatur. Haec quidem, ven. frater, quantae nobis tristitiae sint facile perspicis, cum nihil unquam vehementius exoptemus, quam ut tristissimae calamitates, quibus Sinensis Ecclesia iamdiu divexatur, ab eâ tandem aliquando removeatur. Verum licet et nos consolatione indigeamus, quod in supremo Apostolatus culmine constituti omnia simul Ecclesiae mala, quotidie magis adversus illam ingruentia, veluti uno oculi ictu dolentes adspectamus, attamen pro peculiari, qua te in Domino prosequimur, dilectione praetermittere non possumus, quin de praesentissimo Dei subsidio confidentes virtutem tuam animique constantiam magis ac magis ad ardua quaeque propter amorem Iesu Christi alacriter perpetienda excitemus. Ne te perturbent, ven. frater, quae super caput tuum ab hoste humani generis glomerantur tempostates, quandoquidem illi nulla in te sit potestas, nisi quae eidem desuper non in destructionem at in aedificationem Ecclesiae tribuetur. Eâdem, qua Apostoli, vocatus es vocatione; eorum itaque recorderis qui, velut agni in medio luporum missi, tantâ ex alto virtute induti sunt, ut idololatriae caliginem in universo terrarum orbe disiecerint, gentesque omnes, quae sedebant in tenebris et in umbrâ mortis, divinâ Evangelii luce illustraverint. Quereris, ven. frater, quod pauci admodum istic sint Christifideles; verum ea spes tibi solatio sit, unde magnam nos capimus consolationem, futurum videlicet ut Deus ille, qui potens est de lapidibus ipsis filios Abraham suscitare, pro sui misericordiâ praestet aliquando, ut a terrâ istâ tot martyrum sanguine foecundatâ, uberes tandem christianae fidei fructus educantur. Quantum vero attinet ad ea quae sacerdotes missionis attingunt, nec non Societatem Iesu, quam in regiones istas Congregatio Fidei Propagandae, et fraternitate tuâ et Nankini fidelibus exposcentibus, misit, ab eâdem Congregatione quid tibi agendum sit deprehendes. Interim vero tibi, ven. frater, et fidelibus tuis omnibus, quos paternâ caritate complectimur, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die I. ianuarii MDCCCXLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CCXXVI.

Electionem seu postulationem Michaelis Der-Asdnazarian Archiepiscopi Cesareae in Patriarcham Ciliciae confirmat (1).

Venerabili fratri Michaeli Der-Asdnazarian nuper Archiepiscopo Cesareae in Patriarcham Ciliciae Armenorum electo,

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem pastor ille coelestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis praetulit

(1) Confirmatio absoluta fuit in Consistorio sequentis anni MDCCCXLIV., die XXV. ianuar. in quo seq. habuit Pontifex allocutionem.

ALLOCUTIO

Venerabiles fratres

Successione Patriarcharum non interrupta, perstat patriarchatus catholicus Ciliciensis iam inde, uti notum est, a pontificatu S. M. Benedicti quartidecimi, a quo in Consistorio habito die XXVI. novembris anno MDCCXLII., Abrahamus Petrus Primus sedis illius Patriarcha renunciatus est. Sex post illum Patriarchae numerantur, omnes munere dignitatis suae cum laude perfuncti, quorum postremus Holas, nominatus Petrus Septimus biennio ab electione nondum absoluto, morte interceptus est in Sede sua Montis Libani, die sexto februarii anno MDCCCXLIII. Supremis defuncto persolutis, cum facultas fuisset absentibus Episcopis in Montem Libanum conveniendi, tandem actum est de successore illi substituendo die septima iulii in mansione ipsa patriarchali Bsommarensi. Aderant simul Michael Der-Asdvazadurian Archiepiscopus Caesareensis idem Vicarius Patriarchalis Tokatensis, Stepha-

universis, sollicitudo requirit ut circa cuiuslibet ecclesiae statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter quod per eius providentiam circumspectam, tunc per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis, accommode prout personarum locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ecclesiamque sibi traditam non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis.

Sane patriarchali ecclesia Ciliciae Armenorum, cui bo. me. Iacobus Petrus denominatus Septimus ultimus illius Patriarcha dum viveret praesidebat, per obitum dicti Iacobi Petri Patriarchae, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem ipsius patriarchalis ecclesiae paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo huic ecclesiae patriarchali personam utilem ac etiam fructuosam cum vener. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem. Demum ad te nuper Archiepiscopum Cesareae, quem venerabiles etiam fratres nostri Episcopi catholici nationis Ciliciae Armenorum ad patriarchalem ecclesiam huiusmodi pro illius Patriarcha elegerunt seu postularunt, *quique fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica Orientalibus praescriptam expresse professus fuisti,* consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor Altissimus multipliciter insignivit, et attendentes quod tu, qui ad archiepiscopalem ecclesiam Cesa-

---

nus Holas Episcopus Adanae, Ignatius Kalepscian Episcopus Amasiensis, et Petrus Abelian Episcopus Marasensis. Praescriptis caeremoniis ante peractis, ordine accuratissime servato, electus est Patriarcha Michael Der-Asdvazadurian Archiepiscopus Caesareensis. Alienum se primo praebuit ab honore accipiendo, sed tamen instantibus qui aderant Episcopis, et ipsi per litteras suffragantibus etiam Episcopis Aleppensi et Mardiensi, qui convenire ad electionem nequiverant, cessit voluntati eorum. Solemnis de more confectus est actus, consuetae praestitae sunt caeremoniae, nomenque sibi electus assumpsit Gregorium Petrum Octavum.

Omnia autem ad normam legum rituumque sacrorum in eo eligendo fuisse peracta, testimonio suo confirmat Delegatus Apostolicus Montis Libani Franciscus Villardell Archiepiscopns Philippensis, idemque eum declarat morum vitaeque bonitate spectabilem, Ecclesiae catholicae Sanctaeque Sedi apprime deditum ac devotum, fidei vero catholicae propagandae studio incensum singulari. Talem scilicet assidue se praebuit dum catholicae Tokati praefuit ecclesiae, adeo ut sperandum iure sit eius provectionem nationi Armenorum universae esse valde profuturam.

Iam vero tum electus ipse Patriarcha, tum qui eum elegerunt Episcopi, nulla interposita mora, obsequentissimas ad nos dederunt litteras, quibus de peracta electione ad nos referunt, petuntque, ut eam auctoritate nostra confirmemus.

At cum electus longum iter ac difficile nequeat suscipere, ut, quod vehementer optaret, in Almam Urbem se conferat, item per litteras nos orat, ut honorem sibi Sacri Pallii deferamus: iamque emissae a se, ad normam formulae ab Urbano VIII. praescriptae, fidei catholicae professionis solemnis authenticum ad nos misit documentum.

Quae cum ita sint, S. Congregatio Propagandae Fidei, re considerata et sedulo perpensa, preces nobis exhibendas decrevit, ut auctoritate nostra Michaelem Der-Asdvazadurian Archiepiscopum Caesareae, cui, nomine de more assumpto, Gregorius Petrus Octavus placuit nuncupari, in Patriarcham confirmemus Armenorum Ciliciae, et Sacri Pallii ornamento decoremus. Nos igitur iudicavimus eiusdem Congregationis precibus annuere.

Quid vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac nostra confirmamus et approbamus electionem, seu postulationem, in Patriarcham Ciliciae Armenorum rite factam de persona praedicti Archiepiscopi Michaelis Der-Asdvazadurian, nunc Gregorii Petri, quem absolvimus a vinculo, quo tenebatur, Ecclesiae Archiepiscopalis Caesareensis, et transferimus ad patriarchalem praefatam Ecclesiam, praeficientes eum in Patriarcham et Pastorem eius nationis, prout in decreto et schedula consistoriali exprimetur.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Absoluto vero Consistorio, Sacerdos Ioannes Topus Patriarchae procurator sic Pontifici gratias egit.

Beatissime Pater

Cilica patriarchalis Ecclesia, Beatissime Pater, Armenorum catholicorum, quae Patriarchae sui obitu viduata squalens ac perturbata remanserat, hodie iucunditatis stolam iterum induit, maximaque laetitia perfunditur, quod electionem praestantissimi viri domini Gregorii Der-Asdvazadurian communi Episcoporum consensione nuper factam, in Patriarcham apostolica tua auctoritate confirmare dignatus sis, eumque Sacri Pallii de divi Petri corpore sumpti, in quo plenitudo potestatis pastoralis est, ornamento hodierna die decorare.

Quamobrem pro tanto hoc collato beneficio, tum ipsius Patriarchae, tum etiam totius nationis nomine, immortales Beatitudini tuae ago gratias, illud quoque simul certo testatum volo, preclaris illum ornamentis istis et benevola pontificia voluntate devinctum, in gratissimi sui animi luculentius argumentum promittere cum hac Sancta Romanaque Ecclesia matre ac magistra omnium Ecclesiarum, cum qua propter principatum omnes consentire Ecclesias necesse est, firmissime se ad mortem usque communione adhaesurum.

Atque tibi, Beatissime Pater, in quo Petrus intelligatur et honeretur, cuius dignitas in Optimo Herede non deficit, per me promittit obedientiam, honorem et reverentiam, nihilque ipsi sanctius futurum, quam omnia sive iussa, sive monita Sanctitatis Tuae, tamquam ab ipso Petri ore manantia, excipere ac venerari.

Clementiam Tuam denique oro atque obsecro, ut digneris Patriarcham ipsum ac gentem ei subditam apostolicae benedictionis beneficio recreare.

ream viginti duobus circiter ab hinc annis evectus munus consecrationis suscepisti, pontificalia exercuisti, ordinationes habuisti, Confirmationis Sacramentum administrasti, animarum salutem multo zelo et caritate procurasti, atque in reliquis ita te bene gessisti, ut praedictae patriarchali ecclesiae praefici dignus censearis ipsamque patriarchalem ecclesiam scies voles et poteris auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis.

Intendentes igitur tum patriarchali ecclesiae Ciliciae Armenorum, tum eius gregi dominico salubriter providere, ac te a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat ut translatio et provisio ac praefectio per nos ut infra faciendae praesentesque litterae suum debite sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, atque eiusmodi electionem seu postulationem de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate approbantes et confirmantes, omnesque ac singulos etiam substantiales defectus, siqui in electione seu postulatione huiusmodi quomodolibet intervenerint, quatenus opus sit, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, iuxta decretum a Congregatione eorumdem fratrum nostrorum praefatae S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per nos etiam approbatum, te licet absentem a vinculo quo tenebaris dictae archiepiscopali ecclesiae Cesareae, cui hactenus praefuisti, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum de consilio et apostolicae potestatis plenitudine similibus transferimus, teque illi in Patriarcham praeficimus et pastorem, curam regimen et administrationem eiusdem patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad patriarchalem ecclesiam huiusmodi transeundi licentiam tribuendo in illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, patriarchalis ecclesia Ciliciae Armenorum sub tuo felici gubernio regetur utiliter ac prospere dirigetur atque grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum cum gratia nostrae benedictionis accedens curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant, ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur ipsaque patriarchalis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Nec non venerabilibus fratribus nostris suffraganeis orthodoxis ac dilectis filiis vassallis ipsius patriarchalis ecclesiae ac clero et populo eidem patriarchali ecclesiae subiectis per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tamquam membra capiti obsequentes tibi exhibeant obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod mutua inter te et ipsos gratia gratos sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare; clerus autem te pro nostra et eiusdem Apostolicae Sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tanquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te perconsequens patrem benevolum invenisse gaudeatis; vassalli praeterea praedicti te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam tu rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Volumus autem quod tu, antequam regimini et administrationi ipsius patriarchalis ecclesiae te in aliquo immisceas, in manibus duorum pariter fratrum nostrorum Archiepiscoporum vel Episcoporum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentium et in hisce partibus degentium seu alterius eorum fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta formam presentibus adnotatam et sic a te

praestiti iuramenti formam ad eamdem Congregationem de Propaganda fide de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium Nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis, quibus et eorum cuilibet per easdem praesentes pariter mandamus ut ipsi vel eorum alter a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum huiusmodi iuxta eamdem formam recipiant seu recipiat.

Forma autem iuramenti quod praestabis haec est: - Ego Michael Der-Asdnazadrian Patriarcha Ciliciae Armenorum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Apostolo Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino nostro Domino Gregorio PP. XVI. eiusque successoribus canonicae intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae, Domini nostri Papae et successorum praefatorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse et, quantocitius commode potero, significabo eidem Domino nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, reservationes, dispositiones, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Hereticos, Schismaticos et rebelles Domino nostro ac eisdem successoribus pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis personaliter et per me ipsum visitabo et Domino nostro successoribusque praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio deque rebus omnibus ad patriarchalis ecclesiae meae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum tandem quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquo modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica praefata humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum Nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio cleri mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem, et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum secularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem proponentem in Congregatione sacrosancti Concilii Tridentini per supradictum Nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam mei patriarchatus pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu cleri patriarchalis ecclesiae meae inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia. -

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae MDCCCXLIII., octavo kal. februarii, pontificatus nostri an. XIII.

CCXXVII.

Pallium concedit Michaeli Der-Asdnazarian in Patriarcham Ciliciae electo.

Ven. fratri Michaeli Der-Asdnazadrian nuper Arch. Cesareae in Patr. Ciliciae Armen.

GREGORIUS PP. XVI.

servus servorum Dei,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos electionem seu postulationem de tui persona ad patriarchalem ecclesiam

Ciliciae Armenorum per venn. fratres nostros Episcopos catholicos nationis Ciliciae Armenorum factam, de venn. quoque fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio apostolica auctoritate approbantes et confirmantes, teque a vinculo quo archiepiscopali ecclesiae Caesareae cui praeeras tenebaris de simili consilio ac apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad patriarchalem ecclesiam huiusmodi certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam, iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum et per nos approbatum, de pari consilio apostolica auctoritate praedicta hodie transtulerimus, teque ipsi ecclesiae in Patriarcham praefecerimus et pastorem, curam regimen et administrationem patriarchalis ecclesiae huiusmodi tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; ac postmodum pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, pro parte tua fuerit nobis hodie per dilectum filium Carolum Armellini nostrae consistorialis aulae advocatum ea qua decuit reverentia postulatum: nos postulationibus huiusmodi annuentes, pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum et per duos venn. fratres nostros Archiepiscopos vel Episcopos in istis partibus degentes, gratiam tamen et communionem Sedis Apostolicae habentes, tibi assignandum per dilectum quoque filium Ioannem Topus presbyterum Armeni ritus nuncium tuum duximus destinandum, ut iidem Archiepiscopi vel Episcopi aut eorum alter illud tibi sub infrascipta forma assignent vel assignet et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub altera etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum iuramentum recipiant seu recipiat (tu autem eodem pallio intra patriarchalem ecclesiam huiusmodi illis tantum diebus uteris, qui expressi in ipsius patriarchalis ecclesiae privilegiis continentur): ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem ecclesiam Ciliciae Armenorum sponsam tuam cures sollicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augere.

Quocirca praefatis Archiepiscopis vel Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel eorum alter dictum pallium iuxta subsequentem formam tibi curent vel curet assignare et a te nostro et eiusdem S. R. E. nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant seu recipiat iuramentum, eiusdemque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procures. Forma autem qua praefati Archiepiscopi vel Episcopi in assignando tibi dicto Pallio utentur, haec est: « Ad honorem Omnipotentis Dei ac Betae Mariae Virginis ac Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Domini nostri Domini Gregorii PP. XVI. et S. R. E., nec non patriarchalis ecclesiae Ciliciae Armenorum tibi commissae, tradimus tibi Pallium de corpore Beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut eo utaris intra ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis. » Forma autem iuramenti quod praestabis, haec est: « Ego Michael Der-Asdnazadrian Patriarcha Ciliciae Armenorum electus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro Apostolo Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino nostro Domino Gregorio PP. XVI. eiusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant vel membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut Nuncios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis visitabo aut per me aut per meum Nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione inve-

stiturarum bonorum iurisdictionalium de an. Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia ».

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae MDCCCXLIII., octavo kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo tertio.

CCXXVIII.

Fr. Fidelis Sutter a Ferrara Vicarius Ap. missionis Thunetanae nominatur episcopali charactere haud insignitus (1).

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi adiuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare.

§ 2. Quum itaque ad Catholicae Religionis bonum in locis Tunetanae missioni subiectis stabiliter procurandum statuerimus, memoratae missionis regimen Vicario Apostolico, charactere episcopali haud insignito, committendum esse, nos de tua pietate, doctrina et prudentia, itemque Catholicae Religionis studio quamplurimum in Domino confisi, quod ea, quae tibi committendo duxerimus, cumulate sis expleturus, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio in iisdem locis Tunetanae missioni subiectis te Vicarium Apostolicum absque tamen charactere episcopali ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum tenore praesentium eligimus, deputamus et constituimus cum omnibus facultatibus ac iuribus, quae huius sunt muneris propria, salva tamen semper in praemissis ipsius Congregationis auctoritate.

§ 3. Mandamus propterea omnibus et singulis, ad quos spectat ac spectabit in posterum, ut tibi in praemissis prompti pareant et obediant, tuaque salubria monita ac mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimpleant; alioquin sententiam seu poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synoda-

---

(1) Ex Tabul. Congr. desumimus decretum quo Miss. Thunetananam Patr. Cap Provinciae Militensis demandatur.

DECRETUM

Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

Sacra Congregatio de Propaganda Fide, suam omnem curam et cogitationem ad missionum bonum promovendum impendens, cum animadverterit aliquando dissidia inter missionarios ob nationis ingeniique diversitatem suboriri, opportunum duxit, ubi posset, in unam eandemque missionem eos tantum mittere evangelicos operarios, qui eiusdem essent nationis. Quam ob rem cum reverendissimus Pater Eugenius a Rumelly Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuper a Sacra Congregatione postulasset, ut idipsum decernere dignaretur quoad Tunetanam Missionem in Mauritania, quam sui Ordinis religiosi obtiuent, ita ut, revocatis aliarum nationum missionariis, tantummodo curae custodiae Melitensis demandaretur, Sacra eadem Congregatio eiusdem reverendissimi Ordinis Generalis petitioni annuens, decrevit, ne in posterum in eam missionem alii religiosi mitterentur, nisi Patres custodiae Melitensis, de quorum zelo ac pietate satis constat. At vero cum Melitensis Patrum Capuccinorum custodia ob id in provinciam evehi conveniens erat, et in generali eorumdem Patrum definitorio ea de re decretum fuerit emissum, idem reverendissimus Pater Generalis denuo Sacram Congregationem oravit, ut novae provinciae erectio et Tunetanae missionis unio auctoritate apostolica firmaretur, ac insuper eadem apostolica auctoritate sequentia approbarentur, nempe: I. Ut Tunetanae missionis Praefectus semper esse debeat, durante munere, provincialis Militensis; II. Ut Vice-Praefectus eiusdem missionis, absente Patre Praefecto, gaudeat omnibus singulisque facultatibus, quibus gaudet Praefectus.

Porro cum R. P. D. Archiepiscopus Edessenus Secretarius haec omnia sanctissimo Domino Nostro Gregorio div. prov. Papae XVI. retulisset in audiendia diei IX. huius, Sanctitas Sua tum novam praefatae provinciae erectionem et Tunetanae missionis unionem, tum caetera superius memorata in omnibus approbavit, decretumque approbationis per Sacram Congregationem dandum suo nomine mandavit.

Datum Romae ex aedibus dictae Sacrae Congregationis die XIII. septembris MDCCCXL.

S. Ph. Card. FRANSONIUS Praef.

F. Arch. Edessen. a Sec.

libus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrariis praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXI. martii MDCCCXLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CCXXIX.

Missionem Tuneti in Africâ in Vicariatum Apostolicum erigit.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii supernâ Dei providentia humeris nostris impositi, non leve sane universi gregis dominici onus ferentes, illis praesertim ovibus, quae regiones a Sede hac Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua coelestia possint vocari feliciterque perduci.

§ 1. Hinc quum innotuerit in Tunetanâ missione catholicorum numerum augeri in dies, ac modo talia esse rerum adiuncta, ut pro bono religionis vicariatus apostolicus ibi constituatur, de venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio statuimus, ut in eâdem missione Vicariatus Apostolicus habeatur, qui, praeter spiritualem iurisdictionem, temporalia etiam iura missionis eiusdem ineat.

§ 2. Motu igitur proprio, ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi in missione Tunetanâ Vicariatum Apostolicum erigimus, ac deputamus.

§ 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXI. martii MDCCCXLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CCXXX.

Suppressio ecclesiae Truxillen. et erectio ecclesiae de Chachapoyas in America (1).

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex sublimi Petri specula, ad quam licet immerentes divinae providentiae consilio evecti sumus, universum christianum gregem nobis divinitus commissum inspicientes, eo protinus accurrimus, quo peculiares remotissimorum quoque abhinc fidelium necessitates vocant, et, apostolica omnium ecclesiarum sollicitudine perciti, ea noviter decernimus, quae pro immutata locorum ac temporum conditione ad aeternae salutis semitam tutius animabus communiendam opportuniora in Domino iudicamus. Quandoquidem haud raro contingit, ut quae olim salubriter sancita sunt, novis deinde subortis rerum ac temporum circumstantiis, immutari in melius oporteat.

Expositio precum.

§ 1. Hinc licet nemo uspiam dubitaverit quin episcopalibus de Truxillo et de Maynas ecclesiis ea olim territoria assignata rite fuerint, quae priscis eorumdem locorum conditionibus accommodata penitus viderentur, nihilo tamen secius, cum rerum ibidem facies non eadem decursu tempori manserit, communis invaluit opinio, spirituali quoque rerum illic sacrarum procurationi melius consultum fore, si ex dismembratione dioecesis Truxillensis altera Maynensis augeretur et prisca huius episcopatus sedes inde amota opportunius alibi constitueretur. Quamobrem, qui in inferioribus Peruanae ditionis oris summam rerum tenent ac moderantur, humillime nobis supplicarunt, ut

(1) Ex Abrev. de Curia, vol. huius anni.

provincias quas Pataz et Chachapoyas appellant, a Truxillensi dioecesi adimere atque dismembrare, easque finitimae dioecesi Maynensi adiungere atque incorporare, simulque ab ipsa civitate de Maynas in civitatem Chachapoyas transferre sedem episcopalem vellemus, ut, quo hactenus ecclesia de Maynas nuncupata est, ea imposterum ab ipsamet civitate Chachapoyas nomen acciperet. Cui rei assequendae et gravis illorum Christifidelium necessitas et maior quae inde exurgebat Catholicae Religionis servandae augendaeque opportunitas afferebatur. Et vero ex canonico processu quem in id negocii peragendum iussimus, rite confecto, plane cognitum exploratumque est dioecesanum territorium de Truxillo septem recensere vastissimas provincias pagis oppidisque sane multis et pluribus incolarum millibus refertas; provincias autem quae veniunt sub nomine Pataz et Chachapoyas, ab reliqua dioecesi Truxillensi per flumen Marinon prorsus discriminari, ipsasque ab extremis finibus centeno et amplius leucarum intervallo a Truxillo distare, ita ut eiusdem ecclesiae Antistes nimia viarum asperitate gravibusque itinerum periculis nec non vehementissimis memorati fluminis undis praepeditus, rarius profecto quam oporteret eo sese conferre possit ad pastoralem visitationem ac caeteras episcopalis officii partes explendas, unde animarum salus potissimum pendet. Qua communione adeo necessaria pastorem inter illamque commissi gregis partem vel penitus sublata vel ad diuturnum tempus interclusa, dolendum sane est plerosque fideles iam adultos, imo etiam senescentes, adhuc sacramento Confirmationis carere. Quibus accedit exiguus admodum sacerdotum numerus qui tantae et tam incultae Domini messi excolendae impar omnino est, nec Catholicae Religioni tuendae atque amplificandae necessariam impendere operam potest.

Sequitur ut supra.

§ 2. Caeterum, perhibitum est, ex huiusmodi dismembratione vel ne minimum quidem decrementum mensis episcopatus aut capituli cathedralis Truxillensis obventurum, quandoquidem eidem dioecesi superessent aliae quinque peramplae et ditissimae provinciae, ipsius autem Antistes inde exoneraretur non mediocri curarum et laborum parte, quibus in praesentiarum praegravatur. In memorato itidem processu expositum et comprobatum est rem utilem, imo quoque necessariam, esse ut praefatae provinciae Pataz et Chachapoyas Maynensi dioecesi coniungantur atque adiudicentur, tum etiam, ut a civitate Maynas sedes episcopalis dimoveatur eaque in civitatem Chachapoyas transferatur, quandoquidem, praeterquamquod illarum provinciarum Christifideles incolae ferme universi magnopere hanc ipsam rem adprecantur, exploratum insuper exinde est civitatem Maynas sitam in monte praerupto et arduo sub aestuantis atque insalubris aeris inclementia esse, insuper obnoxiam summae penuriae illorum quoque vectigalium et annonarum quibus necessarius indiget vitae usus, ecclesiam quae inibi extat incultam esse atque iis etiam rebus carere, quae rite adhibere necesse est ad incruentum missae sacrificium peragendum; e converso, civitatem Chachapoyas in commodiore et prope centrali loco positam coeli salubritate frui, commercio frequentissimo locupletari, ipsamque praecellere tum aedificiorum amplitudine ac structura, tum incolarum magis cultis moribus et familiarum nobilitate nec non incolatu praefecti provinciae et publicorum administratorum copiarumque militarium statione; praeterea inibi extare parochialem ecclesiam sub invocatione Sancti Ioannis Baptistae satis ornatam decenter sacra supellectili et dotatione munitam, adeo ut idonea prae caeteris et digna dicatur, quae cathedralis titulo donetur, alias ibidem quinque recenseri ecclesias, coemeterium, publicae hospitalitatis domum, scholas, collegium praestoque esse dioecesanum pro ecclesiasticis alumnis seminarium, aedesque pro decenti habitatione et curia Episcopi, cuius insuper mensae congruae dotationis modo accedit cumulus. Ratum denique nunciatumque est, eiusmodi episcopatum de Maynas haud posse diu utiliterque subsistere, nisi eiusmodi consilium compleatur.

Dismembrationis concessio.

§ 3. His omnibus amplissimis indubiisque testimoniis luculenter demonstratis, cunctis matura deliberatione perpensis, nec non audita pridem in id peculiaris Congregationis S. R. E. Cardinalium sententia, enixis Peruani gubernii eorumque populorum votis annuendum esse censuimus. Itaque de apostolicae auctoritatis plenitudine, motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione, praefatas provincias quae Pataz et Chachapoyas appellantur, idest universum territorium ab

episcopatu de Truxillo sive ab eius dioecesi perpetuo dividimus ac dismembramus, insimulque omnes et singulas paroecias, ecclesias, conventus, monasteria et alia quaecumque saecularia et quorumvis ordinum regularia beneficia, quae inibi forsan existant, nec non utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos, quam clericos, presbyteros beneficiatos, religiosos cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis, ab ordinaria iurisdictione, potestate ac superioritate Episcopi pro tempore existentis Truxillensis sive eius dioecesis ordinarii perpetuum pariter in modum eximimus omnino atque liberamus.

Titulum ecclesiae supprimit.

§ 4. Eiusmodi autem dismembratione, divisione atque exemptione peracta, perpetuo supprimimus atque extinguimus titulum sedis episcopalis et cathedralitatem ecclesiae existentis in civitate de Maynas eamque reducimus ad statum simplicis parochialis, et inibi matricis ecclesiae, simulque commendamus, ut eius curae et manutentioni, nec non divino cultui et sacramentorum administrationi rite decenterque peragendae, quoad melius fieri poterit, diligenter consulatur.

Novam sedem erigit.

§ 5. Hac sedis episcopalis et cathedralitatis Maynensis ecclesiae suppressione et extinctione confecta, civitatem Chachapoyas in memorata eiusdem nominis provincia erigimus etiam atque instituimus in civitatem episcopalem omnibus et singulis fruituram honoribus iuribus privilegiis ac praerogativis quibus caeterae civitates episcopali sede decoratae in Indiis eorumque incolae et cives utuntur atque potiuntur.

Iura novae sedis.

§ 6. Templum autem quod in antedicta civitate Chachapoyas sub invocatione Sancti Ioannis Baptistae dicatum est, in novam cathedralem de Chachapoyas erigimus atque constituimus, retento siquidem pristino titulo S. Ioannis Baptistae et parochiali adservata animarum cura, protinusque inibi sedem cathedramque pontificalem pro uno deinceps Episcopo de Chachapoyas tantummodo nuncupando, qui eidem ecclesiae, civitati et dioecesi inferius assignandae eiusque clero et populo praesit, synodum convocet nec non omnia et singula iura officia et munia episcopalia habeat atque exerceat cum suis capitulo, arca, sigillo, mensa caeterisque cathedralibus insigniis, iuribus, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, iurisdictionibus et praerogativis quibus aliae cathedrales ecclesiae in Indiis Occidentalibus earumque praesules potiuntur, dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non sint eis attributa, perpetuo pariter erigimus atque instituimus.

§ 7. Quum vero relatum fuerit praefatam ecclesiam S. Ioannis Baptistae decenti ceu par est pro cathedralitate sua sacrario atque etiam organo carere, idcirco praecipimus ut utrisque hisce rebus consulatur quatenus id nondum factum fuerit.

Loca novae sedis statuit.

§ 8. Cathedrali ecclesia de Chachapoyas hoc modo erecta, ut propria deinceps dioecesis tribuatur illius Antistiti, ipsam civitatem de Chachapoyas et caetera cuncta loca quae territorium ac dioecesim Maynensem hactenus constituerunt, tum etiam universa loca et territorium quo et quibus in praesentiarum constant memoratae provinciae Pataz et Chachapoyas ut supra ab episcopatu Truxillensi eiusque iurisdictione exemptae atque avulsae, pro dioecesi istiusmodi episcopatus de Chachapoyas assignamus perenniterque adiudicamus: quod quidem territorium sic assignatum ac in eo existentes seu existentia paroecias, ecclesias, conventus, monasteria et quaecumque alia saecularia ac quorumvis ordinum regularia beneficia, utriusque sexus personas et incolas tam laicos quam clericos, non tamen exemptos, cuiuscumque gradus et conditionis mox ordinariae pro tempore existentis Antistitis ecclesiae de Chachapoyas iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati perpetuo similiter continenterque subiicimus, eique pro civitate, territorio, dioecesi, clero et populo perpetuum pariter in modum assignamus atque constituimus.

Novum electum designat.

§ 9. Venerabili fratri Iosepho Mariae de Arriaga, qui Maynensem modo obtinebat episcopatum superius memoratum, benigniter facultates concedimus necessarias et opportunas, ut absque nova litterarum apostolicarum expeditione antedictam ecclesiam et episcopat. de Chachapoyas moderandum administrandumque suscipere atque obtinere possit et valeat, utpote eiusdem Ordinarius, quem ad finem Antistitem ipsum etiam atque etiam hortamur, ne vicario generali diutius carere velit, quin immo quantocitius curet ut in id officii virum ecclesiasticum probum, prudentem atque idoneum sibi eo impensius nancisci studeat, quo maior est dioecesis am-

plitudo et spiritualis eorum populorum necessitas.

Congruam episcop. assignat.

§ 10. Ut autem ordinarius pro tempore existens Episcopus de Chachapoyas eo quo par est decore tueri valeat dignitatem episcopalem et vicario generali curiaeque episcopali prospicere, eidem pro congrua dote assignamus atque constituimus summam sexmillium eorum nummorum qui vulgo *pezze* dictitantur, quae summa ex data fide ex aerario eius civilis gubernii persolvenda est donec in stabilibus fundis eadem congrua dotatio fuerit constituta.

Idem pro congrua capituli.

§ 11. Quod autem pertinet ad congruam pro fabricae huiusce novae cathedralis de Chachapoyas dotatione, quandoquidem perhibitum est, quod in arca, quam vocant decimalem civitatis de Truxillo, praesto in id habeantur quatuor millia nummorum vulgo *pezze*, itidemque redditus duarum millium eiusdem valoris nummorum, qui Limae constabiliti extant, tum denique accedere posse videatur quidquid supererit ex eorum quinque millium nummorum redditu, qui pro Sanctissimi Sacramenti cultu in ea ecclesia de Chachapoyas destinati inveniuntur, idcirco decernimus ut omnes et singulae pecuniarum summae superius recensitae et quaecumque aliae in id destinatae dignoscentur, uti praefertur, pro praefata dotatione singillatim colligantur, ut ad hunc potissimum usum, quam primum ac melius fieri poterit, in stabilibus item fundis constituantur.

§ 12. Proprias item aedes congruamque dotationem pro dioecesano ecclesiasticorum alumnorum seminario adtribuimus quatenus in ea civitate Chachapoyas id nondum fuerit perfectum.

Erectio capituli.

§ 13. Quod vero spectat ad erectionem capituli quo hactenus destituta remansit ipsamet Maynensis ecclesia, propter rerum circumstantias statuimus ut interim in nova cathedrali de Chachapoyas saltem duo quos vocant assistentes canonici praesto sint cum congrua dotatione ab eo item gubernio Peruanae reipublicae perpetuo persolvenda, sicuti antea, ibidemque pristinus parochus cum eadem congrua dotatione iugiter servetur pro animarum cura exercenda, item ut ante; nihilotamen minus volumus et declaramus, quod, ubi primum opportunae rerum circumstantiae id tulerint, in antedicta cathedrali Sancti Ioannis Baptistae erigi debeat ad formam sacrorum canonum capitulum cathedrale congruo canonicorum atque administratorum numero praeditum atque honestatum.

Limano Metropolitae subiicit.

§ 14. Praefatam ecclesiam de Chachapoyas ut supra erectam ordinario Archiepiscopo Limano metropolitico iure subiicimus eisque omnibus frui volumus facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus, quae ad caeteras suffraganeas ecclesias Limanae ecclesiae metropolitanae pertinent.

Taxa.

§ 15. Quoad fructus eiusdem ecclesiae de Chachapoyas, ceu est in more positum pro Americanis ecclesiis, ad florenos auri de Camera trigintatres cum tertia floreni parte taxari volumus, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae et sacri Collegii describi mandamus.

Executorem statuit.

§ 16. Ad hoc itaque ut omnia et singula ut supra a nobis disposita rite ad suum perducantur effectum, venerabilem fratrem Franciscum Sales de Arrieta Limanae ecclesiae Archiepiscopum praesentium literarum nostrarum deputamus executorem cum facultatibus necessariis et opportunis ut per se sive per aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam ab ipso specialiter subdelegandam ea omnia facere statuere ac decernere et super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet forsan oritura cognoscere ac etiam definitive pronunciare libere ac licite possit et valeat, iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali distincte describendi fines totius dioecesis de Chachapoyas ut supra constitutae, nec non actorum omnium et singulorum exemplar quae in praefatarum litterarum apostolicarum executione emittentur, ad hanc Sanctam Sedem infra sex menses ab expleta illarum executione de more transmittendum, in tabulario Congregationis consistorialis diligenter asservetur.

Decretum.

§ 17. Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel non fuerint auditi aut praemissis non consenserint, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scien-

ter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus, in contrarium facien. licet speciali expressa et individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

§ 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, translationis, erectionis, constitutionis, assignationis, deputationis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, quarto nonas iunii pontificatus nostri anno decimotertio.

CCXXXI.

Iosephum M. de Silva Torres Archiepiscopum Goan. eligit (1).

Dilecto filio Iosepho Mariae de Silva Torres electo Archiepiscopo Goan.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Divina disponente clementia, cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, in apostolicae dignitatis solio meritis licet imparibus constituti, ad universas orbis ecclesias aciem nostrae considerationis extendimus, et pro earum statu salubriter dirigendo apostolici favoris auxilium adhibemus; sed de iis propensius cogitare nos convenit, quas propriis carere pastoribus intuemur, ut eis iuxta cor nostrum Pastores praeficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam et providentiam circumspectam salubriter dirigant et informent, ac bona ipsarum ecclesiarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis.

§ 2. Sane ecclesia Goan. unica Indiarum Orientalium carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Loc nomine secundae Portugalliae et Algarbiorum reginae fidelissimae subiectarum metropolitana, quae de Iurepatronatus praefatae Mariae Reginae ex fundatione vel dotatione seu privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur, et cui ven. frater noster Emmanuel a Sancto Gualdino ultimus illius Archiepiscopus dum viveret praesidebat, per obitum dicti Emmanuelis Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destituta nos, vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ecclesiae metropolitanae Goan. celerem et felicem, ne illa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem metropolitanae ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem; demum, ad te de legitimo matrimonio ex catholicis honestisque parentibus in Portugalliensi civitate progenitum atque quadragesimum tertium aetatis tuae annum agentem, qui presbyteratus ordine dudum initiatus doctoralique laurea in sacra theologia donatus in ecclesiasticis functionibus apprime enituisti, eo vel maxime quod Benedictinorum institutum prima iuventute amplexus sis, professor dein philosophiae ac theologiae renunciatus plures per annos hoc munere scite perfunctus es, quique fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica propositos expresse professus fuisti, quemque laudata Maria Regina nobis ad hoc per suas patentes literas die xxv. aprilis currentis anni Domini praesentavit, ac de cuius doctrina, gravitate, prudentia, honestate morum, rerum usu praestantia fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, Metropolitanae ecclesiae Goan. de persona tua nobis et eisdem venn. fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providemus teque illi in Episcopum praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius metropolitanae ecclesiae Goan. tibi in spiritulibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia con-

(1) Vide infra *Nuncium*.

fidentes, quod dirigente Domino actus tuos metropolitana ecclesia Goan. sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in iisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

§ 3. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite fideliter ac prudenter, quod ecclesia ipsa Goan. gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram dictaeque sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Volumus autem quod in civitate Goan. montem pietatis erigi cures, super quo conscientiam tuam desuper onerantes.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, decimo nonas iunii, pontificatus nostri anno decimotertio (1).

CCXXXII.

Archiepiscopo Goano Iosepho a Silva Torres mentem suam aperit de eius nominatione, quae iuxta lit. Multa praeclare *est intelligenda; monet eum nullam exercere posse iurisdictionem in regionibus, quae Vic. Ap. traditae sunt regimini, etsi antea Archiepiscopo Goae subiicerentur* (2).

Venerabili fratri Iosepho a Silva Torres electo Archiepiscopo Goano,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Nuncium ad te iam pervenisse arbitramur de Consistorio a nobis celebrato XIII. kalendas huius mensis, in quo novos pastores dedimus pluribus viduatis ecclesiis, initio facto ab inclyta archiepiscopali ecclesia Goana in Indiis Orientalibus Lusitanae ditionis, cui te, ven. frater, praefecimus. Accipies subinde nostras apostolicas literas sub plumbo, quas statim edi iussimus de promotione ipsa tua et de consecratione episcopali rite suscipienda, nec non de sacro pallio, quod tibi uti Metropolitano Antistiti tradendum mandavimus. Animum quoque intendimus ad conditionem ecclesiae illius, et in calamitates haud sane leves quibus diuturnae viduitatis suae tempore afflicta est, atque adeo avertere cupientes difficultatem omnem, quae fraternitatem tuam ab ineunda eius procuratione retardare posset, alias ad te literas dedimus supra dicta die Piscatoris annulo obsignatas, quibus ex peculiari gratia indulsimus, ut statim ac ipsas acceperis, delata tibi pastorali iurisdictione libere atque integre uti valeas: ac fuit quidem nobis curae, ut eaedem sine mora ad te mitterentur. Nunc insuper hanc tibi epistolam scribimus, ut novum praebeamus testimonium praecipuae erga te benevolentiae nostrae, bonaeque spei, qua in Deo nitimur fore, ut ad salutem crediti gregis constanter atque impigre advigiles, et a debita sacris Canonibus, ac nostris Sedisque Apostolicae decretis obedientia nulla unquam in causa recedas. Obversantur enim nobis ante oculos sensus tuae in Romanam Ecclesiam obsequentissimae voluntatis, quos literis consignasti datis III. Idus martii; quibus et consona sunt, quae de te accepimus a dilecto filio Francisco Capaccini nostro Olisipone internuntio Delegatoque Apostolico, qui retulit inter alia nominatim de iterata declaratione, qua nos certiores fieri voluisti, deliberatum tibi fixumque in animo esse, ut non alia unquam utaris auctoritate, quam quae tibi a nobis tributa sit. Pertinent haec ad ea quae statuimus in apostolicis literis datis sub annulo Piscatoris die XXIV. aprilis anni MDCCCXXXVIII. quarum initium *Multa preclare etc.*, atque hinc ad decreta cetera subinde edita, aut etiam edenda, circa procurationem catholicarum rerum in quibusdam regionibus, ubi ob mutatam temporum viam Goanus Antistes nec facile iam, nec satis animarum bono consulere poterat. Nos in iis decernendis non aliud certe spectavimus, quam salutem et incrementa dominici gregis, ac vae quidem nobis, si quamcumque ipsius partem sive illuc, sive alibi in discrimine positam spiritualibus quibus datum fuerit iuvare subsidiis negligamus! Quare dum tuos illos sensus sollicitudini eidem nostrae obse-

(1) Eâdem die per literas *Cum nos hodie* concessit pallium.
(2) Vide infra *Quantâ laetitiâ.*

quentes plurimis merito prosequimur laudibus, temperare nobis ipsis non possumus, quin fraternitatem tuam hortemur in Domino vehementer, ut ab eiusmedi te gerendi ratione nullo unquam obtentu dimoveri te sinas, atque ut in reliquis ita iugiter agas, quemadmodum Pastorem agere oportet de maiore tantum Dei gloria et spirituali dilectarum ovium emolumento sollicitum, ac suas omnes spes collocantem in Domino Pastorum Principe, qui portat omnia verbo virtutis suae, quique sacris operariis in cultura vineae suae diligenter cum eius gratia perseverantibus immarcescibilem repromisit gloriae coronam. Nos interea licet indigni non praetermittimus ab eo suppliciter petere, ut super te ac super omnem quem tuae curae tradidimus clerum ac populum sua propitius dona multiplicet. Denique nostrae pignus studiosissimae voluntatis apostolicam benedictionem tibi ipsi, ven. frater, atque illis intimo cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VIII. iulii MDCCCXLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CCXXXIII.

Electum Episcopum Macaonensem monet exercere non posse iurisdictionem in iis regionibus, olim ad Macaonen. Ep. pertinentibus, quas Sedes Ap. aliis regendas tradidit (1).

Ven. fr. Nicolao Rodriguez Pereira de Borja electo Episcopo Macaonensi,

GREGORIUS PP. XVI.

**Venerabilis frater.
salutem et apostolicam benedictionem.**

In consistorio a nobis celebrato XIII. kalendas huius mensis proveximus te ad cathedralem ecclesiam Macaonensem in Indiis Orientalibus Lusitanae ditionis: eiusque rei testes esse voluimus apostolicas literas sub plumbo, quae de more a nobis editae sunt. His vero et alias addidimus literas apostolicas sub annulo Piscatoris eâdem die datas, quibus consilium nobis fuit impedimenta avertere, quae te ab ineundâ istius ecclesiae procuratione retardare potuissent. Has misimus statim dilecto filio Francisco Capaccini nostro Ulyssipone Internuntio Delegatoquo Apostolico, ut ipsas ad te perferendas curaret. Nunc insuper hanc tibi epistolam scribimus, ut studium confirmemus nostrae benevolentiae qua te, ven. frater, eo impensius complectimur, quo meliorem erecti sumus in spem fore, ut de religione, de S. hac Sede, et de grege tuae a nobis curae concredito praeclare per Dei gratiam merearis. Obversantur enim nobis ante oculos bona, quae accepimus, testimonia virtutis tuae; quibus veluti cumulum adiicere visae sunt literae datae a te ad dilectum filium presbyterum Umpierres, atque ab eo nostrae Congregationi Propagandae Fidei communicatae, ex quarum scilicet significatione cognovimus, te, ad Episcopatum Macaonensem a Reginâ fidelissimâ nominatum, haudquaquam induci potuisse ut contra canonum tramites et statuta S. huius Sedis procurationem interea viduatae ecclesiae sub quovis obtentu susciperes. Laudamus equidem in Domino vehementer praeclaram istam rationem tuam; qua eo vel magis laetati sumus, quod nobis hinc omnino pollicemur, te, ven. frater, obsequuturum pariter humili constantique animo decretis a nobis, seu a supradictâ Propagandae Fidei Congregatione iussu nostro, editis aut edendis circa procurationem catholicarum rerum in nonnullis istarum regionum, ubi Antistes Macaonensis, ob mutatam temporum vicem, nec facile iam, nec satis animarum bono consulere poterat. Nos certo in his statuendis non aliud spectavimus quam salutem et incrementa dominici gregis; ac vae quidem nobis, si quamcumque ipsius partem, sive illuc sive alibi in discrimine positam, spiritualibus, quibus datum fuerit, iuvare subsidiis negligamus! Itaque etsi opus esse non videatur, ipsâ tamen rei gravitate et supremi apostolatus nostri officio compulsi, fraternitatem tuam hortamur in Domino vehementer, ut videas etiam atque etiam quam magni apud Deum ipsum criminis reus fieres, si decretis iisdem cum tanto apostolicae nostrae auctoritatis contemptu et gravi adeo animarum detrimento te opponeres. Verum nulla, uti diximus,

(1) Vide supra *Religionis propagandae*, et adnotata ad *Multa praeclare*.

causa est, ut dubitemus de pietate tua, ven. frater, quem et in reliquis, quae episcopalis muneris sunt, ita iugiter acturum confidimus, quemadmodum pastorem agere oportet de maiore tantum Dei gloriâ et spirituali dilectarum ovium emolumento solicitum, ac suas omnes spes collocantem in divino pastorum Principe, qui portat omnia verbo virtutis suae, quique sacris operariis in culturâ vineae suae diligenter cum eius gratiâ perseverantibus immarcescibilem repromisit gloriae coronam. Nos interea, licet indigni, non praetermittimus ab eo suppliciter petere, ut super te ac super omnem, quem tuae curae tradidimus, clerum ac populum sua propitius dona multiplicet. Denique nostrae pignus studiosissimae voluntatis apostolicam benedictionem tibi ipsi, ven. frater, atque aliis intimo cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VIII. iulii MDCCCXLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CCXXXIV.

In Pensylvaniâ Occidentali, quam ab episcopatu Philadelphiensi separat, novam sedem episcopalem erigit in civitate Pittsburgensi collocandam, et Baltimorensi suffraganeam.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Universi dominici gregis curam ac solicitudinem superno nobis consilio commissam gerentes, dioecesum per universum orbem descriptioni cogitationes curasque nostras intendere debemus, ut earum fines immutemus vel coarctemus, prout rerum ac temporum ratio ac fidelium utilitas exquirere videatur.

§ 1. Itaque quum in Concilio quinto Baltimorensi habito mense maio anni MDCCCXLIII., cetera inter negotia ad Religionis Catholicae bonum in foederatis Americae septentrionalis provinciis promovendum, de ratione quoque actum fuerit, qua in vastissimo Pensylvaniae statu religionis necessitati atque incremento constanter prospici possit, cumque collatis inter se consiliis Episcopi omnes in Concilium coacti, interque illos praecipue ven. frater Franciscus Patritius Kenrick Philadelphiensis Episcopus, nobis exponendum iudicaverint, fidelium bono valde expedire, ut Pensylvania occidentalis, secundum limites civili divisione receptos, in peculiarem dioecesim a Philadelphiensi distinctam erigatur: nos tanti momenti rem venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis examinandam commisimus. Rebus itaque mature perpensis, atque habitâ ratione consensus Episcopi Philadelphiensis super memoratae regionis Pensylvaniae a suâ sede episcopali separatione, de eorumdem fratrum consilio memoratam episcopatus erectionem perutilem cognovimus.

§ 2. Motu igitur proprio et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine Pensylvaniam occidentalem iuxta limites civili divisione receptos a dioecesi Philadelphiensi perpetuo separantes, eam in peculiarem episcopatum, cuius episcopalis sedes in Pittsburgensi civitate constituatur, ac suffraganea sit Archiepiscopalis Baltimorensis donec aliter statuatur, cuiusque titulus a praedictâ Pittsburgensi urbe derivetur, et cathedralem habeat S. Pauli Apostoli ecclesiam in eâdem urbe iamdiu conditam, vi praesentium literarum erigimus et constituimus.

§ 3. Decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et omnia iuxta praemissa accurate adimpleri, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non apostolicis literis datis die XVII. iunii anno MDCCCXXXIV., quarum initium *Benedictus Deus*, nec non praedictae Philadelphiensis ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, aut quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XI. augusti MDCCCXLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CCXXXV.

Novam episcopalem sedem Petriculae in foederatis Americae Septemtrionalis regionibus constituit, cuius dioecesis statum Arkansas complectatur.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

In supremâ militantis Ecclesiae speculâ, Deo sic volente, collocati, atque universi dominici gregis curam gerentes, eo intendere studia nostra debemus, ut novas per terrarum orbem dioeceses constituamus, prout rerum ac temporum ratio ferat, quo pluribus constitutis pastoribus, rectius atque expeditius christiani gregis incolumitati consulatur.

§ 1. Quocirca cum in Concilio V. Baltimorensi mense maio anno MDCCCXLIII. inter cetera illud quoque e re catholicâ esse iudicatum fuerit, ut ad stabilius confirmandam ac latius proferendam christianam fidem in foederatis Americae septemtrionalis regionibus quatuor novae episcopales sedes erigantur, quarum una Petriculae seu Little-Rock statuatur, cuius dioecesis statum Arkansas comprehendat, nos tanti momenti rem venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis perpendendam commisimus. Maturâ igitur deliberatione adhibitâ, de eorundem fratrum consilio memoratam Petriculae episcopatus erectionem utilem cognovimus.

§ 2. Motu igitur proprio et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine novam episcopalem sedem Petriculae seu Little-Rock, cuius dioecesis statum Arkansas complectatur, cuiusque titulus a dicta Petriculae urbe derivetur, vi praesentium literarum erigimus, et constituimus.

§ 3. Decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illos ad quos spectat et spectabit, hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXVIII. nov. MDCCCXLIII., pontificatus nostri anno XIII. (1).

CCXXXVI.

Erigit Vicariatum Apostolicum in regionibus trans Montes Saxeos positas et Columbiam seu Oregon appellatas in Americâ Septemtrionali, quarum pars ad Archiepiscopum Quebecensem, pars ad Episcopum S. Ludovici hactenus spectarunt.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Pastorale officium divinâ providentiâ nostrae humilitati impositum omnino exquirit, ut illis praesertim ovibus, quae regiones ab hac Apostolicâ Sede, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, nostrâ sedulitate consulamus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae, sicut oportet, per apostolicam curam intra verum ovile, ad pascua coelestia feliciter perducantur.

§ 1. Quare cum in Concilio provinciali Baltimorensi V. religionis bono conducere visum sit, ut Vicariatus Apostolicus erigatur, qui comprehendat territorium trans montes saxeos, vulgo *les Montagnes Rocheuses,* situm, ac territorium Columbiae seu Oregon appellari solitum, partim ad Quebecensem partim ad S. Ludovici dioecesim huc usque pertinens, ac territorium simul contineat, quod trans eas regiones constitutum est, quodque hactenus ad dioecesim Quebecensem pertinebat, nos eiusdem Concilii Baltimorensis votis precibusque annuentes, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, rebus mature perpensis, ac ratione habitâ consensus, quem circa iurisdictionem in memoratas regiones dimittendam tum ven. frater Archiepiscopus Quebecensis, tum ven. frater Episcopus S. Ludovici ultro dederunt, motu proprio, atque ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine harum literarum vi novum Vicariatum Apostolicum erigimus ac constituimus, qui complecti debeat territorium trans Montes saxeos, vulgo *les Montagnes Rocheuses,* situm, ac territorium Columbiàe seu Oregon appellatum, partim ad Quebecensem

(1) Eadem die per similes literas *In suprema* constituit eccles. Milvachien, Startfordien, Chicagien. Vide infra *Gratissimae nobis.*

partim ad S. Ludovici dioecesim spectans, ac territorium pariter contineat, quod trans illas regiones constitutum est, quodque adhuc ad Quebecensem dioecesim pertinebat.

§ 2. Decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat vel in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque sanctionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque etiam speciali et expressa mentione et derogatione dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die I. decemb. MDCCCXLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CCXXXVII.

Ad Archiepiscopum Baltimorensem et Episcopos eius suffraganeos scribit de quinto provinc. concilio celebrato (1).

(1) Acta h. conc. vide in collectione Lac. vol. III, pag. 94. Hic lit. et decretum S. C. de P. F. adiungimus.

DECRETUM

S. Congregationis generalis de Propaganda Fide, quo Decreta Concilii Baltimorensis provincialis quinti confirmata declarantur.

Cum R. P. D. Samuel Eccleston, Archiepiscopus Baltimorensis, post celebratum mense maio anno MDCCCXLIII., una cum Episcopis dioecesum in Foederatis Americae Septentrionalis provinciis existentium, Concilium quintum provinciale Baltimorense, SSmum Dominum Nostrum Gregorium PP. XVI., suo et Concilii nomine precatus sit, ut Decreta ab eodem provinciali Concilio condita apostolica auctoritate confirmaret, si, post accuratam eorumdem decretorum considerationem, confirmatione sua digna illa esse iudicavisset; S. Congregatio de Propaganda Fide, in generali conventu die XVIII. septembris anno MDCCCXLIII. habito, referente Emo ac Revmo D. Iacobo Philippo, tituli S. Mariae in Aracoeli, S. R. E. Cardinali Fransonio, sacri consilii Praefecto, plurimum commendata Concilii sapientia, studio singulari religionis amplificandae, et ecclesiasticae disciplinae tuendae, ac rerum gerendarum peritia, quae in Decretis illis manifesta est, censuit ac decrevit supplicandum Sanctitati Suae, ut Archiepiscopi et Episcoporum precibus superius significatis annuere, et Decreta de quibus agitur confirmare dignaretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo Domino Nostro relatam ab R. P. D. Ioanne Brunellio, sacri consilii secretario, in audientia diei XXIV. septembris MDCCCLXIII. Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit et memorata Decreta, apostolica confirmatione munita, in dioecesibus Foederatae Americae Septentrionalis servanda esse iussit.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide die XXX. sept. MDCCCXLIII.

I. PHILIPPUS Card. FRANSONI, Praef.

IOANNES BRUNELLI, Secretarius.

EPISTOLA

S. Congregationis de Propaganda Fide ad Archiepiscopum Baltimoremsem.

Illme ac Rme Domine,

Acta ac Decreta Concilii quinti provincialis Baltimorensis, mense maio huius anni MDCCCXLIII. celebrati, S. Congregatio Generalis de Propaganda Fide, die XVIII. septembris habita, accurate perpendit. Plurimum vero commendavit singularem sapientiam ac religionis promovendae studium, cuius ea Acta et Decreta testimonium perspicuum continent. Gratulata autem est S. Congregatio amplitudini tuae et caeteris Episcopis, qui una tecum Concilium habuerunt, luculenter intelligens nova sollicitudinis vestrae pastoralis vos argumenta quotidie exhibere. Atque ex adiecto Decreto comperietis memorata Concilii Decreta ipsius SSmi Domini Nostri auctoritate confirmata esse. Additum denique his litteris folium significabit perpauca quae in Decretis illis immutari debere S. Congregatio existimavit.

Quod spectat ad novarum sedium episcopalium erectionem, Episcoporum et coadiutorum electionem (*), ac Vicariatum Apostolicum in Oregonensi regione statuendum, sciatis haec omnia, SSmo Domino Nostro probante, iam esse decreta, electis videlicet iis ad singulos episcopatus, vel ad munus coadiutoris obeundum, quos primo loco in singulis casibus proposuistis, excepto tantum Vicario Apostolico Oregonensi, ad quod munus presbyter D. Franciscus Norbertus Blanchet Canadiensis designatus est.

Haec vobis sine dilatione scribenda esse censui, plane sciens id vobis iucundum esse futurum. Caeterum, de novis sedibus episcopalibus, ac Vicariatu Apostolico Oregonensi erecto, et de singulorum Episcoporum electione, Brevia Apostolica, cum primum fuerint expedita, ad te mittenda curabo.

Precor Deum, etc.

Romae, ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die XXX. septembris MDCCCXLIII.

I. PHILIPPUS Card. FRANSONI, Praef.

IOANNES BRUNELLI, Secretarius.

(*) *Novae de quibus hic agitur Sedes Episcopales sunt Pittsburgensis, Petriculae seu* Little-Rock, *Chicaginensis, Hartfordensis et Milwauchensis.*

Venn. fratribus Samueli Arch. Baltimorensi et eius suffraganeis,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Gratissimae nobis fuerunt vestrae litterae, vixdum quinto provinciali Baltimorensi Concilio a vobis mense maio celebrato, ad nos datae, quibus singularem ac perspectam vestram in nos atque hanc Petri cathedram, catholicae unitatis centrum, venerationem atque observantiam amplissimis verbis una omnes iterum profiteri gloriamini, atque eiusdem Concilii acta huius Apostolicae Sedis iudicio et auctoritati subiicientes, a nobis efflagitatis ut decreta in ipso concilio edita confirmare velimus. De quibus quidem decretis opportunum vobis responsum reddet nostra Propagandae Fidei Congregatio, cui eiusdem concilii acta examinanda commisimus.

§ 2. Summis vero meritisque laudibus episcopalem vestrum omnium sollicitudinem prosequimur, quod muneris vestri partes sedulo obeuntes, ex canonum praescripto rursus in unum convenistis, ut in nomine Spiritus Sancti simul coniuncti, concordissimis animis ea susciperetis consilia, quae maiori dioecesium vestrarum bono atque animarum saluti conducerent. Exultavit autem vehementer cor nostrum in Domino, cum ex ipsis vestris litteris noverimus in istis vastissimis regionibus vestrae curae ac zelo concreditis, divina adspirante gratia, evangelii lucem longe lateque in dies diffundi, catholicam religionem protendi, populos Christi fidem amplecti, silvestres quoque homines et Nigros in plagis Africae occidentalibus evangelizari, sacra templa in Dei honorem exstrui, pias institutiones crescere, sacerdotes augeri, ecclesiasticam disciplinam vigere, ac fideles pastoris sui voci faciles aures praebere, eiusque monita perficienda curare.

§ 3. Itaque, ven. fratres, dum maximas Deo totius consolationis gratias agimus, qui super istas gentes misericordiam suam effundere dignatur, vobis quoque vehementer gratulamur, qui pastorali zelo incensi, nullis neque curis, neque laboribus, neque consiliis, vobis parcendum esse cognoscitis, ut de Catholica Ecclesia, de hac Apostolica Sede, atque animarum salute optime mereri possitis: atque in eam profecto spem erigimur fore ut, Deo semper auxiliante, catholica religio in istis regionibus altissimas in dies agat radices, ac prospere feliciterque vigeat, floreat et fidelium numerus ita augeatur, ut omnes supernae veritatis lumine illustrati, atque enutriti verbis fidei, incedant per semitas Domini, atque ambulent in Christo Iesu. Nos quidem non cessamus in omnibus orationibus nostris fraternitates vestras et commissos vobis greges Deo humiliter commendare, nihil dubitantes quin vos quoque sine intermissione ipsum miserationum Dominum orare atque obsecrare velitis, ut infirmitatem nostram, asperrimis hisce temporibus, omnium Ecclesiarum solicitudine laborantem adiuvet atque confirmet, actusque nostros ad maiorem sui nominis gloriam, et totius catholici orbis utilitatem dirigat.

§ 4. Interim vero studiosissimae nostrae erga vos caritatis pignus accipite apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam cuique vestrum atque omnibus istarum ecclesiarum clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die II. decemb. MDCCCXLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CCXXXVIII.

Dismembratio territorii a dioecesi Tlascalensi cum erectione novae sedis episcopalis de Vera Cruce.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Quod olim Propheta gravissime lamentabatur, parvulos, scilicet, petiisse panem nec unquam fuisse, qui eisdem frangeret, id quidem nobismetipsis in sublimi Petri Cathedra, meritis licet imparibus, divinae providentiae consilio collocatis, haud infrequenter plorandum venit. Scilicet dioecesium territoria tam longe lateque interdum patent, ut unus tantummodo Pastor, singulis ovibus suae fidei traditis cognoscendis, easque ad aeternae salutis pascua, quamtumvis sollers et impiger, traducendis omnino sit impar. Iam vero paternae caritatis ardore compulsi, statim Prooemium.

ubi licet, in illorum auxilium accurrimus, et dioecesum quae nimis amplae videntur, territoria circumscribimus, novisque exinde ecclesiis constitutis, novos ipsis Pastores assignamus, ut, onere sane gravissimo in plures distributo, Christifideles ibi degentes accuratius atque expeditius ad aeternae salutis pascua perducantur.

Petitio. § 1. Hisce de caussis optimates, qui in Mexicana ditione rem publicam gerunt, nobis impense supplicarunt, ut per quam vastum Ilascalensis dioecesis territorium, quod modo ex duabus provinciis constat, quarum altera vulgo nuncupatur *Dipartimento di Angelopoli*, seu *di Ilascala*, altera autem *Dipartimento di Vera Crux*, apostolica nostra auctoritate dismembraremus, aliamque inde sedem episcopalem *de Vera Cruce* appellandam erigeremus, cui proprius Antistes praeesset. Quod sane consilium iam inde ab anno millesimo octingentesimo sexto a Regio etiam Hispaniarum Gubernio susceptum fuisse, ac subinde in eiusdem implementum ven. fratrem Franciscum Paulum Vasquez hodiernum Episcopum Ilascalensem consensisse perhibetur. Et sane locorum illorum natura ac diuturnior rerum experientia luculentius in dies ostenderunt istiusmodi consilium, ubi exitu compleretur, meliori eorum Christifidelium in spiritualibus regimini mirifice profuturum. Perlatum siquidem ad nos est, eos qui in memorata provincia de Vera Cruce degunt, lethali morbo haud raro corripi, quem vulgo appellant *Febbre gialla;* in eiusmodi autem vitae discrimen advenas facilius adduci. Quapropter valde periculosus ad Episcopum aditus eisdem patet, eiusque difficultas eo etiam nomine succrescit, quod cum territorium Ilascalensis dioecesis per sex Leucarum quadratarum millia supra octingentas late protendatur, plurimae paroeciae intra vastum hunc terrarum ambitum constitutae tam longis atque asperis itineribus ab episcopali sede distant, ut oves illic dispertitae, quae ad nongenta circirciter capitum millia assurgunt, raro admodum Pastoris praesentia recreari ac moneri opportune possint, atque idcirco remissius ibi Christi frumentum succrescat, neque unus queat gravissimis erga singulos pastoralis officii partibus satisfacere. Idcirco necessarium visum est, ut alteri Episcopo unius provinciae de Vera Cruce procuratio committeretur, eademque provincia de Vera Cruce, quae bis centum et octoginta animarum millia recenset, ab Ilascalensi dioecesi seiuncta, nova constitueretur episcopalis ecclesia, eiusque sedes in civico oppido de Vera Cruce nuncupato poneretur. Princeps enim est ac prae caeteris circumstantibus oppidis fere centralis ipsius provinciae locus, elegantibus aedificiis auctus, decem circiter incolarum millibus frequens, ac portu maritimo instructus; praeterea tria habet religiosorum virorum Coenobia, aliquot pias sodalitates et publica Instituta, quae ad religionem et puerorum cultum spectant, nec non hospitium infirmis suscipiendis curandisque; in eo vero praeter quatuor minores ecclesias eminet parochiale templum Deo in honorem Beatissimae Virginis Mariae dicatum, illudque affabre instructum satis amplum ornatumque et sacra supellectile divinis officiis decenter peragendis instructum; dignum propterea, quod in honorem dignitatemque cathedralis ecclesiae eveheretur. Ut autem eiusmodi negocium rite quaquaversus absolvatur, ditionis Mexicanae Gubernatores ultra solliciti sunt, dataque fide spoponderunt, Mexicanum ipsummet Gubernium iis omnibus provisurum, quae in id necessaria videbuntur; neque enim satis essent annui redditus duodecim millium scutorum Romanorum ex decimis ecclesiasticis, quae per eam provinciam de Vera Cruce colliguntur, hauriri soliti, quique, uti propositum est, sunt in hoc ipsum negocium impendendi.

§ 2. His aliisque magni ponderis momentis matura deliberatione perpensis, ac vehementer cupientes, ut illi dominici gregis parti, quam licet longe a nobis dissitam paterni amoris caritate complectimur, tutior ac facilior salutis via muniatur, enixis Mexicani Gubernii supplicationibus annuendum esse duximus. Itaque de apostolicae auctoritatis plenitudine, certa scientia, atque etiam motu proprio, ab hodierno ipsius episcopatus Ilascalensis dioeceseos territorio universam provinciam, quam vulgo appellant *Dipartimento di Vera Crux,* ubi, uti fertur, recensentur fere biscentum super octoginta capitum millia, perpetuo modo distrahimus, dividimus ac dismembramus, ita quidem, ut insimul dismembrata haberi debeant, et sint nedum omnia inibi consistentia oppida seu paroeciae ac loca quaelibet, itemque omnes ecclesiae nec non oratoria et conventus seu monasteria, sed

etiam saecularia quaeque et quorumvis ordinum regularia, si nunc ibidem iam instituta reperiantur, beneficia, nec non utriusque sexus personae, habitatores et incolae, tam laici quam clerici, praesbiteri, beneficiati et religiosi, cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis, ab ordinaria iurisdictione Antistitis pro tempore antedicti episcopatus Ilascalensis.

Decretum

§ 3. Huiusmodi divisione seu dismembratione atque exemptione peracta, quum oporteat praesignati episcopatus de Vera Cruce noviter erigendi sedem in praecellentiore atque aptiori loco parare atque constituere, quumque ad hoc praestandum opportune ex antea memoratis se se offerat oppidum civicum de Vera Cruce nuncupatum, illud profecto in civitatem episcopalem attollimus atque instituimus cum curia et cancellaria ecclesiastica, fruiturum scilicet omnibus honoribus, iuribus, privilegiis, favoribus et praerogativis, quibus absque titulo oneroso vel indulto speciali modo caeterae pontificali sede insignitae civitates eorumque cives in Mexicana ditione utuntur et gaudent.

Sequitur ut supra.

§ 4. Praeterea ecclesiam parochialem, quae in antedicta civitate de Vera Cruce Deo dicata est in honorem Beatissimae Virginis Deiparae (1). . . . . illic, etiam in posterum, parochialitate et animarum cura non secus ac antea rite diligenterque exercenda, perpetuum pariter in modum erigimus ac constituimus in ecclesiam cathedralem, ibique erigi simul ac constitui volumus sedem, cathedram et dignitatem episcopalem pro uno deinceps Episcopo de Vera Cruce nuncupando, qui eidem ecclesiae cathedrali, civitati et dioecesi mox assignandae, eiusque clero et populo praesit, synodum convocet, nec non omnia et singula iura, officia et munia episcopalia habeat atque exerceat, cum suis capitulo (ubi illud fuerit institutum), arca, sigillo, mensa, ut infra constituenda, gaudeat, denique quibuscumque cathedralibus et pontificalibus insigniis, nec non iuribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, praerogativis, iurisdictionibus realibus et personalibus et mixtis, quibus aliae cathedrales ecclesiae in Mexicana ditione nunc extantes, eorumque Praesules utuntur et gaudent, dummodo ex peculiari indulto seu privilegio non fuerint eis attributa.

Ut supra.

§ 5. Ut vero ecclesia de Vera Cruce in cathedralem evecta propriam habeat dioecesim, universam provinciam, vulgo *Dipartimento de Vera Cruce*, ab hodierno territorio Ilascalensis dioecesis, uti superius dictum est, avellendam, novae cathedrali ecclesiae eiusque pro tempore Antistiti perpetuo assignamus atque attribuimus. Praefatam itaque provinciam, idest civitatem de Vera Cruce et caetera cuncta oppida seu paroecias, quae in eiusdem provinciae territorio continentur, itemque omnes inibi consistentes ecclesias sive parochiales sive succursales, sive collegiatas, sive simplices, oratoria, conventus, monasteria, pia quaelibet instituta et, tam saecularia quam regularia quorumvis ordinum, beneficia, una cum utriusque sexus saecularibus et regularibus personis, non tamen exemptis, tam laicis quam clericis aut praesbiteris beneficiatis et non beneficiatis quibuscumque in eadem provincia degentibus, cuiuscumque sint vel fuerint status, gradus, ordinis et conditionis, perpetuo similiter modo ordinariae iurisdictioni, regimini, potestati ac superioritati ordinarii Antistitis de Vera Cruce subiicimus, illique omnia haec in civitatem episcopalem, territorium, seu dioecesim, in clerum et populum itidem assignamus atque attribuimus.

De Capitulo erigendo.

§ 6. Praeterea cum oporteat, ut in parochiali ecclesia de Vera Cruce ad cathedralis honorem evecta condecens canonicorum collegium divinis laudibus persolvendis instituatur, volumus atque mandamus ut ad sacrorum canonum praescripta protinus in ea capitulum erigatur, ita tamen ut illud primitus coalescat saltem ex una dignitate canonicali, ex tribus canonicis titularibus, quibus accedant aliquot capellani seu mansionarii et clerici; tot videlicet, quot pro hodiernis rerum circumstantiis instituere censuerit exequutor praesentium litterarum apostolicarum posterius deputandus, cui etiam veniam et potestatem impertimur adsignandi tam praefatae dignitati et unicuique canonicorum, quam praenunciatis capellanis et mansionariis et clericis eam congruam praebendam, quam et quantam unicuique eorum nunc adsignare ex redditibus inferius designandis iudicaverit. Insuper edicimus ut eiusmodi cathedrale capitulum fruatur et gaudeat omnibus iuribus et ho-

(1) In orig. Abrev. de Curia, ex quo desumptum est doc., deest titulus.

noribus cum adnexis oneribus, proindeque indulgemus ut omnes ipsius canonici, capellani et mansionarii et clerici supra memorati licite libereque tam in dicta cathedrali de Vera Cruce, quam extra illam, quoties nempe sive ad divinia officia et sacra solemnia, sive ad supplicationes publicas, et ad alios ecclesiasticos actus capitulariter convenerint, deferre, induere ac gestare possint et valeant ea respective indumenta atque insignia ecclesiastica, quibus utuntur canonici et capellani aut mansionarii et clerici capitulorum cathedralium, extantium in ditione Mexicana iis tamen exceptis indumentis aut insigniis quae ex gratia speciali vel privilegio a caeteris illis capitulis obtenta fortasse fuerint.

Ut supra.

§ 7. Eidem porro capitulo cathedrali de Vera Cruce fas et ius attribuimus conficiendi sibi statuta capitularia, ordinationes atque decreta, sacris tamen canonibus, apostolicis constitutionibus et oecumenicae Synodi Tridentinae decretis penitus consentanea, quae scilicet ab ordinario Antistite de Vera Cruce sint dein expendenda et adprobanda, ut robur et sanctionem obtineant; adeoque ipsi capitulo ius perpetuo tribuimus gaudendi omnibus et singulis gratiis, honoribus, praerogativis, iuribus, privilegiis atque indultis quibus gaudent atque fruuntur caetera cathedralium ecclesiarum capitula in eadem ditione Mexicana instituta, dummodo legitima et in usu sint, nec fuerint ex peculiari concessione vel titulo oneroso data et quaesita.

Aedes pro Episcopo.

§ 8. Firmam insuper ratamque habentes sponsionem nobis factam a praedicto Mexicanae ditionis gubernio, se scilicet impense curaturum ut quamcitius praesto sint aedes necessariae pro Episcopo curia et cancellaria novi episcopatus de Vera Cruce, volumus atque decernimus, ut ad eius pro tempore Antistitis bene instructam commodamque habitationem residentialem, nec non opportunum episcopalis curiae et cancellariae usum perpetuo cum dominio adsignentur illae aedes quas gubernium ipsum debebit iuxta datam fidem illico comparare, atque in hunc usum Episcopo attribuere. Quod si eas interim oporteat conducere, hoc in casu pretium istius locationis et conductionis penitus ab eodem gubernio suppeditandum et satisfaciendum erit, atque adeo magnopere commendamus, ut aedes praesignatae non solum idoneae sint atque decentes, verum etiam quoad fieri poterit proximiores.

De seminario.

§ 9. Quod ad ecclesiasticum seminarium pertinet, cum nihil optabilius utiliusque excogitari possit, quam ut adolescentes in sortem Domini vocati procul a mundi strepitu ac periculis sacrae militiae illic a teneris annis assuescant, uberes aliquando fructus allaturi, congruum idcirco aptumque aedificium quod Mexicanum gubernium in tantum opus se daturum spopondit, nunc pro tunc perpetuo et cum libera proprietate cum pleno dominio dioecesi de Vera Cruce assignamus. Tantopere vero nobis cordi est saluberrima haec institutio, ut facere quidem non possimus quin impense iterum commendemus ut de ecclesiastico eiusmodi adolescentium tyrocinio iuxta Concilii Tridentini praescripta erigendo nulla interposita mora serio cogitetur.

Dotatio.

§ 10. Libenti quidem animo exhibitam Mexicani Gubernii sponsionem datamque fidem excipientes, qua repromisit consulturum singulis omnino rebus ac dotationibus pro hac nova episcopatus et cathedralis ecclesiae de Vera Cruce erectione necessariis atque opportunis, ad quas tamen, uti fertur, praesto iam est duodecim millium scutorum romanorum summa ex decimis ecclesiasticis, quemadmodum dictum est, hauriri solita; impense nihilominus commendamus, ut iuxta sacrorum canonum praescripta, ubi primum fieri poterit, tot adsigentur bona stabilia, quot pro ipsis dotationibus et rebus necessaria fore videbuntur. Interim vero habita peculiarium circumstantiarum ratione, ex causis animum nostrum moventibus, volumus atque decernimus, praedictarum decimarum fructus destinentur atque erogentur in singulas superius memoratas dotationes, eo, scilicet, modo, quem inferius subiungemus. Quatenus autem ipsi decimales reditus et reliqui proventus vel minores reipsa reperiantur, vel decursu temporis fiant, tum quidem fideliter, quemadmodum inferius dicetur, erunt quotannis supplendi usque ad praesignatam duodecim millium scutorum summam.

Ut supra.

§ 11. Itaque futuri pro tempore Antistites cathedralis ecclesiae de Vera Cruce possint eo quo par esset decore dignitatem episcopalem tueri, totque impendiis pro certo eiusdem dioeceseos regimine et administratione necessariis satisfacere, utque consultum sit quoad melius nunc fieri datum est congruere substentationi

canonicorum, capellanorum seu mansionariorum et clericorum, sicuti supra dictum est, in ea cathedrali constituendorum, praeterea ut tam ipsius cathedralis fabricae manutenendae, quam sacrario ad ecclesiasticas expensas inibi continuo exequendas praesto iugiter sit dos opportuna, ac denique ut seminarium dioecesanum, uti supra itidem dictum est, insituendum habeat certos annuos redditus, quibus valeat sustentari, volumus atque decernimus ut ex praenunciata duodecim millium scutorum romanorum summa adsignentur, penitusque adiudicentur, annua quatuor millia scutator. roman. pro illa mensa episcopali, alia tria millia scutata pro mensa capitulari inter quatuor praesignatos eius capituli canonicos dividenda, et singillatim cuique eorum impertienda prudenti arbitrio executoris praenominatarum litterarum apostolicarum deputandi, alia autem octingenta scutata pro congruis praebendis, quae conferendae sunt totidem capellanis sive mansionariis et clericis ibidem instituendis ad eum usque numerum, qui pro rerum, locorum ac personarum circumstantiis accommodatus visus fuerit ipsi litterarum apostolicarum exquutori; facta, scilicet, eidem potestate, ut ipse prudenti suo arbitrio queat octingenta illa scutata dividere prout convenientius censuerit, atque, ubi ea fuerint divisa, in congruas uniuscuiusque illorum praebendas constituere; alia dein scutata millia pro quotidianis distributionibus faciendis inter eos qui choralibus functionibus interfuerint; alia insuper scutata millia et biscentum pro dotatione illius fabricae et sacrarii; reliqua demum scutata bis millia pro seminarii dioecesani convenienti dotatione.

Ut supra.

§ 12. Quod si quandocumque compertum fuerit annuos 'praedictarum decimarum redditus qualibet de causa non assurgere ad perhibitam duodecim millium scutorum romanorum summam, erogandam, uti praefertur, constituendamque pro praebendis et singulis dotationibus supramemoratis, praecipimus et declaramus quod illico ipso sufficienti supplemento augeantur ex aere publico illius civilis Gubernii de Vera Cruce, quemadmodum in praehabitis eius sponsionibus prostat. Quas inter illae quoque numerantur, quibus Mexicanum Gubernium se curaturum adpromisit, ut ad augendum canonicorum numerum aliae eo in capitulo cathedrali canonicales praebendae qua primum fieri poterit instituantur, utque sacrae supellectilis nitor ac decus ad maiorem divini cultus splendorem tum in capitularibus functionibus, tum in pontificalibus peragendis augeatur. Quas quidem Gubernio promissiones, quemadmodum ratas habemus, ita quoque optatum exitum easdem habituras esse non dubitamus.

De seminario erigendo.

§ 13. Quod si fortasse vel propter nimiam sacerdotum iis in regionibus inopiam, sive propter alias iustas causas et rationabiles, nequeat illico omni ex parte exequutioni mandari praestituta erectio dicti capituli novae cathedralis de Vera Cruce ut supra perficienda cum capellanis seu mansionariis et clericis adsciscendis instituendisque, vel si in praesentiarum fieri non possit quin illic differatur institutio seminarii dioecesani superius decreta, futuro Episcopo de Vera Cruce committimus, ut nihilominus ipse priori in casu exigat singulos annuos redditus, qui pro iis sive canonicis sive capellanis aut mansionariis et clericis, nec non pro quotidianis distributionibus sunt destinati, et curet ut quidquid nummorum fuerit inde cumulatum, in tot bona stabilia vel census, quatenus fieri poterit, convertatur, adiecta lege, ut ipsa bona vel census aut eadem nummorum summa, si in bonis stabilibus vel censibus convertire nequiverit, penitus erogentur ad augendum earum praebendarum cathedralium numerum aut dotationem, sive ad alium usum pro ipsa cathedrali ecclesia, quemadmodum magis in Domino expedire iudicaverit: in altero autem exigat proventus, ut praefertur, adsignandos pro dote illius seminarii, eosque cum obventuris novis fructibus ipsi seminario penitus attributos esse decernat, ac sive illi ab eodem Antistite in bona stabilia vel census converti potuerint, sive in pecunia relinqui contigerit, eidem tamen Episcopo licitum sit singulas istiusmodi pecunias et redditus dotationis antedictae in eiusdem seminarii utilitatem vel commoditatem abhibere atque impendere, quemadmodum ei magis in Domino expedire visum fuerit.

Ut supra.

§ 14. Si praedictum capitulum Cathedralis de Vera Cruce propter iustas causas nullatenus queat nunc e vestigio institui, sique interim acciderit vacatio eius episcopatus, hoc in casu peculiari, habita eorum locorum et aliarum circumstantiarum ratione, ut porro absque iactura

expeditius maiorique commoditate illius dioeceseos procuratio queat aliquo modo continuari, statuimus legitimum eiusdem dioeceseos administratorem cum facultatibus competentibus de iure vel de legitima consuetudine protinus, donec novus Pastor ipsi episcopatui rite praefectus fuerit, futurum esse illum qui in munere atque exercitio Vicarii generalis Episcopi de Vera Cruce extiterit eo tempore quo ipsius episcopatus acciderit vacatio; si vero nullus eo temporis momento ibi adfuerit Vicarius generalis, tunc quidem recursum haberi volumus ad Archiepiscopum pro tempore Mexicanum, cuius metropoliticae iurisdictioni, sicuti inferius edicetur, subiecta erit haec nova ecclesia de Vera Cruce, seu ad hoc ipsum negocium iuxta circumstantias forsan aliquando extituras recte planeque serventur ea, quae in id praescripta inveniuntur.

De futuro dioecesis administratore.

§ 15. Quandoquidem profecto aequum et dignum censetur, ut ex una parte administratori eiusmodi congruum honorarium pro muniis oneribusque ab eo exantlandis in praefata eiusdem episcopatus seu dioecesis administratione procuranda tribuatur ex reditibus illius mensae episcopalis, ex altera autem parte aequum videatur ut ipsius mensae reditus tempore vacationis Episcopo dein successuro reserventur, quibus facilius occurrere idem possit impensis in receptione ac statu dignitatis episcopalis substinendis, praecipimus atque statuimus, ut tempore vacationis eiusdem episcopatus medietas omnium quorumlibet illius mensae redituum pro rata temporis vacationis attribuatur atque adiudicetur praeindicato Vicario seu administratori; altera vero medietas fideliter adservetur Episcopo de Vera Cruce subinde praeficiendo.

Iure metropolitico Mexicani Archiepiscopi subiicit.

§ 16. Quibus praestitutis, volumus etiam ut episcopalis ecclesia de Vera Cruce metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore Mexicani subiecta sit, ideoque ipsa fruatur iis omnibus facultatibus, exemptionibus, praerogativis et iuribus quae ad caeteras suffraganeas Mexicani Archiepiscopi, sicuti moris et iuris est, legitime pertinent, vel pertinere contigerit.

Taxa.

§ 17. Fructus vero eiusdem novae ecclesiae de Vera Cruce de more taxari florenos auri de Camera triginta tres cum tertia ipsius floreni parte, atque huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae et s. Collegii describi iubemus.

Literarum apostol. executor.

§ 18. Ut vero cuncta a nobis disposita in supra exaratis articulis ad suum perducantur effectum, ven. fratri Francisco Paulo Vasquez hodierno Episcopo ecclesiae Ilascalensis, quem harum litterarum nostrarum vi exequutorem eligimus ac deputamus, necessarias omnes et opportunas ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates, ut per se vel per aliam personam in ecclesiast. dignitate constitutam ab eo subdelegandam omnia statuere ac decernere valeat, ac etiam cum facultate eidem exequutori sive eius subdelegato definitive, libere ac licite pronuntiandi super quacumque oppositione in actu exequutionis quomodolibet forsan oritura; iniuncta ipsi obligatione diligenter in decreto executoriali describendi fines novae dioecesis de Vera Cruce ac mittendi ad Apostolicam Sedem intra sex menses ab expleta litterarum apostolicarum executione exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium, quae in harum litterarum exequutionem emittet, ut in tabulario Congregationis rebus consistorialibus praepositae de more asservetur.

Literarum validitatem decernit.

§ 19. Praesentes vero litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint ac promissis non consenserint, eorum consensui, quatenus opus sit, de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel aliquo etiam substantiali defectu notari, impugnari aut in controversiam vocari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus.

Clausulae.

§ 20. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum dispositionibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis.

§ 21. Volumus praeterea ut harum literarum transumptis etiam impressis, ma-

nu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, erectionis, institutionis, assignationis, attributionis, subiectionis, concessionis, indulti, commissionis, deputationis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae, millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, nonis ianuarii pontif. nostri anno decimo quarto.

CCXXXIX.

Exemptio Ecclesiarum Sancti Thomae atque Angolen. in Africa a iure metropolitico sedis archiepiscopalis SSmi Salvatoris in Brasilia, earumque subiectio iurisdictioni Patriachali Lisbonen.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Quae olim a Summis Pontificibus praedecessoribus nostris sapientissime constituta sunt, immutatis rerum ac temporum circumstantiis interdum expedit, ut ad maiorem Catholicae Ecclesiae ac fidelium utilitatem in novum ordinem redigantur. Iam vero eas inter ecclesias, quae suffragantur vacanti Metropolitanae Sanctissimi Salvatoris positae in America Meridionali seu in Brasilia, nunc recensentur et illae in Africa extantes episcopales ecclesiae a S. Thoma et de Angola nuncupatae, quae antea in suffraganeas patriarchali ecclesiae Lisbonensi fuerant attributae. Antea porro quum eos inter populos pateretur venalium mancipiorum commercium, continuae inde oriebantur occasiones, quibus aditus reditusque ab episcopalibus S. Thomae et de Angola ad eam Metropolitanam Sanctissimi Salvatoris, et vicissim ab hac ad illas contingebant. At vero nostris hisce temporibus, quum reprobandum eiusmodi mancipiorum commercium providentissima legum dispositione vetitum omnino atque abolitum fuerit, nec eadem locorum rerumque conditio permanserit, nobis expositum fuit rariorem in praesentiarum difficilioremque ab Africa in Americam communicationem evasisse inter ipsam Metropolitanam Sanctissimi Salvatoris ecclesiam et suffraganeas ecclesias quas memoravimus. Quapropter non levia profecto incommoda ac spiritualium utilitatum iacturas illos fideles pati perhibentur, qui in amplissimis eorum episcopatuum territoriis degunt; quandoquidem minus nunc valent Metropolitanum Antistitem vel adire vel res ecclesiasticas ad eiusdem iurisdictionem auctoritatemque pertinentes illuc transmittere, ut ipsae, quemadmodum par esset, expediantur. Idcirco valde opportunum in praesentiarum fore ratum est, si eaedem episcopales ecclesiae S. Thomae atque Angolen. in posterum alterius potius Antistitis iurisdictioni metropoliticae subiicerentur. Quapropter carissima in Christo filia nostra Maria Secunda fidelissima Portugalliae et Algarbiorum Regina impensissimas nuper preces per suum apud Apostolicam hanc Sedem legatum plenipotentiarium dilectum filium Ioannem Petrum Commendatarium Migueis de Carvalho de Brito nobis offerre curavit, ut memoratas ecclesias Sancti Thomae atque Angolen. a metropolitico iure praefati archiepiscopatus SSmi Salvatoris modo vacantis penitus eximere, easdemque patriarchali Lisbonensi ecclesiae in suffraganeas assignare ac subiicere apostolica auctoritate vellemus, ut eosdem inter ac Metropolitanum Antistitem facilior communicatio ac nexus haberetur. Qua occasione memoratum est, huiusmodi vota et supplicationes ad ipsam hanc Sanctam Sedem sub anno MDCCCXXVIII. porrexisse, qui tunc Lisbonensem Patriarchatum obtinebat, S. R. E. Cardinalis De Silva; ast eiusmodi negocium ob subortas rerum vicissitudines infectum permansisse.

Cunctis itaque superius expositis matura deliberatione perpensis, eo libentius praelaudatae Portugalliae et Algarbiorum Reginae fidelissimae postulationibus obsecundare constituimus, quod plane viderimus id quidem in maiorem illorum Christifidelium commoditatem utilitatem-

que cessurum; proindeque derogantes ac supplentes, quatenus opus sit, consensui quorumcumque interesse habentium, cathedralem ecclesiam Sancti Thomae insimulque alteram Angolensem a iurisdictione metropolitica archiepiscopatus Sanctissimi Salvatoris in Brasilia perpetuo penitusque exemptas declaramus, easque sic liberas atque exemptas metropolitico iuri metropolitanae ecclesiae patriarchalis Lisbonensis perpetuo pariter subiicimus, ac in eius suffraganeas designamus, ita ut patriarchalis ecclesia metropolitana Lisbonensis ac eius pro tempore Antistites omnibus et singulis iuribus, privilegiis, honoribus et facultatibus in ipsas ecclesias Sancti Thomae atque Angolen. omnino ac inviolabiliter polleant, quae nempe cunctis Metropolitis ex sacrorum canonum apostolicarumque constitutionum praescripto in suffraganeas ecclesias inesse dignoscuntur, contrariis quibuscumque speciali etiam mentione dignis non obstantibus.

In praemissorum autem omnium exequutorem deputamus venerabilem fratrem Camillum De Petro Archiepiscopum Berytensem nostrum apud fidelissimam Portugalliae et Algarbiorum Reginam Mariam Secundam internuntium extraordinarium et delegatum apostolicum, cum omnibus facultatibus in id negocii necessariis et opportunis, facta quoque ipsi venia subdelegandi aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam et decernendi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, remota qualibet appellatione, adiecta tamen lege, ut decretorum omnium, quae in hac exequutione emittet, exemplar authentica forma exaratum diligenter transmittat ad hanc sacram Congregationem consistorialibus rebus praepositam, ut in eiusdem archivio de more asservetur.

Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes, vocati et auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, eorum consensui, quatenus opus sit, de apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari aut in controversiam vocari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis ac in synodalibus, provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum dispositionibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea ut harum literarum nostrarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, subiectionis, mandati, decreti, derogationis, deputationis, concessionis, indulti, commissionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, idibus ianuarii, pontificatus nostri an. XIV. (1).

CCXL.

Carolum Pooten administratorem apostolicum archidioecesis Antibarensis nominat (2).

Dilecto filio presbytero Carolo Pooten,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quum ad componenda ecclesiastica negotia in archidioecesi Antibarensi necesse prorsus visum fuerit administratorem apo-

(1) Ex Abrev. de Curia, vol. 1820-1853.

(2) Ex Reg. Brevium vol. V., p. 141-145.

stolicum statuere, suspenso interim ac remoto ven. fratre Vincentio Battucci Archiepiscopo ab exercitio episcopalis iurisdictionis, nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te de cuius pietate, doctrina, prudentia ac fidei catholicae promovendae studio praeclara accepta sunt testimonia, in huiusmodi administratorem eligere statuimus. Te igitur, quem Episcopum Maronien. in partibus infidelium per similes apostolicas litteras hoc ipso die datas renuntiavimus, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, administratorem apostolicum archidioecesis Antibarensis, suspenso interim ac remoto ab exercitio iurisdictionis episcopalis ven. fratre Vincentio Battucci Archiepiscopo, cum omnibus et singulis facultatibus quibus ipse Vincentius potiebatur, auctoritate nostra apostolica hisce literis eligimus, constituimus et deputamus. Mandamus propterea omnibus et singulis, ad quos spectat, ut te in administratorem apostolicum huiusmodi recipiant et admittant, tibique faveant, pareant ac praesto sint, tuaque mandata efficaciter adimpleant, secus sententiam, seu poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus ac faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. febr. MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCXLI.

Carolo Pooten administratori archidioecesis Antibarensis titulum ecclesiae Maronien. sub Arch. Traianopolitan. confert (1).

Dilecto filio presbytero Carolo Pooten,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum atque inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 2. Postmodum vero episcopali ecclesia Maronien. sub Archiepiscopo Traianopolitan. in partibus infidelium solatio pastoris destituta, nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni nos fecerunt certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nemo praeter nos se potest seu potuit intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac solicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem et fructuosam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negociis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, ad te qui ex legitimo matrimonio procreatus existis et in aetate etiam legitima constitutus, quique pietate, doctrina, prudentia, atque evangelicis laboribus et catholicae fidei propagandae studio summopere praestas, oculos mentis nostrae reximus. Quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo et quacumque de

(1) Ex Reg. Brevium vol. V., pag. 145-146.

causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem episcopalem ecclesiam Maronien. de persona tua, nobis et memoratis Cardinalibus accepta ob tuorum exigentiam meritorum, de eorumdem fratrum consilio, auctoritate apostolica tenore praesentium providemus, teque illi in Episcopum praeficimus atque pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod, dirigente Domino actus tuos, praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigatur, et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat.

§ 3. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris ita studeas fideliter gerere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu, praeter aeternae retributionis praemium, nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Tibi praeterea ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud illam personaliter residere minime tenearis, auctoritate nostra apostolica concedimus et indulgemus. Tibi insuper a quocumque malueris catholico Antistite S. huius Sedis gratiam et communionem habente, adcitis illique adsistentibus duobus aliis Episcopis, vel, si commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris secularibus vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti regularibus, similem S. huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recepere libere possis, atque eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos ab hac S. Sede propositos et nostro et Romanae Ecclesiae fidelitatis debitae iuramento, dictum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, plenam ac liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen ac praecipimus ut, nisi receptis a te iuramento ac professione fidei huiusmodi, dictus Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

§ 4. Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. feb. MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCXLII.

Vicario Ap. Guineae titulum episc. ecclesiae Eucarpien. confert relicto titulo Constantinen. (1).

Venerabili fratri Eduardo Barron Episcopo Eucarpiensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Per similes nostras apostolicas litteras die III. octobris anno MDCCCXLII. datas te Vicarium Apostolicum in superiori atque inferiori Guinea atque in tota illa regione quae « Sierra Leone » appellatur, electum ad episcopalem dignitatem eveximus, atque Episcopum Constantinensem vulgo *di Constantina* renuntiavimus. Cum autem eadem ipsa Constantinensis ecclesia in Iuliocaesariensi seu Algeriana ditione existat, et in praesentia venerabilis fratris Episcopi Algeriani iurisdictioni sit subiecta, ac idcirco vacare omnino debeat, tum ad aliam episcopalem ecclesiam te, venerabilis frater, transferendum esse iudicavimus. Itaque peculiari te beneficientia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce litteris motu proprio, certa scientia, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, te ab ecclesia Constantinensi omnino solvimus, atque ad episcopalem ecclesiam Eucarpiensem, quae in Phrygia Asiae Minoris

(1) Vide supra lit. *De universi Dominici gregis.*

sub Archiepiscopo Synaadensi in partibus infidelium existit, transferimus, ita ut, iam nunc dimisso titulo episcopali Constantinensi, in posterum Eucarpiensis Episcopus appellari et haberi debeas. Quamobrem te in eiusdem Eucarpiensis ecclesiae Episcopum praeficimus ac pastorem, curam regimen administrationem illius tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praefata ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur, et in spiritualibus ac temporalibus Orthodoxa Religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris ita studeas fideliter gerere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Tibi praeterea, ut ad ecclesiam praefatam, quandiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud illam personaliter residere minime tenearis, auctoritate nostra apostolica concedimus et indulgemus. Tibi insuper a quocumque malueris catholico Antistite S. huius Sedis gratiam et communionem habente, adcitis illique adsistentibus duobus aliis Episcopis, vel, si commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus, vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti regularibus, similem S. huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere possis, atque eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos ab hac S. Sede propositos et nostro et Romanae Ecclesiae fidelitatis debitae iuramento, dictum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, plenam ac liberam tribuimus facultatem. Volumus tamen ac praecipimus ut, nisi receptis a te iuramento ac professione fidei huiusmodi, dictus Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die II. martii MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCXLIII.

Queritur cum Episcopo Neo-Aurelianensi de conatibus aedituorum contra potestatem episcopalem; quos improbat, illosque monitos vult ut resipiscant, ne poenis ecclesiasticis plectantur.

Venerabili fratri Antonio Episcopo Neo-Aurelianensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiae universae procurationem meritis quamvis imparibus divino Providentiae consilio gerentes, nihil sane habemus antiquius, quam ut Episcoporum potestas ac iura sarta tecta serventur, quique illa pessumdare ausu improbo velint, ipsorum audaciam auctoritate nostra apostolicâ retundamus.

§ 1. Gravem sane dolorem inusserunt nobis literae tuae, ven. frater, quibus illud significasti, paroeciae istius Neo-Aurelianensis aedituos plura miscere ac conari ad episcopalis tuae potestatis iura proterenda, gravesque eâ de re turbas fuisse istic concitatas. Profecto iam inde ab anno MDCCCXXVIII. fel. rec. Leo XII. praedecessor noster per similes apostolicas literas datas Administratori Apostolico istius ecclesiae aedituorum audaciam improbavit, curavitque coercendam, eosque ad bonam frugem revocare contendit. Nunc vero, quoniam obliti eiusdem praedecessoris nostri paterna monita, ac pristinum facinus renovantes, episcopalem tuam auctoritatem dignitatemque proculcare non dubitant, non possumus, ven. frater, quin tuis votis obsecundantes, ad improbos illorum conatus comprimendos apostolicam nostram auctoritatem exeramus. Quamobrem hisce literis malos istorum aedituorum ausus contra episcopalem tuam potestatem improbamus, atque improbandos ab omnibus esse decernimus, eosque mo-

nitos volumus, secum ut reputent, quanto se scelere obstringant qui catholicae ecclesiae disciplinam funditus convellere adnitantur. Quare, ven. frater, hos nostros animi sensus aedituis Neo-Aurelianensibus manifestes, illudque significes, nisi resipuerint, dignos plane videri in quos ecclesiasticis poenis districte animadvertatur. Confidimus autem, eos paternis nostris vocibus audientes futuros, ac facti poenitentes ad bonam frugem redituros, sic ut quanto nos iam moerore affecerint episcopalis tuae potestatis iura proterentes, tantam allaturi laetitiam sint pastoris sui potestati, uti par est, sese omnino in posterum submittentes. Ceterum, ven. frater, perge, ut facis, seduli pastoris partes explere, et a malorum insidiis, quae ubique latent, gregem servare tuae curae concreditum. Totam vero paternae nostrae solicitudinis ac studii apostolicam benedictionem tibi gregique tuo peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXVI. martii MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCXLIV.

Regiones ad Sinum Hudsonium et Iacobinianum (vulgo Baje d'Hudson et de James) *ab archiepiscopatu Quebecensi separat, et in Vicariatum Apostolicum constituit, cuius fines determinat* (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii supremâ Dei providentiâ humeris notris impositi grave sane onus ferentes, totiusque gregis dominici curam gerentes, illis praesertim ovibus, quae regiones ab hac Apostolicâ Sede longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae intra verum ovile, ad pascua coelestia feliciter perducantur.

§ 1. Hinc, quum ven. frater Iosephus Signay Archiepiscopus Quebecensis nobis exposuerit, religioni catholicae plurimum utile futurum, si vicariatus apostolicus erigatur, qui illum terrarum tractum complectatur, qui irrigatur per amnes ad Sinum Hudsonium (gallice *la Baje d'Hudson*) et ad sinum Iacobinianum (gallice *la Baje de James*) currentes, terminaturque ad austrum per 49. gradum latitudinis septemtrionalis, ad occasum per catenam montium lapideorum (gallice *les Montagnes de Roches*), ad orientem per provinciam unitam Canadae, ad septemtrionem per mare glaciale; cumque idem Archiepiscopus omnem iurisdictionem suam in ea loca idcirco dimiserit: nos de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, praedicti Archiepiscopi Quebecensis petitioni censuimus adnuendum.

§ 2. Motu igitur proprio atque ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione deque

---

(1) Novo Vicariatui ap. in regionibus ad Sinum Hudsonium et Sinum Iacobinianum erecto Ep. Iuliopolitanum praeficit.

Venerabili fratri Francisco Norberto Provencher Episcopo Iuliopolitano,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pastorale officium nobis ex alto commissum postulat, ut quibusque rebus, omnibusque modis, spirituali Christifidelium bono continenter vehementerque consulamus. Quum itaque ad religionis bonum et fidelium utilitatem novum vicariatum apostolicum constituimus, qui regiones ad Sinum Hudsonium et Sinum Iacobinianum positas complectatur, quae antea ad dioecesim Quebecensem pertinebant, cumque ven. frater Archiepiscopus Quebecensis omnem in eas regiones iurisdictionem dimiserit, nos eiusdem vicariatus apostolici regimen Vicario Apostolico charactere episcopali insignito committendum duximus. Quare de tua doctrina, fide, integritate, prudentia, et Catholicae Religionis zelo quamplurimum in Domino confisi, quod ea, quae tibi committenda duxerimus, cumulate sis expleturus, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum in iisdem regionibus ad Sinum Hudsonium et Sinum Iacobinianum sitis Vicarium Apostolicum ad nostrum et Apostolicae Sedis beneplacitum cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis tenore praesentium eligimus, constituimus ac renuntiamus. Mandamus proinde omnibus et singulis ad quos spectat, ut te in Vicarium Apostolicum huiusmodi recipiant et admittant, tibique faveant, pareant ac praesto sint, tuaque mandata efficaciter adimpleant, secus sententiam seu poenam quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, ac faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XVI. aprilis MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vi in praedictis regionibus ad Sinum Hudsonium seu *la Baja d'Hudson* et ad Sinum Iacobinianum, vulgo *la Baja de James,* positis Vicariatum Apostolicum erigimus ac constituimus, qui per Vicarium Apostolicum a nobis atque ab hac Apostolicâ Sede nominandum in posterum regatur.

§ 3. Decernentes hasce literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XVI. aprilis MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCXLV.

De Societatis Biblicae conatibus contra Verbum Scripturarum scribit; calumniasque de prohibita Scripturarum lectione refutat; contra molimina sociorum Foederis Christiani *antistites et populos edocet etc.*

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Inter praecipuas machinationes, quibus nostra hac aetate acatholici diversorum nominum insidiari cultoribus catholicae veritatis, eorumque animos a sanctitate fidei avertere connituntur, haud ultimum tenent locum Societates Biblicae, quas in Anglia primum institutas ac longe hinc lateque diffusas, facto veluti agmine in id conspirare conspicimus, ut divinarum Scripturarum libros vulgaribus quibusque linguis interpretatos permagno edant exemplarium numero, eosque inter christianos iuxta atque infideles nullo delectu disseminent, et horum quemlibet ad illos nullo duce legendos alliciant. Ita igitur, quod suo iam tempore lamentabatur Hieronymus (1), et *garrulae anui* et *deliro seni* et *sophistae verboso* et *universis,* si modo legere norint, cuiusque conditionis hominibus communem faciunt artem Scripturarum sine magistro intelligendarum: immo, quod longe absurdissimum, peneque inauditum est, ne ipsas quidem infidelium plebes ab eiusmodi intelligentiae communione excludunt.

§ 2. Sed vos quidem minime latet, venn. fratres, quorsum haec societatum earumdem molimina pertineant. Probe enim nostis consignatum in sacris ipsis litteris monitum Petri Apostolorum Principis, qui post laudatas Pauli Epistolas, esse ait in illis *quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem:* statimque adiicit: *vos igitur, fratres, praescientes custodite; ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate* (2). Hinc et perspectum vobis est vel a prima christiani nominis aetate hanc fuisse propriam haereticorum artem, ut, repudiato verbo Dei tradito, et Ecclesiae Catholicae auctoritate reiecta, Scripturas aut *manu* interpolarent, aut *sensus expositione* interverterent (3). Nec denique ignoratis, quanta vel diligentia vel sapientia opus sit ad transferenda fideliter in aliam linguam eloquia Domini; ut nihil proinde facilius contingat, quam ut in eorumdem versionibus per Societates Biblicas multiplicatis gravissimi ex tot interpretum vel imprudentia vel fraude inserantur errores; quos ipsa porro illarum multitudo et varietas diu occultat in perniciem multorum. Ipsarum tamen societatum parum aut nihil omnino interest, si homines Biblia illa vulgaribus sermonibus interpretata lecturi in alios potius quam alios errores dilabantur; dummodo assuescant paullatim ad liberum de scripturarum sensu iudicium sibimetipsis vindicandum, atque ad contemnendas traditiones divinas ex Patrum doctrina in Ecclesia Catholica custoditas, ipsumque Ecclesiae magisterium repudiandum.

§ 3. Hunc in finem biblici iidem socii Ecclesiam sanctamque hanc Petri Sedem calumniari non cessant, quasi a pluribus iam saeculis fidelem populum a sacrarum Scripturarum cognitione arcere conetur; quum tamen plurima extent eademque luculentissima documenta singularis stu-

---

(1) Epist. ad Paulinum § VII., quae est Epistola LIII., tom. I. Op. S. Hieron. edit. Vallarsii.

(2) 2 Petri III., 16, 17.

(3) Tertullianus lib. *de Praescriptionibus* adversus haereticos cap. 37, 38.

dii, quo recentioribus ipsis temporibus Summi Pontifices, ceterique illorum ductu catholici Antistites usi sunt, ut catholicorum gentes ad Dei eloquia scripta et tradita impensius erudirentur. Quo imprimis pertinent decreta Tridentinae Synodi, quibus nedum Episcopis mandatum est, ut *sacras Scripturas divinamque Legem* frequentius per dioecesim annuntiandam curarent (1), sed, ampliata insuper Lateranensis Concilii (2) institutione, provisum, ut in singulis ecclesiis seu cathedralibus seu collegiatis Urbium insigniorumque Oppidorum non deesset theologalis praebenda, eademque conferretur omnino personis idoneis sacrae Scripturae exponendae et interpretandae (3). De ipsa postmodum theologali praebenda ad Tridentinae illius sanctionis normam constituenda, et de lectionibus a canonico theologo ad clerum atque etiam ad populum publice habendis, actum est in plurimis Synodis Provincialibus (4), nec non in Romano Concilio anni MDCCXXV. (5), in quod Benedictus XIII. fel. rec. praecessor noster nedum sacros Antistites Romanae provinciae, sed plures etiam ex Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis Sanctae huic Sedi nullo modo subditis convocaverat (6). Idem praeterea Summus Pontifex eumdem in finem nonnulla constituit in apostolicis litteris, quas pro Italia nominatim insulisque adiacentibus dedit (7). Vobis denique, venerabiles fratres, qui de conditione sacrarum rerum in cuiusque dioecesi ad Sedem Apostolicam statis temporibus referre (8) consuevistis, ex responsis per nostram Congregationem Concilii ad decessores vestros aut ad vos ipsos iterum iterumque datis, perspectum est, quemadmodum Sancta eadem Sedes et gratulari Episcopis soleat si praebendatos theologos habeant in publicis sacrarum litterarum lectionibus munere suo bene fungentes, et numquam intermittat excitare atque adiuvare pastorales illorum curas, si alicubi res adhuc ex sententia non successerit.

§ 4. Ceterum ad translata in vulgares linguas Biblia quod attinet, multis iam abhinc saeculis contigerat, ut diversis in locis sacri Antistites maiore interdum vigilantia uti debuerint, ubi versiones huiusmodi aut in occultis lectitari conventiculis, aut per haereticos impensius diffundi animadverterent. Atque huc spectant monita et cautiones adhibitae ab Innocentio III. glor. mem. decessore nostro circa laicorum mulierumque coetus sub pietatis obtentu et legendarum scripturarum causa secreto habitos in Metensi dioecesi (9): nec non et peculiares vulgarium bibliorum interdictiones, quas sive in Galliis paulo post (10), sive in Hispaniis ante saeculum XVI. (11) latas invenimus. Sed ampliore postmodum providentia opus fuit, cum Luterani Calvinianique acatholici, incommutabilem fidei doctrinam incredibili prope errorum varietate oppugnare ausi, nihil intentatum relinquebant ut fidelium mentes deciperent perversis explicationibus sacrarum litterarum, editisque per suos asseclas novis illarum in popularem sermonem interpretationibus; quarum quidem exemplis multiplicandis et citissime divulgandis inventae nuper typographicae artis praesidio iuvabantur. Itaque iis in regulis, quae a Patribus a Tridentina Synodo delectis conscriptae et a Pio IV. felic. mem. praedecessore nostro (12) approbatae, Indicique librorum prohibitorum praemissae sunt, generali sanctione statutum legitur, ut Biblia vulgari sermone edita non aliis permitterentur nisi quibus illorum lectio ad *fidei atque pietatis augmentum* profutura iudicaretur (13). Huic eidem regulae, nova subinde propter perseverantes haereticorum

(1) Sess. 24, c. 4 de Ref.

(2) Concil. Lateran. anni MCCXV. sub Innocentio III. cap. XI. quod in corpus iuris relatum est cap 4 *de Magistris*.

(3) Trid. sess. 5, c. 1 de Ref.

(4) In Concil. Mediol. I. an. MDLXV. par. I., tit. 5 *de Praeb. Theol.*, Mediol. V. an. MDLXXIX. par. 3, tit. 5 *quae ad Benefictor. collat. attin.*, Aquensi an. MDLXXXV. tit. *de Canonicis*, et aliis plurib.

(5) Tit. I., cap. 6 seqq.

(6) In litteris indictionis Concilii XXIV. decembris MDCCXXIV.

(7) Const. *Pastoralis officii* XIV. kal. iunii anno MDCCXXV.

(8) Ex Constit. Sixti V. *Romanus Pontifex* XIII. kal. ian. an. MDLXXXV. et Const. Bened. XIV. *Quod Sancta Sardicensis Synodus* IX. kal. dec. MDCCXL. tom. I. Bullar. eiusdem Pontif., et ex Instructione, quae extat in Append. ad dict. tom. I.

(9) In tribus litteris datis ad Metenses, atque ad illorum Episcopum et capitul., nec non ad Abbates Cisterciensem, Morimundensem, et de Crista, quae sunt Epist. CXLI. CXLII. lib. II., et Epist. CCXXXV. libri III. in edition. Balutii.

(10) In Concil. Tolosano anni MCCXXIX. can. 14.

(11) Ex testimonio Cardinalis Pacecco in Concilio Tridentino (apud Pallavicinum, storia del Concil. di Trento, lib. 6, cap. 12).

(12) In Constitut. *Dominici gregis* XXIV. martii MDLXIV.

(13) In Regulis Indicis III. et IV.

fraudes cautione constrictae, ea demum auctoritate Benedicti XIV. adiecta declaratio est, ut permissa porro habeatur lectio vulgarium versionum, quae *ab Apostolica Sede approbatae,* aut *cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae patribus vel ex doctis catholicisque viris* editae fuerint (1).

§ 5. Non defuere interim novi ex Iansenii schola Sectarii, qui hanc Ecclesiae Sedisque Apostolicae prudentissimam oeconomiam mutuato a Luteranis Calvinianisque stilo reprehendere non sunt veriti, quasi Scripturarum lectio unicuique fidelium generi omni tempore atque ubique locorum utilis et necessaria esset, atque ideo nemini posset auctoritate ulla interdici. Hanc vero Jansenianorum audaciam graviori censura reprehensam habemus in sollemnibus iudiciis, quae toto plaudente catholico orbe contra illorum doctrinas tulerunt bini rec. mem. Summi Pontifices, nimirum Clemens XI. in constitutione *Unigenitus* anni MDCCXIII. (2), et Pius VI. in Constit. *Auctorem Fidei* anni MDCCXCIV. (3).

§ 6. Ita igitur, antequam instituerentur Societates Biblicae, iamdudum in commemoratis Ecclesiae decretis fideles praemuniti fuerant adversus haereticorum fraudem in specioso illo divinas litteras ad communem usum diffundendi studio latentem. Pius autem VII. glor. rec. praecessor noster, qui societates ipsas suo tempore ortas magnis invalescere auctibus comperit, haud sane abstinuit opponere se illarum conatibus tum per Apostolicos suos Nuntios, tum per epistolas et per decreta a diversis Cardinalium S. R. E. Congregationibus edita (4), tum suis duabus pontificiis litteris quas ad Gnesnensem (5) atque ad Mohiloviensem (6) Archiepiscopos dedit. Subinde Leo XII. fel. mem. decessor noster ipsa illa Biblicorum sociorum molimina persecutus est in encyclicis litteris ad omnes catholici orbis Antistites datis die v. maii an. MDCCCXXIV., idque ipsum denuo fecit novissimus fel. item record. praecessor noster Pius VIII. in encyclica epistola edita die XXIV. Maii an. MDCCCXXIX. Nos tandem, qui meritis longe imparibus in huius locum successimus, haud sane praetermisimus eumdem in finem apostolicam sollicitudinem nostram impendere, atque inter alia curavimus, ut sancitae olim de vulgaribus scripturarum translationibus regulae in fidelium memoriam revocarentur (7).

§ 7. Est autem cur vobis summopere gratulemur, venerabiles fratres, quod, excitati pietate prudentiaque vestra, et supradictis decessorum nostrorum litteris confirmati, haudquaquam neglexistis commonere ubi opus fuit catholicas oves, ut ab insidiis caverent, quae sibi a biblicis sociis struebantur. Ex hisce autem Episcoporum studiis cum supremae huius Petri Sedis solicitudine conspirantibus, benedicente Domino factum est, ut incauti quidam catholici homines, qui biblicis societatibus imprudenter favebant, perspecta subinde fraude, ab eisdem recesserint, et reliquus fidelium populus immunis ferme a contagione permanserit, quae inde illi imminebat.

§ 8. Ea interim spe tenebantur sectarii biblici, ut magnam se consequuturos laudem non ambigerent ex infidelibus ad christiani nominis professionem utcumque inducendis per lectionem sacrorum Codicum vulgari ipsorum lingua editorum, quos ingenti plane exemplarium copia missionariis seu excursoribus a se destinatis, per illorum regiones distribui ac vel nolentibus obtrudi curabant. Sed hominibus christianum nomen praeter regulas a Christo ipso institutas propagare conantibus nihil pene ex sententia contigit, nisi quod potuere interdum nova creare impedimenta catholicis sacerdotibus, qui ad gentes ipsas ex Sanctae huius Sedis missione pergentes nullis parcebant laboribus, ut praedicatione verbi Dei, sacramentorumque administratione novos Ecclesiae filios parerent, parati etiam pro illorum salute atque in testimonium fidei sanguinem suum inter exquisita quaeque tormenta profundere.

§ 9. Iam vero inter sectarios illos sua ita expectatione frustratos, et perdolenti

(1) In Addition. ad dict. Regul. IV. ex Decreto Congregationis Indicis XVII. iunii MDCCLVII.

(2) In proscriptione propositionum Quesnelli a num. 79 ad 85.

(3) In damnatione proposit. Pseudo-Synodi Pistoriensis num. 67.

(4) Inprimis per Epistolam Congregationis Propagandae Fidei ad Vicarios Apostolicos Persiae, Armeniae, aliarumque Orientis regionum datam III. augusti MDCCCXVI. et per Decretum de omnibus huiusmodi versionibus editum a Cong. Indicis XXIII. iunii MDCCCXVII.

(5) Die I. iunii MDCCCXVI.

(6) Die IV. septembris MDCCCXVI.

(7) In Monito adiecto ad Decretum Congregationis Indicis VII. ianuarii MDCCCXXXVI.

recogitantes animo ingentem pecuniae vim hactenus erogatam suis Bibliis edendis nulloque fructu divulgandis, inventi nuper aliqui sunt, qui machinationes suas novo quodam ordine disposuerunt ad Italorum potissimum nostraeque ipsius Urbis civium animos prima veluti aggressione appetendos. Scilicet ex acceptis modo nuntiis documentisque compertum habemus, plures homines diversarum sectarum Neo-Eboraci in America proximo anno convenisse, pridieque idus iunias inivisse novam Societatem *Foederis Christiani* nomine nuncupatam, et aliis porro atque aliis ex omni gente sodalibus, seu constitutis in eiusdem auxilium sodalitiis amplificandam; quorum commune cum ipsis consilium sit, ut religiosam libertatem, seu potius vesanum indifferentiae super religione studium, Romanis Italisque ceteris infundant. Fatentur enimvero a pluribus retro saeculis tantum ubique ponderis habuisse Romanae Italaeque gentis instituta, ut nil magnum in Orbe processerit, quin factum fuerit ab alma hac Urbe principium; quod quidem non ex constituta heic, disponente Domino, suprema Petri Sede, sed ex quibusdam antiquae Romanorum dominationis reliquiis, in usurpata, ut dictitant, a decessoribus nostris potestate permanentibus, derivatum volunt. Quare cum statutum illis sit, populos universos conscientiae seu potius erroris libertate donare, ex qua, veluti e suo fonte, politica etiam libertas cum publicae ad ipsorum sensum prosperitatis incremento dimanet; nihil tamen sibi posse videntur, nisi primum apud Italos Romanosque cives aliquid profecerint, eorum deinceps auctoritate atque studiis penes reliquas gentes magnopere usuri. Atque id facile se assecuturos confidunt, cum tot ubique terrarum Itali sint diversis in locis degentes, indeque in patriam haud levi numero remeantes; quorum non paucos vel novarum rerum studio sua iam sponte incensos, vel corruptos moribus, aut inopia afflictos nullo fere negotio ad nomen societati dandum vel saltem ad suam operam pretio illi vendendam alliciant. Eo igitur curas suas converterunt, ut horum manibus undique conquisitis vulgaria corruptaque Biblia huc advehantur et in manus fidelium clanculum ingerantur: itemque ut distribuantur una simul pessimi alii libri, libellique, ad mentem legentium ab Ecclesiae Sanctaeque huius Sedis obsequio abalienandam, Italorum eorumdem ope compositi, aut in patrium sermonem translati ex aliis auctoribus; inter quos *Historiam reformationis* a Merle d'Aubignè conscriptam et *Memorabilia super reformatione apud Italos* Ioannis Cric praecipue designant. Ceterum de toto hoc librorum genere, quale futurum sit vel ex eo intelligi potest, quod societatis statuto praescriptum fertur circa peculiares sodalium quorumdam coetus librorum delectui destinatos, videlicet ut numquam in hos ne duo quidem unius eiusdem religiosae sectae viri conveniant.

§ 10. Haec ut primum relata ad nos sunt, non potuimus equidem non contristari graviter in consideratione periculi, quod nedum per remota ab Urbe loca, sed prope ipsum catholicae unitatis centrum, incolumitati religionis sanctissimae a sectariis parari cognovimus. Quamvis enim timendum minime sit ne deficiat umquam Petri Sedes, in qua inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum a Christo Domino positum est, non ideo tamen cessare nos licet ab illius auctoritate tuenda; et ipso insuper supremi apostolatus officio admonemur severissimae rationis, quam reposcet a nobis divinus Pastorum Princeps ob succrescentia in Dominico Agro zizania, si quae ab inimico homine nobis dormientibus superseminata fuerint, atque ob creditarum ovium sanguinem quae nostra hinc culpa perierint.

§ 11. Itaque nonnullis S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, ac tota rei causa graviter matureque perpensa, ex eorum quoque sententia deliberavimus hanc ad vos omnes dare Epistolam, venn. fratres, qua et cunctas supradictas societates biblicas dudum a nostris decessoribus reprobatas apostolica rursus auctoritate condemnamus, et nostri pariter supremi apostolatus iudicio reprobamus nominatim et condemnamus memoratam novam societatem *Christiani Foederis* superiore anno Neo-Eboraci constitutam et alia eiusdem generis sodalitia si quae iam ei accesserint aut in posterum accedent. Hinc notum omnibus sit, gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore illos omnes, qui alicui earumdem societatum dare nomen, aut operam suam commodare seu quomodocumque favere praesumpserint. Confirmamus insuper et innovamus auctoritate apostolica super memoratas praescriptiones iamdiu editas su-

per editione, divulgatione, lectione et retentione librorum sacrae Scripturae in vulgares linguas translatorum: de aliis vero cuiusque scriptoris operibus in communem notitiam revocatum volumus, standum esse generalibus regulis et decessorum nostrorum decretis, quae Indici prohibitorum librorum praeposita habentur; atque adeo non ab iis tantum libris cavendum esse qui nominatim in eumdem Indicem relati sunt, sed ab aliis etiam, de quibus in commemoratis generalibus praescriptionibus agitur.

§ 12. Vobis autem, venn. fratres, utpote in nostrae sollicitudinis partem vocatis, commendamus in Domino vehementer, ut apostolicum iudicium, et mandata haec nostra concreditis pastorali procurationi vestrae populis annuntietis et explicetis pro loco et tempore, fidelesque oves a praedicta Societate *Foederis Christiani*, ceterisque eidem auxiliantibus, nec non ab aliis biblicis societatibus, atque ab omni cum illis communicatione avertere connitamini. Iuxta haec vestrum quoque erit tum Biblia in vulgarem linguam conversa, quae contra supradictas Romanorum Pontificum sanctiones edita fuerint, tum alios quoscumque proscriptos damnososve libros e fidelium manibus evellere, atque adeo providere, ut fideles ipsi monitis et auctoritate vestra *edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant* (1). Interim instate quotidie magis, venn. fratres, praedicationi verbi Dei tum per vos ipsos, tum per singulos in cuiusque dioecesi animarum curatores, aliosque viros ecclesiasticos ei muneri idoneos; atque advigilate impensius super illos praesertim, qui destinati sunt lectionibus sacrae Scripturae publicae habendis, ut officio suo ad audientium captum diligenter fungantur et sub nullo umquam obtentu divinas ipsas litteras contra Patrum traditionem aut praeter Ecclesiae catholicae sensum interpretari et explicare audeant. Denique sicut boni pastoris proprium est non modo tueri atque enutrire adhaerentes sibi oves, sed eas etiam, quae in longinqua recesserint, quaerere ac revocare ad ovile; ita et vestri nostrique muneris erit omnes pastoralis studii nervos eo item intendere, ut quicumque ab huiusmodi sectariis, noxiorumque librorum propagatoribus seduci se passi sint, gravitatem peccati sui per Dei gratiam agnoscant, et salutaris poenitentiae remediis expiare satagant: nec vero abiiciendi sunt ab eodem sacerdotalis sollicitudinis studio seductores illorum, praecipuique ipsi impietatis magistri; quorum etsi maior iniquitas sit, non tamen abstinere debemus ab eorum salute, quibus poterimus viis et modis, impensius procuranda.

§ 13. Ceterum, venn. fratres, contra insidias et molimina sociorum *Foederis Christiani* peculiarem et acriorem imprimis vigilantiam exposcimus ab iis ex vestro ordine, qui ecclesias regunt in Italia sitas aut aliis in locis ubi Itali saepius versantur, maxime autem in Italiae confiniis, aut ubicumque emporia portusque extant, unde frequentior in Italiam commeatus est. Cum enim sectariis ipsis propositum sit inibi ad effectum adducere consilia sua, hinc et Episcopos potissimum eorumdem locorum alacri constantique studio nobiscum allaborare oportet illorum machinationibus, adiuvante Domino, dissipandis.

§ 14. Has autem nostras vestrasque curas adiutum iri non dubitamus praesidio civilium potestatum, inprimis potentissimorum Italiae principum tum pro singulari suo studio religionis catholicae conservandae, tum quod ipsorum prudentiam minime fugit publicae etiam rei interesse plurimum, ut supradicta sectariorum molimina in irritum cadant. Constat enim, diuturnoque superiorum temporum experimento comprobatum est, populis a fidelitate atque obedientia erga suos principes retrahendis non aliam esse planiorem viam, quam indifferentiam in religionis negotio a sectariis sub religiosae libertatis nomine propagatam. Atque id ne dissimulant quidem novi illi sodales *Foederis Christiani:* qui licet se se alienos profiteantur a civilibus seditionibus concitandis; ex vindicato tamen unicuique de plebe bibliorum interpretandorum arbitrio, diffusaque ita in Italorum gentem omnimoda quam vocant libertate conscientiae, politicam pariter Italiae libertatem sua veluti sponte consequuturam fatentur.

§ 15. Quod vero primum et maximum est, levemus una simul manus nostras ad Deum, venn. fratres, eique nostram, totiusque gregis et Ecclesiae suae causam omni, qua possumus, fervidarum precum

(1) Ex mandato Leonis XII. edito una cum Decreto Congregat Indicis XXVI. martii MDCCCXXV.

humilitate commendemus; invocata etiam deprecatione piissima Petri Apostolorum Principis, aliorumque Sanctorum ac praesertim Beatissimae Virginis Mariae, cui datum est cunctas haereses interimere in universo mundo.

§ 16. Ad extremum, nostrae pignus ardentissimae caritatis apostolicam benedictionem vobis omnibus, venn. fratres, et concreditis curae vestrae clericis, laicisque fidelibus effuso cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum postridie IX. maii MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCXLVI.

Librum gallice conscriptum Paroles d'un Croyant, *quo populi corrumpuntur ad ordinem socialem dissolvendum, damnatum esse decernit* (1).

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Singulari nos affecerant gaudio illustria fidei, obedientiae ac religionis testimonia, quae de exceptis ubique alacriter Encyclicis nostris litteris datis die XV. augusti anni MDCCCXXXII. perferebantur, quibus sanam, et quam sequi unice fas sit, doctrinam de propositis ibidem capitibus pro nostri officii munere catholico gregi universo denunciavimus. Nostrum hoc gaudium auxerunt editae in eam rem declarationes a nonnullis ex iis, qui consilia illa opinionumque commenta, de quibus querebamur, probaverant, et eorum fautores defensoresque incaute se gesserant. Agnoscebamus quidem, nondum sublatum malum illud, quod adversus rem et sacram et civilem adhuc conflari impudentissimi libelli in vulgus dispersi et tenebricosae quaedam machinationes manifesto portendebant, quas idcirco, missis mense octobri ad ven. fratrem Episcopum Rhedonensem litteris, graviter improbavimus (2). At anxiis nobis maximeque ea de re sollicitis pergratum sane ac iucundum extitit, illum ipsum, a quo praecipue id nobis moeroris inferebatur, missa ad nos declaratione die XI. decembris anni superioris, diserte confirmasse, se doctrinam nostris encyclicis litteris traditam *unice et absolute* sequi, nihilque ab illa alienum aut scripturum se esse, aut probaturum. Dilatavimus illico viscera paternae caritatis ad filium, quem nostris monitis permotum luculentiora in dies documenta daturum fore confidere debueramus, quibus certius constaret, nostro ipsum iudicio et voce et re paruisse.

§ 2. Verum, quod vix credibile videbatur, quem tantae benignitatis affectu exceperamus, immemor ipse nostrae indulgentiae cito e proposito defecit, bonaque illa spes, quae *de praeceptionis nostrae fructu* nos tenuerat, in irritum cessit, ubi primum, celato quidem nomine, sed publicis patefacto monumentis, nuper traditum ab eodem typis, atque ubique pervulgatum novimus libellum gallico idiomate, mole quidem exiguum, pravitate tamen ingentem, cui titulus - *Paroles d'un Croyant* -.

§ 3. Horruimus sane, venerabiles fratres, vel ex primo oculorum obtutu, auctorisque caecitatem miserati intelleximus, quonam scientia prorumpat, quae non secundum Deum sit, sed secundum mundi elementa. Enimvero contra fidem sua illa declaratione solemniter datam, captiosissimis ipse ut plurimum verborum fictionumque involucris oppugnandam evertendamque suscepit catholicam doctrinam, quam memoratis nostris litteris, tum de debita erga Potestates subiectione, tum de arcenda a populis exitiosa *Indifferentismi* contagione, deque frenis iniiciendis evaganti opinionum sermonumque licentiae, tum demum de damnanda omnimoda conscientiae libertate, teterrimaque societatum, vel ex cuiuscumque falsae religionis cultoribus, in sacrae et publicae rei perniciem conflatarum conspiratione, pro auctoritate humilitati nostrae tradita definivimus.

§ 4. Refugit sane animus ea perlegere, quibus ibidem auctor vinculum quodlibet fidelitatis subiectionisque erga Principes disrumpere conatur, face undequaque perduellionis immissa, qua publici ordinis clades, magistratuum contemptus, legum infractio grassetur, omniaque et sacrae et civilis potestatis elementa convellantur. Hinc novo et iniquo commento potestatem Principum, veluti divinae legi infestam,

(1) Haec const. suo loco inseri nequit.

(2) Has literas non potuimus invenire.

imo *opus peccati et Satanae potestatem* in calumniae portentum traducit, praesidibusque sacrorum easdem ac imperantibus turpitudinis notas inurit ob criminum molitionumque foedus, quo eos somniat inter se adversus populorum iura coniunctos. Neque tanto hoc ausu contentus, omnigenam insuper opinionum, sermonum, conscientiaeque libertatem obtrudit, militibusque ad eam *a tyrannide,* ut ait, liberandam dimicaturis fausta omnia ac felicia comprecatur, coetus ac consociationes furiali aestu ex universo qua patet orbe advocat, et in tam nefaria consilia urgens atque instans compellit, ut eo etiam ex capite monita praescriptaque nostra proculcata ab ipso sentiamus.

§ 5. Piget cuncta hic recensere, quae pessimo hoc impietatis et audaciae faetu ad divina humanaque omnia perturbanda congeruntur. Sed illud praesertim indignationem excitat, religionique plane intolerandum est, divinas praescriptiones tantis erroribus adserendis ab auctore afferri et incautis venditari, eumque ad populos lege obedientiae solvendos, perinde ac si a Deo missus et inspiratus esset, postquam in sacratissimo Trinitatis augustae nomine preafatus est, sacr. Scripturas ubique obtendere, ipsarumque verba, quae verba Dei sunt, ad prava huiuscemodi deliramenta inculcanda callide audacterque detorquere, quo fidentius, uti inquiebat S. Bernardus, *pro luce tenebras offundat, et pro melle, vel potius in melle, venenum propinet, novum cudens populis evangelium, aliudque ponens fundamentum praeter id, quod positum est.*

§ 6. Verum tantam hanc sanae doctrinae illatam perniciem silentio dissimulare ab eo vetamur, qui speculatores nos posuit in Israel, ut de errore illos moneamus, quos auctor et consummator fidei Iesus nostrae curae concredidit.

§ 7. Quare auditis nonnullis ex venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine memoratum librum, cui titulus *Paroles d'un Croyant,* quo per impium verbi Dei abusum populi corrumpuntur ad omnis ordinis publici vincula dissolvenda, ad utramque auctoritatem labefactandam, ad seditiones in imperiis, tumultus rebellionesque excitandas, fovendas, roborandas, librum ideo propositiones respective falsas, calumniosas, temerarias, inducentes in anarchiam, contrarias verbo Dei, impias, scandalosas, erroneas, iam ab Ecclesia praesertim in Valdensibus, Wiclefitis, Hussitis, aliisque id generis Haereticis damnatas continentem, reprobamus, damnamus ac pro reprobato et damnato in perpetuum haberi volumus atque decernimus.

§ 8. Vestrum nunc erit, venn. fratres, nostris hisce mandatis, quae rei et sacrae et civilis salus et incolumitas necessario efflagitat, omni contentione obsecundare, ne scriptum istiusmodi e latebris ad exitium emissum eo fiat perniciosius, quo magis vesanae novitatis libidini velificatur et quo latius ut cancer serpit in populis. Muneris vestri sit, urgere sanam de tanto hoc negotio doctrinam, vafritiemque novatorum patefacere, acriusque pro christiani gregis custodia vigilare, ut studium religionis, pietas actionum, pax publica floreant et augeantur feliciter. Id sane a vestra fide et ab impensa vestra pro communi bono instantia fidenter opperimur, ut eo iuvante, qui pater est luminum, gratulemur (dicimus cum S. Cypriano) *fuisse intellectum errorem et retusum et ideo prostratum, quia agnitum atque detectum.*

§ 9. Ceterum, lugendum valde est, quonam prolabantur humanae rationis deliramenta, ubi quis novis rebus studeat, atque contra Apostoli monitum nitatur *plus sapere, quam oporteat sapere,* sibique nimium praefidens veritatem quaerendam autumet extra catholicam Ecclesiam, in qua absque vel levissimo erroris coeno ipsa invenitur, quaeque idcirco *Columna ac firmamentum veritatis* appellatur et est. Probe autem intelligitis, venerabiles fratres, nos hic loqui etiam de fallaci illo haud ita pridem invecto philosophiae systemate plane improbando, quo ex proiecta et effrenata novitatum cupiditate veritas, ubi certo consistit, non quaeritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinae aliae inanes, futiles, incertaeque, nec ab Ecclesia probatae adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines perperam arbitrantur.

§ 10. Dum vero pro delata divinitus nobis sanae doctrinae cognoscendae, decernendae, custodiendaeque cura ac solicitudine haec scribimus, peracerbum ex filii errore vulnus cordi nostro inflictum ingemiscimus, neque in summo, quo inde conficimur, moerore spes ulla est conso-

lationis, nisi idem in vias revocetur iustitiae. Levemus idcirco simul oculos et manus ad Eum, qui *sapientiae dux est et emendator sapientium*, Ipsumque multa prece rogemus, ut, dato illi corde docili et animo magno, quo vocem audiat patris amantissimi et moerentissimi, laeta ab ipso Ecclesiae, laeta Ordini vestro, laeta Sanctae huic Sedi, laeta humilitati nostrae properentur. Nos certe faustum ac felicem illum ducemus diem, quo filium hunc in se reversum paterno sinu complecti nobis contingat, cuius exemplo magna in spe sumus, fore ut resipiscant ceteri, qui eo auctore in errorem induci potuerunt, adeo ut una apud omnes sit pro publicae et sacrae rei incolumitate consensio doctrinarum, una consiliorum ratio, una actionum studiorumque concordia. Quod tantum bonum ut supplicibus votis nobiscum a Domino exoretis, abs vestra pastorali solicitudine requirimus et expectamus. In id autem operis divinum praesidium adprecantes, auspicem ipsius apostolicam benedictionem vobis gregibusque vestris peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum VII. kal. iulias an. MDCCCXXXIV. pontif. nostri an. IV.

CCXLVII.

Numerum dierum festorum coercet pro locis dominio subiectis serenissimae Lusitaniae et Algarbiorum Reginae.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Quum ex apostolici nostri ministerii officio curare debemus, ut festorum dierum celebritas a Christifidelibus religiose colatur, tum illud etiam ex paterno in omnes studio praestandum nobis est, ut si eorumdem festorum dierum numerus temporalibus Christifidelium necessitatibus officere possit, eum pro locorum ac temporum ratione apostolica venia coerceamus. Itaque, quum carissima in Christo filia nostra serenissima Lusitaniae et Algarbiorum Regina fidelissima per dilectum filium Ioannem Petrum Commendatorem de Migueis de Carvalho de Brito suum apud nos atque hanc Sanctam Sedem oratorem nobis supplicaverit, ut, attentis gravissimis circumstantiis, quae florentes olim illas regiones perturbarunt, festorum dierum numerum ad certos limites cohibeamus, ut populi praesertim laboribus addicti summae angustiae consulatur, sicut fel. rec. Urbanus VIII., Benedictus XIV. et Clemens XIV. praedecessores nostri benigne elargiti sunt, nos eius votis libenter duximus adnuendum. Quamobrem de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus praepositorum hisce litteris auctoritate nostra apostolica decernimus ac statuimus, ut in omnibus ac singulis regionibus carissimae in Christo filiae nostrae Lusitaniae et Algarbiorum reginae fidelissimae dominio subiectis, praeter omnes dominicos dies, sub utroque praecepto in posterum serventur tantum festa Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Domini et Natalis Domini nostri Iesu Christi et Sacri Cordis Iesu, insuper festa Purificationis, Annunciationis, Assumptionis et Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, nec non festum servetur a meridie Feriae V. in coena Domini ad meridiem usque Feriae VI. in Parasceve, denique die XXII. Ianuarii festum S. Vincentii martyris pro patriarchatu Ulyssiponensi et Regno Algarbiorum, die XIII. iunii pro patriarchatu tantum praedicto festum Sancti Antonii Patavini, ubique vero festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae die XXIV. iunii et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli die XXIX. iunii, et festum omnium Sanctorum die I. novembris. Caetera vero festa, quae hactenus de praecepto servari solita sunt, auctoritate nostra apostolica penitus abolemus quoad praeceptum adstandi sacro et vacandi ab operibus servilibus, praeter tamen ecclesiasticas functiones, quae respectivis in ecclesiis sicut antea a clero peragi volumus, ac si revera de praecepto perdurarent. Praeterea festa Sanctorum Patronorum, qui solum in civitatibus ac locis dominio serenissimae Lusitaniae et Algarbiorum reginae fidelissimae subiectis praecipui sunt, quoad extrinseca transferri volumus in Dominicam sequentem cum Missa solemni tantum de iisdem, firmis tamen remanentibus Officio et Missa diebus iam adsignatis, servatisque in omnibus rubricis. Haec concedimus et mandamus, non obstantibus apostolicis constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV. iunii MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCXLVIII.

Fr. Fidelis Sutter a Ferrara Vic. Apost. Tunetanae missionis eligitur Episcopus Ecclesiae Rosaliensis.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi adiuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 2. Postmodum vero, episcopali ecclesia Rosaliensi sub Patriarcha Constantinopolitano in partibus infidelium solatio Pastoris destituta, nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni nos fecerunt certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter nos se potuit seu potest intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, denique ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate etiam legitima constitutus existis, quique in Tunetana missione Vicarii Apostolici munere cum laude fungeris, cuius apud nos de morum integritate, doctrina, prudentia et pietate, ac Christianae Religionis et catholicae fidei zelo, et spiritualium providentia et temporalium circumspectione fide digna perhibentur testimonia, oculos mentis nostrae direximus. Quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem episcopalem ecclesiam Rosaliensem de persona tua, nobis ac memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorundem fratrum consilio, auctoritate apostolica tenore praesentium providemus, teque illi in Episcopum praeficimus atque pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committendo in illo, qui dat gratiam et largitur dona, confisi, quod dirigente Domino actus tuos praedicta ecclesia per tuae circumspectionis industriam ac studium utiliter ac prospere dirigatur, et in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi amplectens, curam et administrationem praedictas sic studeas fideliter exercere, ut ecclesia praedicta gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praedictam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus et indulgemus.

§ 3. Ceterum ad ea, quae in tuae cedere possunt commoditatis augmentum, favorabiliter respicientes, tibi, ut a quocumque malueris catholico Antistite S. nostrae Sedis gratiam et communionem habente, adscitis et in hoc ei adsistentibus duobus aliis Episcopis, vel quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti regularibus, similem praedictae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, atque eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a S. Sede propositos, ac nostro et

Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, praedictum munus tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, eadem auctoritate plenam et liberam harum serie tribuimus facultatem.

§ 4. Volumus tamen eademque auctoritate praecipimus, ut, nisi receptis a te prius per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

§ 5. Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die v. iulii MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCXLIX.

Iura metropolitica sedi Quebecensi tribuit, tres sedes episcopales ei suffraganeas assignat, Marianopolitanam, Kingstoniensem et Torontinam, et Episcopis Carolinopolis, Novae Brunopolis et Halifax praecipit, ut Concilio provinciali Quebecensi, cum celebratur, intersint.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum per similes apostolicas literas die XII. ianuarii anno MDCCCXIX. datas episcopalis sedes Quebecensis ad archiepiscopalem gradum erecta fuerit, ita tamen ut proprie dicta metropolitica iura archiepiscopo Quebecensi tributa non fuerint, neque vera metropolitica provincia in Canadâ erecta sit; cumque sublatae iam fuerint difficultates, quibus metropoliticae istius provinciae erectio impediretur; nos, habitâ ratione Canadensium praesulum petitionum, ac perpendentes ad religionis bonum splendoremque amplificandum ac ad ecclesiasticae disciplinae observationem impensius fovendam in eâ regione, plurimum esse profuturam memoratae provinciae erectionem, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio eamdem metropoliticam provinciam definitive erigere constituimus.

§ 2. Motu igitur proprio, ac maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine hisce litteris metropoliticam provinciam Quebecensem erigimus ac constituimus, quae complecti tantum debeat regionem Canadensem stricte sumptam, quaeque constare debeat ex ecclesiâ Quebecensi tamquam metropolitanâ, et ecclesiis sive dioecesibus Marionopolitanâ in inferiori Canadâ, Kingstoniensi in superiori, ac Torontinâ in occidentali superioris Canadae regione, tamquam suffraganeis. Quod vero spectat ad Episcopos Carolinopolitanum, Novae Brunopolis seu Neo-Brunswikiensem, et Halifaxensem in Novâ Scotiâ, illi, quando concilium provinciale Quebecense celebrari contingat, iuxta Concilii Tridentini praescriptionem, ad illud accedent.

§ 3. Haec decernimus ac constituimus, non obstantibus apostolicis constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XII. iulii MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCL.

Melanesiae et Micronesiae vicariatus apostolicos erigit, separans eas regiones a vicariatu Oceaniae occidentalis, definit utriusque limites novi vicariatus, ambos interim per unum tantum Vic. Apostolicum regendum statuit, et curam utriusque tradit Societati Lugdunensi B. M. Virginis.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii nihil potius habere debemus, quam ut ea curemus perficienda, quae ad tuendam proferendamque catholicam fidem opportuna videantur.

§ 1. Iam vero postquam an. MDCCCXLII. in occidentali Oceaniae parte vicariatum centralem constituimus, ad rei catholicae bonum quam maxime expedire intelleximus, ut, imminutâ nimiâ missionum qua-

rumdam per divisionem amplitudine, auctoque cum evangelicis operariis Episcoporum numero, novas distinctasque missiones instituamus. Itaque quum in amplâ nimis adhuc occidentali missione novae perficiendae divisioni locum esse cognoverimus, praeviâ dismembratione locorum, ut infra, ex vicariatu occidentali, duos distinctos vicariatus instituendos censuimus, quorum alter Melanesiam, alter vero Micronesiam complectatur.

§ 2. Quamobrem de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, motu proprio ac maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, infrascripta loca atque insulas ab occidentali vicariatu omnino dividimus ac dismembramus, novumque vicariatum apostolicum in Melanesiâ erigimus ac constituimus, quae quidem ab oriente circumscripta est inter gradus CXXV. et CLX. longitudinis, ubi centralis missio ortum habet, et ad meridiem inter lineam aequinoctialem et gradum XII. latitudinis, ad eamque, praeter alias minoris momenti, pertinere decernimus insulas nuncupatas Nova Guinea, Tobia, William, Shouten, Waigion, duo Vesset, Timollant, Arriou, Amirante, Novae Hannovera, Hibernia ac Britannia, Luixianda, Bourgainville, Choiseul, Isabella, Guadakanar, Christovald. Ad Micronesiam vero, in qua alterum vicariatum apostolicum erigimus et constituimus cuiusque limites erunt ad orientem gradus CXXV. ad occidentem CLXXX. longitudinis, ad septentrionem gradus XIII. latitudinis, et ad meridiem aequinoctialis circulus, pertinere volumus ac decernimus, praeter alias inferioris ordinis insulas, integros Archipelagos Carolinarum, Marshali ac Gilberti.

§ 3. Praeterea volumus ac decernimus, ut utraque missio seu vicariatus pro nunc ab uno eodemque Vicario Apostolico gubernetur, usquedum opportunitas aderit alium pro altero vicariatu Antistitem seligendi.

§ 4. Curam porro duplicis huiusce coniuncti, pro nunc, vicariatus, quousque pro alterutro eorum aliter statuatur, commendandam volumus benemeritae societati presbyterorum B. M. V., cui iam centralis et occidentalis missiones creditae fuerunt, ex iisdemque presbyteris Vicarium Apostolicum eligendum esse volumus ac statuimus.

§ 5. Decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XIX. iulii MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCLI.

Ab orientali Oceaniae missione Sandwichianum Archipelagum dividit, et ex eo vicariatum apostolicum constituit, concreditum Societati Ssm̃orum Cordium Iesu et Mariae.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Pastorale officium supernâ Dei providentiâ humeris nostris impositum illud exquirit, ut illis praecipue ovibus, quae ab hoc unitatis catholicae centro dissitae sunt, maiori, qua possimus, curâ ac sedulitate consulamus.

§ 1. Hinc, quum nobis innotuerit, ad rem catholicam in orientalibus Oceaniae regionibus magis magisque promovendam perutile omninò esse, ut in eâdem amplissimâ missione presbyteris Societatis Ssm̃orum Cordium Iesu et Mariae concreditâ, praeviâ in plures divisione, una cum operariis evangelicis pastores Episcopi augeantur, Sandwchianum pro nunc Archipelagum in distinctum vicariatum erigere constituimus.

§ 2. Quamobrem, de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, motu proprio, certa scientiâ ac maturâ nostrâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, Sandwichianum pro nunc Archipelagum ab orientali missione seiungimus ac dismembramus, eumque in distinctum vicariatum apostolicum erigimus ac constituimus ab iisdem presbyteris societatis praedictae curandum sub dependentiâ peculiaris Vicarii Apostolici ad illius regimen deputandi.

§ 3. Decernimus autem has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscum-

que iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ceterisque etiam speciali mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat. die XIII. augusti DMCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCLII.

Episcopatum Halifaxiensem in Novâ Scotiâ in duos dividit, et unicuique suos fines assignat.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, cui universi dominici gregis cura concredita est, dioecesium limites immutare ac coarctare, easque in plures partiri, ut aucto, pastorum numero, ovium saluti accuratius prospici possit.

§ 1. Iam vero quum ad Religionis Catholicae bonum in Novâ Scotiâ impensius promovendum, atque ad Ecclesiae incrementum in vastissima illâ coloniâ procurandum graves quamplures relationes ostenderint opportunum atque utile imprimis esse, universam illam regionem, quae hactenus unam tantum dioecesim, hoc est Halifaxiam, constituit, in duas dioeceses invicem seiunctas partiri, quumque ipse ven. frater Guillelmus Fraser Episcopus Halifaxiensis huic divisioni libenter assentiri se significaverit; nos eidem divisioni perficiendae pro pastorali nostrâ solicitudine animum curamque convertimus.

§ 2. Itaque de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum consilio, motu proprio ac maturâ nostrâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, universam Novae Scotiae coloniam in duas dioeceses dividimus ac separamus, quarum una tres illius peninsulae comitatus orientales Sidney, Guisberugh et Pictou, atque totum Promontorium Britannicum seu Cape-Breton comprehendat; altera vero Halifaxiam, cum suo districtu, reliquosque occidentales seu meridionales comitatus complectatur, ac praeterea Insulas Bermudes in suâ iurisdictione contineat.

§ 3. Haec volumus, ac constituimus, decernentes etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXVII. sept. MDCCCXLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CCLIII.

Provisio patriarchalis ecclesiae Antiochen. Syro-Maronitarum pro Archiepiscopo ab Episcopis et clero nationis Syro-Maronitarum electo et postulato, cum approbatione electionis et postulationis, sanatione defectuum ac decreto emittendi fidei professionem ac iuramentum fidelitatis praestandi (1).

(1) Cum die XXIII. maii labentis anni per obitum bo. me. Iosephi Habaisci patriarchalis ecclesia Antiochena Maronitarum vacaverit: cumque Episcopi eiusdem nationis die XVIII. augusti apud Diman in Monte Libano convenientes R. P. D. Iosephum Hazenum Archiepiscopum Damascenum ad patriarchatum elegerint seu postulaverint, atque hac de re litterae ad Apostolicam Sedem datae fuerint pro electi seu postulati confirmatione obtinenda, utque eidem pallium de corpore S. Petri tribueretur; S. C. in generali conventu habito die IX. decembris, Cardinali Fransonio praefecto referente, omnibus mature perpensis censuit supplicandum SSmo quatenus praedictam electionem seu postulationem velit admittere, ac R. P. D. Iosephum Gazenum, praevia solutione vinculi quo Damascenae Ecclesiae erat devinctus, in Patriarcham nationis Maronitarum confirmare, addita S. Pallii concessione.

Hanc vero S. C. sententiam SSmo Dño Nostro Gregorio Papae XVI. ab eiusdem S. C. secretario in audientia diei XIV. decembris MDXLV. relatam, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, atque in proximo Consistorio acta consueta peragi iussit.

His praemissis, demum die XIX. ianuarii MDXLVI. indicto de more secreto Consistorio SSmus Dñus ita Emos Patres est allocutus:

VENERABILES FRATRES,

Ob mortem Antiocheni Patriarchae Maronitarum Iosephi Habaisci, quae accidit die tertio et vicesimo mensis maii anni proximi, vacua illa Sedes facta est. Quamobrem eiusdem nationis Episcopi, post aliquam moram ex temporum calamitate interpositam, congregati apud Diman ad Libanum in monasterio S. Ioannis Maronis, conferentes simul de idoneo successore in locum defuncti Patriarchae

Venerabili fratri Iosepho Gazeno Archiepiscopo Damascen. in Patriarcham Antiochenum Syro-Maronitarum electo,

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
salutem et apostolicam benedictionem.

Onerosa pastoralis officii cura, dispositione summi pastoris qui pro suis ovibus animam posuit, nobis licet immerito commissa, solicita nos pulsat instantia ut inter cetera quae undique confluunt negocia quibusque noster animus redditur multiplici varietate distractus, ad provisionem ecclesiarum quarumlibet, praesertim patriarchalium, quae vacationis incommoda deplorare noscuntur, solerter intendamus, earumque incommodis mediante celeri novorum provisione pastorum, per quos ecclesiae ipsae in spiritualibus et temporalibus continua suscipere possint incrementa, salubriter succurramus.

Sane, patriarchali ecclesia Antiochen. Syro-Maronitarum, cui bo. me. Ioseph Petrus Habaisci ultimus illius Patriarcha dum viveret presidebat, per obitum ipsius Ioseph Petri Patriarchae, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta ad provisionem huius patriarchalis ecclesiae celerem et felicem, ne ipsa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem patriarchali ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te nuper Archiepiscopum Damascenum, quem venerabiles etiam fratres Episcopi catholici et dilecti filii clerus nationis Syro-Maronitarum ad praefatam patriarchalem ecclesiam pro eorum Patriarcha elegerunt seu postularunt, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit, et attendentes quod tu, qui a tuo Patriarcha consecrationis munere suscepto archidioecesim tibi creditam sedulo visitasti, pontificalia solemniter celebrasti, ordinationes habuisti, sacramenta, praesertim confirmationis, administrasti, ceteraque omnia pastoralia munia tam laudabiliter obivisti, ut patriarchali ecclesiae praedictae praefici dignus censearis, ipsam patriarchalem ecclesiam Antiochen. scies voles et poteris auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam praefatae patriarchali ecclesiae Antiochen. Syro-Maronitarum quam illius gregi dominico salubriter providere et a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatus existis, ut translatio provisio et

---

sufficiendo, venerabilem fratrem Iosephum Gazenum Archiepiscopum Damasci duodevicesimo die augusti ad eam dignitatem designarunt. Electio haec seu postulatio ad nos allata est per litteras ab electoribus datas, qui et confirmationem nostram, et subinde Pallium de corpore Sancti Petri novo Patriarchae implorabant. Re autem omni sedulo perpensa ab his, quibus pro more commissa cura est huius generis negotiorum, scilicet a venerabilibus fratribus nostris, qui ad nostram Congregationem pertinent Fidei Propagandae, visum in Domino est, ut, quam memoravimus, petitioni apostolica auctoritate obsecundaremus. Sane constat Archiepiscopum Damascenum integritate vitae ac doctrina illustrem esse, nec non et studio praestare fidei catholicae ac salutis animarum. Hinc patefacta eius designatione in Patriarcham, exultavit omnis Maronitarum gens, paucis tantum exceptis, qui rem privatis suis commodis metientes, Episcopos electores insectari et exagitare non sunt veriti. Sed et ipsi postea, qui tumultum cierant, salubriter in se reversi, actus suos emendandos, ut par omnino erat, curarunt. Quare Iosephum Gazenum Archiepiscopum Damasci dignum nos agnoscentes, qui ad sedem patriarchalem Antiochenam Maronitarum provehatur, factam ab Episcopis eius nationis electionem seu postulationem libentissime admittimus. Ipsum proinde Antistitem a vinculo Ecclesiae Damascenae archiepiscopalis absolventes, Patriarcham Antiochenum praefatae nationis Maronitarum confirmamus, constituimus et declaramus; atque sacrum ei pallium, ut Apostolica haec Sedes assolet, de corpore sumptum Principis Apostolorum mittendum decernimus. Inspectis porro qualitatibus novi istius Patriarchae, magnam, Deo benedicente, in spem ingredimur, ipsum inter arentia Antiochiae saxa fore tamquam fluvium subiectas iuxta positas valles rigantem, per quem unum tricesimum et aliud sexagesimum, aliud vero centesimum fructum ferat: quemadmodum de Anatolio Antistite Antiocheno in epistola ad eum missa dixerat praedecessor noster, cuius mutuati, indigni licet, nomen sumus, S. Gregorius Magnus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac nostra confirmamus et approbamus electionem a venerabilibus fratribus Episcopis Syro-Maronitis factam de persona venerabilis fratris Iosephi Gazeni Patriarchae, quem absolvimus a vinculo quo tenetur ecclesiae Damascenae, ac transferimus ad patriarchalem ecclesiam Antiochenam Syro-Maronitarum, praeficientes eum in Patriarcham et pastorem eiusdem nationis, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

praefectio per nos ut infra faciendae praesentesque nostrae litterae suum sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ipsamque electionem seu postulationem de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate confirmantes et approbantes, omnesque et singulos et substantiales defectus, si qui in electione seu postulatione huiusmodi quomodolibet intervenerint, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per nos adprobatum, te, licet absentem, a vinculo quo ecclesiae Damascen., cui hactenus praefuisti, tenebaris, de fratrum eorumdem consilio ac apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad memoratam patriarchalem ecclesiam Antiochen. nationis Syro-Maronitarum de consilio at apostolicae potestatis plenitudine similibus transferimus, teque illi in Patriarcham praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem huius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo liberamque tibi ad dictam patriarchalem ecclesiam transeundi licentiam tribuendo, in illo qui dat gratias et largitur praemia, confidentes quod, dirigente Domino actus tuos, ipsa patriarchalis ecclesia sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eamdem patriarchalem ecclesiam cum gratia nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter ac prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actis latius diffundatur atque ipsa patriarchalis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Nec non venn. fratribus nostris Episcopis suffraganeis orthodoxis ac dilectis etiam filiis vassallis ipsius patriarchalis ecclesiae atque clero et populo eidem patriarchali ecclesiae subiectis per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas ac devotas ita, quod mutua inter te et ipsos gratia gratos sortiatur effectus et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare. Clerus autem te pro nostra et eiusdem Sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent. Populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant ita, quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli tandem praefati te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam tu rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Volumus autem quod tu antequam regimini et administrationi huius patriarchalis ecclesiae te in aliquo immisceas, in manibus duorum venn. pariter fratrum nostrorum Archiepiscoporum vel Episcoporum gratiam et communionem sedis praefatae habentium et in istis partibus degentium, seu in manibus alterius eorum fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta unam, ac fidei catholicae professionem a Sede Apostolica Orientalibus praescriptam iuxta alteram formas praesentibus adnotatas emittas, et sic a te praestiti iuramenti et professionis fidei a te emissae formas ad ipsam Congregationem de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per propium nuncium quantocitius transmittere omnino tenearis, quibus et eorum cuilibet per easdem praesentes pariter mandamus ut ipsi vel eorum alter a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum et fidei professionem huiusmodi iuxta easdem formas recipiant seu recipiat.

Forma autem iuramenti quod praestabis, talis est: « Ego Ioseph Gazeno Patriarcha Antiochen. Syro-Maronitarum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Apostolo Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et domino nostro domino

Gregorio PP. XVI. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum seu capiantur mala captione aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae, domini nostri Papae et successorum praefatorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Non ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse, et quantocitius commode potero, significabo eidem Domino nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, reservationes, dispositiones, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, Schismaticos et rebelles Domino nostro ac successoribus praefatis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum, veniam nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis personaliter et per me ipsum visitabo ac Domino nostro successoribusque praefatis de toto meo pastorali officio, deque rebus omnibus ad patriarchalis ecclesiae meae statum ac cleri et populi disciplinam, ad animarum denique quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquomodo pertinentibus rationem reddam, et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per dioecesanum sacerdotem ac hoc speciale mandatum habentem de clero meo, et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem proponentem in s. Congregatione Concilii per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam mei patriarchatus pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu cleri patriarchalis ecclesiae huiusmodi inconsulto Romano Pontifice. Et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia ».

Forma vero professionis fidei quam emittes, haec est: « Ego Ioseph Gazeno Patriarcha. Antiochen Syro-Maronitarum firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo Fidei quo Sancta Romana Ecclesia utitur, scilicet credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium; et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum vero de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis; et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum scripturas; et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui loquutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen. Veneror etiam et suscipio universales synodos prout sequitur, videlicet: Nicaenam primam, et profiteor quod in ea contra Arium damnatae memoriae definitum est, Dominum Iesum Christum esse Filium Dei

ex Patre natum Unigenitum, idest ex substantia Patris natum, non factum, consubstantialem Patri, atque impias illas voces recte in eadem synodo damnatas esse *quod aliquando non fuerit* aut *quod factus sit ex iis quae non sunt* aut *ex alia substantia vel essentia* aut *quod sit mutabilis vel convertibilis Filius Dei* - Constantinopolitanam Primam (Secundam in ordine), et profiteor quod in ea contra Macedonium damnatae memoriae definitum est, Spiritum Sanctum non esse servum, sed Dominum; non creaturam, sed Deum; ac unam habentem cum Patre et Filio Deitatem. - Ephesinam Primam (Tertiam in ordine), et profiteor quod in ea contra Nestorium damnatae memoriae definitum est, divinitatem et humanitatem ineffabili et incomprehensibili unione in una persona Filii Dei unum nobis Iesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem vere esse Dei Genitricem. - Chalcedonensem (Quartam in ordine), et profiteor quod in ea contra Eutychem et Dioscorum ambos damnatae memoriae definitum est: Unum eumdemque Filium Dei Dñum nostrum Iesum Christum perfectum esse in deitate et perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum ex anima rationali et corpore consubstantialem Patri secundum deitatem, eumdem consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem unum eumdemque Christum Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium et Unigenitum Deum, verum Dominum Iesum Christum. - Item eiusdem Domini nostri Iesu Christi divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri et Spiritui Sancto, impassibilem esse et immortalem; eumdem autem crucifixum et mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta Synodo et in epistola sancti Leonis Romani Pontificis, cuius ore beatum Petrum loquutum esse patres in eadem synodo acclamaverunt. Per quam definitionem damnatur impia haeresis illorum qui Trisagio ab Angelis tradito et in praefata Calcedonensi Synodo decantato *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis* addebant: *Qui crucifixus est pro nobis;* atque adeo divinam naturam trium personarum passibilem asserebant et mortalem. Constantinopolitam Secundam (Quintam in ordine), in qua praefatae Chalcedonensis synodi definitio renovata est. Constantinopolitanam Tertiam (Sextam in ordine), et profiteor quod in ea contra Monothelitas definitum est: In uno eodemque Domino nostro Iesu Christo duas esse naturales voluntates et duas naturales operationes indivise inconvertibiliter inseparabiliter inconfuse, et humanam eius voluntatem non contrariam sed subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati. Nicaenam Secundam (Septimam in ordine), et profiteor quod in ea contra Iconoclastas definitum est: Imagines Christi ac Deiparae Virginis nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Constantinopolitanam Quartam (Octavam in ordine), et profiteor in ea Photium merito fuisse damnatum et sanctum Ignatium Patriarcham restitutum. - Veneror etiam et suscipio omnes alias universales synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas et confirmatas, et praesertim, Florentinam synodum, et profiteor quae in ea definita sunt, videlicet: Quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit: item dictionem illam *Filioque* veritatem declarandi gratia et imminente necessitate licite et rationabiliter symbolo fuisse appositam: item in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem: item si vere poenitentes in Dei caritate decesserint antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet

sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta: illorumque animas qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel eisdem exutae sunt purgatae, in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum Trinum et unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. - Item Sanctam, Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere: et ipsi in beato Petro pascendi regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam eadem Florentina Synodus asserit et in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur. - Item legalia veteris testamenti seu mosaicae legis caeremonias, sacra, sacrificia et sacramenta Domino nostro Iesu Christo adveniente cessasse et post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse. Eiusdem etiam legis veteris ciborum mundorum et immundorum differentiam ad caeremonialia pertinere, quae surgente evangelio transierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato illi tempori congruisse, ut inter Iudaeos et Gentiles dissentionis materia tolleretur: cuius apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. - Pariter veneror et suscipio Tridentinam Synodum, et profiteor quae in ea definita et declarata sunt, et praesertim offerri Deo in missa verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento (iuxta fidem quae semper in ecclesia Dei fuit) contineri vere realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia aptissime *transubstantiationem* appellat, et sub unaquaque specie et singulis cuiusque speciei partibus, separatione fecta, totum Christum contineri. Item septem esse novae legis sacramenta a Christo Domino nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem iterari non posse. - Item Baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocumque et quandocumque sub debita materia forma et intentione collatum, esse validum. - Item sacramenti Matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim aut alias causas possit inter coniuges thori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse. - Item apostolicas et ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse et venerandas. - Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse. - Pariter, quae de peccato originali, de iustificatione, de sacrorum librorum tam veteris quam novi Testamenti indice et interpretatione in praedicta Tridentina Synodo definita sunt, suscipio et profiteor. - Caetera item omnia suscipio et profiteor quae recipit et profitetur Sancta Romana Ecclesia, simulque contraria omnia et schismata et haereses ab eadem Ecclesia damnatas reiectas et anathematizatas ego pariter damno reiicio et anathematizo. - Insuper Romano Pontifici beati Petri Principis Apostolorum successori ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro. - Hanc fidem catholicae Ecclesiae, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri doceri et praedicari, quantum in me erit, me curaturum. Haec ego Ioseph Gazeno Patriarcha Antiochenus Syro-Maronitarum spondeo, voveo et iuro. Sic me

Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octigentesimo quadragesimo quinto XIV. kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo quinto.

CCLIV.

Pallium pro Patriarcha Antiochen. Syro-Maronitarum Iosepho Gazeno ex ecclesia archiepiscopali in ipsam patriarchalem translato concedit.

Ven. fratri Iosepho Gazeno nuper Archiepiscopo Damascen. in Patriarcham Antiochen. Syro-Maronitarum electo,

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos electionem seu postulationem de tua persona ad patriarchalem ecclesiam Antiochen. Syro-Maronitarum per venn. fratres nostros Episcopos catholicos nationis Syro-Maronitarum factam de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio apostolica auctoritate approbantes et confirmantes, ac te a vinculo quo archiepiscopali ecclesiae Damascen. cui praeeras tenebaris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad hanc patriarchalem ecclesiam certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum desuper emanatum et per nos approbatum, de consilio et potestatis plenitudine similibus apostolica auctoritate hodie transtulerimus, ipsique patriachali ecclesiae in Patriarcham praefecerimus et pastorem, curam, regimen et administrationem huius patriarchalis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; ac postmodum pallium insigne videlicet plenitudinis pastoralis officii pro parte tua fuerit hodie a nobis per dilectum filium Carolum Armellini nostrae consistorialis aulae advocatum ea qua decuit reverentia postulatum, nos huiusmodi postulationibus annuentes, Pallium ipsum de corpore beati Petri Apostoli sumptum a quocumque quem malueris catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente tibi assignandum per ven. fratrem nostrum Nicolaum Murad Archiepiscopum Laodiceen. Nuncium tuum duxerimus destinandum, ut idem Antistes illud tibi sub una assignet et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub altera formis praesentibus insertis fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum; tu autem pallio eodem, intra patriarchalem ecclesiam tuam, illis dumtaxat diebus uteris qui expresse in huius patriarchalis ecclesiae Antiochen. Syro-Maronitarum privilegiis continentur: ut igitur signum non discrepet a signato, sed, quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus, humilitatem et iustitiam dante Domino qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas quae suum servant et promovent servatorem ac eamdem patriarchalem ecclesiam Antiochen. Syro-Maronitarum, sponsam tuam, cures sollicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augmentare.

Quocirca eidem Antistiti per apostolica scripta mandamus, quatenus ipse pallium huiusmodi iuxta subsequentem formam tibi assignet et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum, eiusque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocitius destinare procuret.

Forma autem qua praefatus Antistes in assignando tibi hoc Pallio utetur, haec est: « Ad honorem Omnipotentis Dei et Beatae Mariae Virginis ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli atque domini nostri domini Gregorii Papae XVI. ac sanctae Romanae Ecclesiae, nec non patriarchalis ecclesiae Antiochen. Syro-Maronitarum tibi commissae, trado tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut eo utaris intra patriarchalem ecclesiam tuam illis diebus qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis ». Forma vero iuramenti quod praestabis, talis est: « Ego Ioseph Gazeno Patriarcha Antiochen. nationis Syro-Maronitarum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae

et domino nostro domino Gregorio Papae XVI. eiusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quinquenniis visitabo per me aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam mei patriarchatus pertinentes non vendam neque donabo neque impignorobo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Ac constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quadragesimo quinto, quartodecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo quinto.

CCLV.

Archipelagum ab Amicis disiungit a vicariatu apostolico Oceaniae Centralis, et unit, donec aliter statuatur, vicariatui Oceaniae Occidentalis.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

In supremâ Apostolorum principis sede, Deo sic volente, collocati, atque universi dominici gregis curam gerentes, ex debito pastoralis officii id praestare debemus, ut, quo opportunius christiani ipsius gregis regimini atque incolumitati consultum sit, vicariatus apostolicos modo coarctemus, modo, prout rerum ac locorum ratio postulat, proferamus.

§ 1. Iam vero exponendum nobis curavit ven. frater Franciscus Pompallier, Episcopus Maroneae, Vicarius Apostolicus Oceaniae Occidentalis, attentis peculiaribus memoratae missionis ac praesertim Novae Zelandiae circumstantiis, iis, quibus nunc missio eadem definita est, limitibus nedum congruum, sed vero etiam necessarium esse ut, provisoriâ saltem ratione, insulae, quae Archipelagum ab Amicis nuncupatum constituunt, quaeque vicariatui centrali adiudicatae fuerunt, occidentali, ut supra, missioni administrandae subiiciantur.

§ 2. Nos igitur de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, praefati Episcopi Maroneae votis adnuentes, motu proprio, certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae nostrae potestatis plenitudine, Archipelagum ab Amicis nuncupatum Occidentali Oceaniae missioni pro nunc ac donec aliter statuatur, iterum gubernandum adiungimus, firmâ tamen remanente Centralis Oceaniae vicariatus circumscriptione per similes nostras apostolicas literas constitutâ die XXIII. augusti anni MDCCCXLII.

§ 3. Decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, iisque ad quos spectat atque in posterum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, iudicari debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VII. febr. MDCCCXLV., pontificatus nostri anno XV.

CCLVI.

In Indostano novum constituit vicariatum apostolicum, Patnà nuncupandum, cuius fines describit, et cuius regiones a vicariatu Agrae seiungit.

GREGORIUS PP. XVI.
ad futuram rei memoriam.

Pastoralis officii etc. munus nobis divinitus demandatum exquirit, ut illis praesertim ovibus, quae ab hac Apostolicâ

Sede catholicae unitatis centro distant, qua maxime fieri possit sedulitate consulamus, ut in adventu Pastoris aeterni ad caelestia pascua perducantur.

§ 1. Iam vero, quum nobis exponendum curaverit ven. fr. Iosephus Antonius Borghi Episcopus Betzaidae et Vicarius Apostolicus Indostani ad rei catholicae latius prospiciendum in memoratâ amplissimâ missione vel maxime expedire, ut praeviâ divisione ac nonnullarum regionum dismembratione novus vicariatus apostolicus erigatur, qui regnum Nepal magnamque provinciam Beha ac parvam Sikim nuncupatam complectatur, ita ut ipsius limites longitudinis ab urbe Raimahal ad alteram Dinapore statuantur, latitudinis vero eosdem habeat limites, ex alterâ parte qui regnum Nepal, ex alterâ vero qui antedictam provinciam definiunt, quique superficiem longitudinis quingentorum circiter millium ac latitudinis tercentorum exhibent; cumque exposuerit, in eiusmodi vicariatu septem iam constitutas adesse ecclesias, videlicet Patnà, penes quam Vicarius Apostolicus residere et ab ea vicariatus apostolicus nomen sumere possit, Dinapore, Bettia, Ciourri, Baghelpore, Monghyr et Parneach, nec non plures missionis domus ac praedia quaedam; denique cum idem ven. frater Episcopus Betzaidae ad rite istam missionem erigendam omnem operam suam collaturum, ac subsidia quaevis, praesertim operariorum, praestiturum se esse spoponderit; nos ad catholicae religionis bonum piis eiusdem votis libenter adnuimus.

§ 2. Nos igitur de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, motu proprio, et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictas ecclesias ac loca a vicariatu apostolico Agrensi dismembrantes, novum vicariatum apostolicum Patnà, iuxta propositum exemplar, assignatisque iis locis ac limitibus, de quibus supra, erigimus ac constituimus.

§ 3. Haec statuimus ac decernimus, volentes has literas firmas, validas et efficaces esse et fore etc.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat., die VII. februarii MDCCCXLV., pontificatus nostri anno XV.

CCLVII.

Abbati generali Ordinis S. Antonii in Libano Armeni ritus, et ex-generalibus, concedit pontificalium usum in sacris ritibus celebrandis, annulum autem extra sacros ritus et Abbati generali etiam crucem pectoralem; Abbatibus vero actu monasteria regentibus annulum, et in sacris ritibus etiam baculum.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum Monachorum Ordines maximo ornamento ac praesidio perpetuo fuerint christianae rei, hinc singularibus eos privilegiis atque honoribus decorare Romani Pontifices consueverunt.

§ 1. Iam vero, quum dilectus filius Arsenius Angiarakian procurator generalis monachorum Armeniorum Antonianorum Libanensium a nobis postulaverit, ut Abbati generali, ex-abbatibus generalibus, ceterisque abbatibus monasteria singula moderantibus nonnulla pontificalis dignitatis insignia impertiri velimus; nos eiusdem votis precibusque libenter adnuimus.

§ 2. Itaque omnes et singulos, quibus praesentes literae favent, peculiari beneficentiâ prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratiâ absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate nostrâ apostolicâ tenore praesentium facultatem perpetuo valituram concedimus, ut Abbas generalis pro tempore memorati Ordinis Monachorum mitram, baculum pastoralem, annulum et crucem pectoralem in sacris ritibus celebrandis, extra vero sacros ritus annulum tantum et crucem pectoralem adhibere possit; itemque ut singuli ex-abbates generales insignibus pontificalibus in sacris obeundis caeremoniis, citra vero sacros ritus annulo tantum uti possint; denique, ut singuli abbates sua monasteria moderantes, proprio durante munere, annulum adhibere et in sacris functionibus celebrandis gestare baculum possint, qui doctoratus Armenii proprius est. Haec concedimus etc.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XI. martii MDCCCXLV., pontificatus nostri anno XV.

CCLVIII.

Graviter queritur cum Archiepiscopo Goae quod, contra promissa Internuntio pontificio facta et commendationem ac monita Sedis Apostolicae, specie adducta Bullarum propriae institutionis consuetâ formulâ conscriptarum, eiusdem Sedis literas et decreta despexerit, iurisdictionemque usurpaverit in regiones Vicariis Apostolicis concreditas, atque occasionem schismati praebuerit; eumque hortatur ut, memor promissorum et iuramenti quod consecrationem recipiens emisit, simul etiam obedientiae Cathedrae Petri debitae, resipiscat (1).

Venerabili fratri Iosepho a Sylva Torres Archiepiscopo Goano,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Quantâ laetitiâ affecti fuerimus, cum primum de tuâ, ven. frater, ad episcopalem dignitatem designatione, deque tuâ simul erga nos et S. hanc Petri Sedem observantiâ certiores facti sumus, arbitramur, te per teipsum id plene sentire, cui nostra nota est de amplificando in istis regionibus religionis incremento sedula constansque voluntas. Ac iustam sane habuimus gratulationis nostrae rationem. Quid enim ad Catholicae Ecclesiae bonum consequendum non debuissemus expectare a tali viro, quem apostolicae nostrae solicitudinis iuvandae studiosissimum esse audiebamus, quique in suscipiendis atque obeundis episcopalis officii muneribus id se perpetuo gesturum esse pollicebatur, quod sententiae votisque nostris esset consentaneum?

Neque levibus quidem argumentis adducti, vera esse iudicabamus quae de te et de tuâ erga nos atque Apostolorum principis cathedram devotione ferebantur. Etenim, praeter tuas die XIII. martii anno MDCCCXLIII. ad nos scriptas literas, gravissimum habebamus totius rei testem dilectum filium praeclarum virum Franciscum Capaccinium, nostrum apud fidelissimam Lusitaniae Reginam Internuntium ac Delegatum. Is enim cum Ulyssipone esset ac de te ad Goanum Archiepiscopatum promovendo pertractaretur, tum plura alia de virtutum ornamentis, quibus te praestare affirmabat, tum maxime studium commendavit defixumque animo tuo propositum, nihil unquam agendi quod a singulari illâ erga Sedem Apostolicam veneratione esset alienum. Id autem Internuntio nostro tam perspicuâ animi tui significatione effusisque lacrymis eo tempore testatus es, ut is, religione tuâ commotus, fletum et ipse cohibere non potuerit. Quantopere nobis ista placuerint, te facile intellexisse putamus, ven. frater, cum literas nostras apostolicas die XIX. iunii anno MDCCCXLIII. sub plumbo datas non multo post accepisti, quibus continebatur, libenter nos fidelissimae reginae assensos esse et Goanae ecclesiae Archiepiscopum te a nobis fuisse institutum.

---

(1) Vide quae notantur ad lit. *Multa praeclare*. Literas eodem exemplo datas Vicariis Ap. Indiarum a S. Cong. de P. F. sub die XXI. maii MDCCCXLIV. pro historia ex tabulario Congregationis transcribimus.

« Quamvis pontificiae Bullae, quibus in consistorio diei XIX. iunii elapsi anni SS. Dñus delectum Archiepiscopum Goanum confirmaverit, eodem Cancellariae stylo, quo antiquitus expediri mos erat, exaratae fuerint, satis tamen Sanctitas Sua memorato Archiepiscopo per Breve epistolare diei VIII. iulii mentem suam aperuit, ac verborum sensum aperte declaravit tum quoad Sedis Archiepiscopalis suffraganeos praesules, qui nunc non sunt alii nisi Machaonensis Antistes, tum quoad regii patronatus privilegia, quibus cum in praedictis Bullis pontificiis dicitur non fuisse in aliquo derogatum, id de regia ad ipsam Goanam Sedem nominatione est intelligendum. Quoad regiones vero omnes Vicariis Apostolicis creditas, firma ac rata esse voluit, quae per Breve diei XXIV. aprilis anni MDCCCXXXVIII. incip. *Multa praeclare*, aliaque dein edita Decreta, provisoria licet ratione, constituit, quibus derogatum nullo modo per antedictas Bullas fuisse patet. Cum nihilominus hac occasione non defuerint, uti relatum est, perturbatores quidam homines qui contra legitimam eorumdem vicariorum apostolicorum auctoritatem acrius quam antea insurgere ausi fuerint, Sacra Congregatio, ne ullus cuipiam supersit ambigendi locus, ad singulos ipsos Antistites authenticum Brevis, ut supra, epistolaris exemplar, SSmo Dño probante, transmittendum esse censuit, quod hisce nostris litteris Amplitudini tuae adiicimus. Persuasum autem habentes, id quidem tum ad pleniorem animi tui informationem et instructionem, tum etiam ad fideles curae tuae commissos in officio continendos firmandosque satis futurum, D. O. M. adprecamur, ut Amplitudinem tuam diutissime servet ac sospitet etc. ».

Verum valde brevis de eâ re laetitia nostra et gratulatio fuit. Etenim post iter a te in Indias susceptum, vix aliqui menses elapsi sunt, cum tales de fraternitate tuâ nuntios accepimus, ut magnum animo nostro moerorem attulerint. Perlatum enim ad nos est, male explicatis et contra sententiam nostram intellectis nonnullis praedictarum apostolicarum literarum verbis regiam nominationem tuam ad Archiepiscopatum Goanum respicientibus, ita agere, ut constitutam a nobis in vastissimis extra praesentem Lusitanorum ditionem Indiarum Orientalium provinciis regiminis ecclesiastici formam perturbare, et decreta nostra de eâ re parvipendere omnino velle videreris.

Id vero primum vix credibile a nobis poterat existimari. Nam quo tempore ad te apostolicas misimus de tuâ ad Archiepiscopatum Goanum provectione, eo etiam tempore, die VIII. iulii anno MDCCCXLIII., alias fraternitati tuae literas scripseramus, quibus mentem nostram de servandis decretis illis aperte significavimus, teque laudandum atque in eo proposito confirmandum esse censuimus, quod antea aperueras, scilicet te nullâ aliâ nisi eâ usurum esse auctoritate, quae tibi a nobis tributa fuisset. Praeterea erant tibi notissimae apostolicae nostrae apud omnes celebratissimae sub annulo Piscatoris die XXIV. aprilis MDCCCXXXVIII. scriptae literae, quarum initium est *Multa praeclare,* de vicariatuum apostolicorum in Indiis Orientalibus factâ institutione. Talis vero est earumdem literarum forma, talisque contextus, ut, qui bonâ fide ducatur, nulla ratione possit sibi in animum inducere, statutum a nobis in iis regionibus ecclesiasticum regimen licere immutari desumpto ex iis verbis argumento, quibus nos in archiepiscopatu Goano tibi conferendo ex consuetâ in huiusmodi collationibus formulâ usi sumus. Quod autem ad alia decreta attinet, quae iisdem an. MDCCCXXXVIII. literis deinde accesserunt, ipsum inibi seu in finitimis locis regimen ecclesiasticum respicientia, haec etiam, utpote multorum sermone celebrata, haud ignota tibi fuisse arbitrabamur; et nos quidem, in praedictâ epistolâ die VIII. iulii MDCCCXLIII. ad fraternitatem tuam datâ, expressam de ipsis decretis mentionem facere non praetermisimus.

Quid vero, quod ipse cum Internuntio nostro, antequam Episcopus consecrareris, sermone habito, talem normam in istâ re te servaturum esse luculentâ ratione spopondisti, ut ne suspicari quidem nos posse putaremus, te quidquam inconsultis nobis circa auctoritatem in iis regionibus exercendam acturum esse vel innovaturum? Nam testis idem Internuntius est, fraternitatem tuam clare aperteque affirmavisse, te ita animo esse comparatum, ut, siquando vel a civili etiam potestate in eâ postulatus fuisses, negotium totum nostro et Apostolicae Sedis iudicio definiri oportere responsurus esses, atque interea nihil novi a te agendum esse statueres, nisi primum sententia nostra tibi patefacta fuisset.

Videbantur quidem nobis ista tam gravia, ut ab initio dubiam traxerint nostram mentem querelae illae, quae de agendi ratione tuâ his monumentis contrariâ Romam perlatae sunt. Verum deinde inviti quodammodo adducti sumus, ut dolentes intelligere debuerimus, te malis consiliis fortasse abreptum, et hominum unitatis catholicae centrum despicientium instigatione permotum, ab eo proposito deflexisse, quod tantam nobis laetandi causam primitus attulerat.

Nam et allatae ad nos sunt tuae literae, quibus consilium ipsum tuum significare nobis non es veritus, et communis facta est apud nos bonorum omnium contestatio, qui auctoritatem opemque nostram ad te continendum implorant. Difficile prorsus esset, tot ipsas hominum gravitate praestantium querimonias numerando percensere. Illae tamen omnes, una cum memoratis tuis ad nos literis, eo pertinent, ut dubitare prorsus non possimus, te nostra Sedisque Apostolicae decreta de vicariatuum apostolicorum in Indiis Orientalibus institutione despicere; Vicarios Apostolicos eisdemque subditos presbyteros missionarios contemptui habere; ipsam venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Congregationem, quae tanto studio Religioni catholicae in iis provinciis periclitanti consuluerat, aspernari; ecclesiasticos viros auctoritatis nostrae adsertores vexare; ecclesiasticae iurisdictionis rationem perturbare; nostras apostolicas sanctiones, ac praesertim supradictum breve apostolicum *Multa praeclare,* nihili ducere; libellos iniuriarum plenos adversus ecclesiasticum regimen nunc in vicariatibus apostolicis vigens, te, sin mi-

nus volente, saltem non repugnante, in vulgus spargi; atque ea omnia perpetrari, quae acerbissimi schismatis occasionem afferre possunt. Haec vero cum ita sint, muneris nostri esse duximus, te, ven. frater, nostris hisce literis obtestari atque hortari in Domino vehementer, ut meliora consilia ineunda esse intelligas. Scimus profecto quam grave malum in Ecclesiâ sit schismata excitari: sentimus praeterea quid ad tantam calamitatem vitandam a nobis requirat pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam nobis in Petro Apostolo a Christo Domino tradita potestas. Itaque tibi commendamus, ut facto tuo ostendas, illius iurisiurandi religionem te vere formidare, quod ipso die episcopalis tuae consecrationis nobis atque Apostolicae Sedi iuravisti.

Non dubitamus, te in personâ humilitatis nostrae illum esse honoraturum, cuius dignitas in indigno haerede non deficit. Quare te daturum operam esse confidimus, ut, quae nobis tantopere gratulantibus antea promiseras, ea in posterum accurate impleas iis praesertim obtemperando, quae in pluries recensito de vicariatibus apostolicis institutis Brevi, editisque postea eumdem in finem decretis statuta sunt.

Hoc a te consolationi nostrae in primis opportunum, et Ecclesiae bono in regionibus, de quibus locuti sumus, impense procurando in his temporum adiunctis plurimum utile observantiae tuae testimonium expectantes, apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, gregique tuo peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die I. martii MDCCCXLV., pontificatus nostri anno XV.

CCLIX.

Novum erigit episcopatum in Australiâ occidentali cum sede in urbe Perth, eius territorium abstrahens ab archidioecesi Sydneyensi, cuius Archiepiscopi suffraganeus sit novus Episcopus Perthensis. Huic autem Episcopo subiicit insuper districtus Essington et Sonde tamquam duos Vicariatus Apostolicos, ab ipso, donec erigantur in dioeceses, regendos.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Universo dominico gregi divinitus praepositi, id curare omni studio atque exequi debemus, quod ad tuendam vel promovendam illius incolumitatem pertinere videatur.

§ 1. Iam vero, quum ad Religionis Catholicae bonum in Australiâ occidentali procurandum nobis necessarium esse compertum sit, ita in illâ regione partiri ecclesiasticum regimen, ut episcopalis solicitudinis cura Ecclesiae utilitatem ibi promoveat impensius, novam in civitate Perthensi episcopalem sedem erigere constituimus.

§ 2. Itaque de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, atque attentâ etiam ratione, quod ven. frater Ioannes Polding Archiepiscopus Sidneyensis iurisdictionem omnem dimittere paratus sit, quam hactenus in Australiam Occidentalem exercuit, rebus omnibus mature perpensis, motu proprio ac certâ scientiâ, deque apostolicae nostrae auctoritatis plenitudine, memoratam Occidentalis Australiae partem, eiusque, qua late patet, territorium a Sidneyensis Archiepiscopi iurisdictione subtractum in dioecesim proprie dictam erigimus, ac in civitate Perthensi episcopalem cathedram constituimus, sic ut Episcopus novae dioecesis Perthensis appellari debeat, qui Archiepiscopo Sydneyensi tamquam Metropolitano suffraganeus subsit.

§ 3. Volumus autem et mandamus, ut districtus Essington cum toto territorio suo, ac districtus Sonde cum proprio territorio, eidem Episcopo Perthensi subiecti tamquam duo Vicariatus Apostolici, ab eodem adhibitâ quoque opera Pro-Vicarii, in principe uniuscuiusque districtus loco constituendi administrentur. Praecipimus denique, ut districtus isti eâ ratione gubernentur, quoad iidem in duas distinctas dioeceses cum territoriis suis ab Apostolicâ Sede erigi potuerint, salvo semper iure praedictam novam dioecesim dismembrandi, et aliter illam circumscribendi, prout temporum ratio, Ecclesiae bonum aliaque adiuncta postulaverint.

§ 4. Haec volumus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VI. maii MDCCCXLV., pontificatus nostri anno XV.

CCLX.

Duos ex moderatoribus Seminarii Parisiensis Missionum ad exteros impense laudat, et, commemoratis laboribus in missionibus ab alumnis eiusdem instituti exantlatis, corpus b. martyris Phosphori eidem Seminario donat propediem mittendum.

Dilectis filiis Carolo Langlois et Antonio Dubois, Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Licet indubia propensae voluntatis nostrae testimonia, quibus missionum Sinensium et Indiarum Antistites operariosque evangelicos, istius de Ecclesiâ Dei summopere meriti Seminarii alumnos, prosequuti identidem sumus, ad eiusdem quoque Seminarii moderatores referenda iure optimo sint, peculiarem tamen vobis, dilecti filii, pergrati animi nostri significationem deesse noluimus: quod sane per hanc a ven. fratre Columbicensi Episcopo tradendam epistolam perficere libentissime properamus. Equidem nos non latet quantam virtutem prae se ferunt quantamque mereantur laudem singuli ecclesiastici viri praeclaro isti Instituto praepositi, quo fit ut unumquemque eorum pari benevolentiâ et caritate complectamur. At vos, qui post diuturnos impensosque exantlatos, alter in Tunquini regno alter in orâ Coromandelicâ, apostolici muneris labores, tandiu sedulam studiosamque prae aliis illius curam geritis, singulari commendatione dignos plane censuimus. Novimus enim quae et quanta pro nomine Iesu et animarum salute in excolendâ quisque sibi creditâ dominicae vineae parte perpessi estis, et qua iamdiu solicitudine in operariis ad sacrum ministerium rite obeundum informandis adlaboretis, ita ut non minus aetate quam studio ac vigilantiâ regiminis ceteros moderatores praecedatis. Huiusce solicitudinis ac vigilantiae vestrae testes in primis habemus tot inclytos verbi Dei praecones et invictae fortitudinis heroes, qui sanguine etiam suo Sinenses ecclesias ad haec usque tempora foecundare ac fidem obsignare non detrectarunt: nec non ceteros probatissimos Antistites atque operarios, quorum nunc auctum numerum gratulamur, et quorum operâ optimisque cleri, praesertim indigenae, institutionibus res catholica in memoratis regionibus in dies magis magisque firmatur ac floret. Meminisse insuper iuvat vestram erga Apostolicam hanc Sedem et nostram de Propagandâ Fide Congregationem omnimodam constantemque observantiam, quam Seminarii istius alumnos inter alias egregias dotes iugiter fovisse ac praetulisse exploratum est. Non possumus hinc, dilecti filii, quin praecipua paternae nostrae benevolentiae significatione vos honestemus, cuius ut in posterum quoque memoria perseveret, munus pietati vestrae consonum pro Seminarii sacello addere voluimus, corpus nempe B. Martyris Phosphori, proprii nominis e vetusto urbis coemeterio nuper effossum, quod mittendum brevi curabimus. Post haec vero, totius boni auspicem et caritatis nostrae pignus apostolicam benedictionem cum reliquis praedicti Seminarii moderatoribus communicandam vobis amanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VI. iulii MDCCCXLV., pontificatus nostri anno XV.

CCLXI.

Confirmat Institutum Monachorum Chaldaeorum S. Hormisdae Ordinis S. Antonii, ac monachis observandas proponit regulas pro Antonianis Maronitis a Clemente XII. approbatas, nonnullis tamen in illis mutationibus factis per S. Congregationem patefaciendis (1).

(1) In II. vol. p. 428 retulimus lit. ap. a Clem. XII. datas, *Apostolatus officium*, quibus regulas confirmabat S. Antonii pro monachis Antonianis Maronitis Montis Libani; et in eodem volumine pag. 546 eiusdem pontificis lit. *Misericordiarum*, quibus easdem regulas proposuit Monachis Antonianis Congregationis S. Isaiae in Syria; verum, brevitatis causa, pro scientia harum regular. lectorem remittere existimavimus ad Bul. Rom. ed. Taurinensis vol. XXIV., pag. 605. Hic vero, cum easdem regulas proponat Pontifex confirmato instituto S. Ormisdae monachorum chaldaeorum S. Antonii, cum aliquibus modificationibus per S. C. datis: operae praetium credimus has regulas cum S. C. *Instructione* afferre. Utrasque in *Supplemento* huius voluminis lector inveniet.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Monachorum instituta, quae severioris vitae et christianarum exercitio virtutum peculiare Catholicae Ecclesiae ornamentum adiiciunt, apostolicae nostrae auctoritatis robore libenter munimus.

§ 1. Iam vero, quum monachi Chaldaei in Conventu S. Hormisdae haud longe ab urbe Mosulensi in Mesopotamiâ degentes nobis humiliter supplicaverint, ut eorum Institutum confirmare velimus, nos de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio eorumdem votis adnuendum censuimus. Igitur omnes et singulos, quibus hae litterae favent, peculiari beneficientiâ prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causâ latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratiâ absolventes et absolutos fore censentes, memoratum monachorum Chaldaeorum Institutum titulo S. Hormisdae nuncupatum, Ordinis tamen S. Antonii Abbatis, cui pariter regulas iam pro monachis Antonianis nationis Maronitarum per constitutionem felic. rec. Clementis XII. praedecessoris nostri, quae incipit *Misericordiarum Pater,* approbatas proponimus, nonnullis tamen adiectis modificationibus nationi et locis congruentibus iuxta Instructionem per eamdem Congregationem de Propagandâ Fide tradendam, auctoritate nostrâ apostolicâ tenore praesentium, in perpetuum confirmamus et approbamus.

§ 2. Decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXVI. septemb. MDCCCXLV., pontificatus nostri anno XV.

CCLXII.

Prorogat ad viginti annos facultates a Leone XII. Praeposito gener. S. I. concessas.

Dilecto filio Ioanni Roothan Praeposito Generali Societatis Iesu,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exponendum nobis curasti, fel. recor. Leonem XII. praedecessorem nostrum per similes apostolicas literas datas die XI. iulii anno MDCCCXXVI. nonnullas facultates ad annos viginti Praeposito generali Societatis Iesu contulisse cum sacerdotibus dictae Societatis sacras Missiones obeuntibus communicandas; quod temporis spatium quum finem sit habiturum, nobis humiliter supplicasti, ut ad aliud viginti annorum intervallum proferamus. Nos igitur omnes et singulos, quibus hae litterae favent, peculiari indulgentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, auctoritate nostra apostolica easdem facultates a Leone XII. praedecessore nostro Praeposito generali istius Societatis concessas cum presbyteris dictae Societatis Missionarii munere fungentibus communicandas ad alios viginti annos prorogamus, non obstantibus iis omnibus, quae in memoratis praedecessoris nostri literis haud obstare decretum est.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die X. februarii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXIII.

Missionem Tunquini in duos vicariatus distinctos dividit.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi non leve sane onus ferentes ob curam uni- Exordium.

versi Domini gregis, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Sede Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni, repertae intra verum ovile, ad pascula caelestia feliciter perduci valeant.

Decretum cum derogationibus.

§ 2. Porro quum ven. fr. Petrus Andrea Retord Episcopus Acantensis ac Vicarius Apostolicus Tunquini Occidentalis rei catholicae magis firmandae promovendaeque vel maxime congruere exposuerit, ut nimis ampla memorata Missio in duos distinctos vicariatus dividatur, quorum alter Occidentalis, alter vero Meridionalis nuncupetur, adsignatis huic alteri satis amplis provinciis Nghêan et Hätink una cum districtu seu territorio Bochiuh, quorum primus, sive Occidentalis sibi regendus relinquatur, nos eiusdem Antistitis postulatis libenter adnuendum censuimus. Itaque de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, motu proprio, certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine memoratas provincias Nghêan et Hä-tinh cum territorio Bochiuh ab Occidentali Tunquini vicariatu dividimus ac dismembramus, easque in distinctum vicariatum apostolicum meridionalem nuncupandum erigimus et constituimus a Vicario Apostolico ad nostrum et S. huius Sedis beneplacitum gubernandum, decernentes hasce litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat seu spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XVII. martii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXIV.

Provinciam Kouei-Kou a vicariatu ap. Sutchuensi in Sinis separat et in novum distinctum vic. ap. erigit.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi non leve sane onus ferentes ob curam universi dominici gregis, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Sede Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae intra verum ovile ad pascula coelestia feliciter perduci valeant. Itaque, quum nobis compertum fuerit nihil ad promovendam firmandamque in Missionum locis rem catholicam conferre, quam imminuta per divisionem earum amplitudine praesules Episcopos augere, nos attenta nimis quidem ampli Sutchuensi vicariatus in Sinis locorum qualitate, natura et circumstantiis, provinciam Kouei-Kou nuncupatam dismembrare, atque ex ea distinctum vicariatum apost. constituendum censuimus.

Decretum cum derogatione contrariorum.

§ 2. Igitur de consilio venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, motu proprio, atque ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum litterarum vi, memoratam provinciam Kouei-Kou nuncupatam a vicariatu Sutchuensi dismembramus, eamque in distinctum vicariatum apostolicum erigimus et constituimus a Vicario Apostolico ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum gubernandum, decernentes, hasce litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat seu spectabit, plenissime suffragari et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi ac interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae. § 3. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVII. martii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXV.

Iaponiae regnum, iuxta modum, in vicariatum ap. erigit (1).

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi non leve sane onus ferentes ob curam universi dominici gregis, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Sede Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni repertae intra verum ovile ad pascua coelestia feliciter perduci valeant. Itaque quum nobis compertum fuerit in Iaponiae regnum operarios evangelicos, Deo adiuvante, denuo immittendi, et collapsae ob immanem persecutionem rei catholicae excitandae spem affulsisse, atque ex Insulis Lieon-Kieon magis quam ex Coreano vicariatu ad illud adeundi facultatem nunc sese offerre; cumque inter alia ad missionem ipsam vel ab exordio firmius, quo fieri possit, roborandam, eiusque necessitatibus ac periculis occurrendum necessarium videatur Praesulem illi praeficere charactere episcopali insignitum, nos de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum ex Iaponiae Regno una cum praedictis Insulis Lieon-Kieon aliisque adiacentibus et alteri praesuli nondum subiectis, motu proprio, certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, vicariatum apost. erigimus et constituimus a Vicario Apostolico ad nostrae et sanctae Sedis Apost. arbitrium gubernandum: decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat seu spectabit plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVII. martii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXVI.

Provincias Tche-Kiang et Kiang-Si in Sinis in duos vicar. ap. dividit iuxta modum.

GREGORIUS PP. XVI.
ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi non leve sane onus ferentes ob curam universi dominici gregis, illis praecipue ovibus, quae regiones ab hac Sede Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu Pastoris aeterni, repertae intra verum ovile, ad pascua coelestia feliciter perduci valeant. Iam vero quum fel. me. Episcopus Myriensis, ac Vicarius Apostolicus provinciarum Tche-Kiang et Kiang-Si in Sinis, paulo antequam inopinato eventu e vita migraret, nobis exponendum curaverit, ad magis formandam promovendamque catholicam rem peropportunum esse memoratas provincias dividere, easque in duos vicariatus erigere, quorum alter provinciam Kiang-Si a qua nomen acciperet, alter vero provinciam Tche-Kiang eodem nomine appellandus complecteretur, additis tamen huic alteri districtibus provinciae Kiang-Sou, nempe Tchang-tcheo-Sou, Kin-Kovey-Kien, On-fy-Kien et Kiang-in-hiem,

(1) Vide infra Pium IX. et Leonem XIII.

nos de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum motu proprio, certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratas provincias dividimus ac dismembramus, ex eisque duos inter se distinctos vicariatus erigimus et constituimus, quorum alter provinciam Kiang-Si, a qua nomen accipiat, alter vero provinciam Tche-Kiang eodem nomine appellandus complectatur, una cum districtibus provinciae Kiang-Sou, nempe Tchang-tcheo-Sou, Kin-Kovey-Kien, Ou-fy-Kien, et Kiang-in-hiem, quos nimirum vicariatui Tche-Kiang adiicimus, decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat seu spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscat. die XXVII. martii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXVII.

Regiones medii atque inferioris Thibeti in vicariatum ap. erigit ex urbe Lassa nominandum.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris nostris impositi non leve sane onus ferentes ob curam universi dominici gregis, illis praecipua ovibus, quae regiones ab hac Sede Apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis, longe dissitas incolunt, maiori consulendum sedulitate censuimus, ut in adventu Pastoris aeterni, repertae intra verum ovile, ad pascua coelestia feliciter perduci valeant. Itaque quum ven. frater Iosephus Antonius Borghi Betsaidae Episcopus, ac missionis Thibet Industanae Vicarius Apostolicus, nobis exponendum curaverit, se adeo ampli vicariatus curam gerere haud posse, nobisque supplicaverit, ut, imminuto nonnullarum regionum sibi onere, eas aliis Praesulibus committeremus, atque interea, ne suo fidei catholicae promovendae muneri deesset, remotiores quasdam regiones, Medii nempe atque Inferioris Thibeti nuncupatas, et missioni Sutchuensi finitimas, optime meriti Seminarii Parisiensis missionum ad exteros alumnis curandas commendaverit, nos memorati Betsaidae Episcopi studium et consilium commendantes, ex memoratis regionibus vicariatum apostolicum ex praecipua ac centrali urbe Lassa appellandum erigere constituimus. Nos igitur de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, motu proprio, certa scientia, deque apostolica potestatis plenitudine memoratas regiones medii atque inferioris Thibeti nuncupatas et missioni Sutchuensi finitimas a vicariatu missionis Thibet-Indostanae dismembramus, easque in distinctum vicariatum apostolicum ex centrali urbe Lassa appellandum erigimus et constituimus a Vicario Apostolico ad nostrae et Sedis Apostolicae beneplacitum gubernandum, decernentes has litteras firmas, validas ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque iis, ad quos spectat seu spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscat., die XXVII. martii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXVIII.

Africanum territorium inter definitos limites in novum vicariatum ap. erigit.

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito pastoralis officii inscrutabili Dei consilio humeris nostris impositi ad eas etiam gentes curas nostras extendimus, quae extra Christi ovile misere versantur, ut intra Domini caulas inductae ad aeternae vitae pascua valeant pervenire. Iam vero quum ad catholicam fidem inter populos Africae interioris inducendam propagandamque nobis visum fuerit expedire, ut in vicariatum apostolicum totum illud territorium erigatur, quod ad orientem limites attingit vicariatus apostolici Aegypti, atque apostolicae Abissiniae praefecturae, quodque ad occidentalem plagam terminatur ab apostolica praefectura Guienarum, ad septentrionalem a praefectura Tripolitana, vicariatu apostolico Taneti et dioecesi Iuliae Caesareae, ad meridionalem vero a Montibus, ut aiunt, Lunae, salvis tamen omnino limitibus missionum et iurisdictionum iam legitime existentium, ac reservata, ut iuris est, facultate, prout in posterum adiuncta postulabunt, diversimode praedictum vicariatum circumscribendi, aut dividendi: nos de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum: motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, dictum Africae territorium iuxta limites superius indicatos in vicariatum apostolicum erigimus et constituimus, a Vicario Apostolico ad nostrum et S. Sedis beneplacitum gubernandum, salvis tamen, ut praedictum est, limitibus missionum et iurisdictionum iam legitime existentium, ac reservata nobis ac Sanctae huic Sedi facultate, prout de iure, memoratum vicariatum recens erectum diversimode circumscribendi aut dividendi, veluti in posterum adiuncta postulabunt. Haec statuimus, non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque expressa mentione dignis contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die III. aprilis MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXIX.

Africanum territorium ad meridiem Abissiniae a populis Gallas *habitum in novum vicar. apostol. erigit.*

GREGORIUS PP. XVI.

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Pastoralis muneris officium humilitati nostrae commissum omnino postulat, ut ad eas praesertim oves curas nostras extendamus, quae ab hac Apostolica Sede, catholicae unitatis centro, disiunctae sunt, ut in adventu Pastoris aeterni intra verum ovile repertae ad aeternae vitae pascua perducantur. Itaque, quum de populis *Gallas* ad Abissiniae meridiem sitis ea nobis relata fuerint, quae spem afferant fore ut eorumdem occasione Christi grex augeatur, ac spirituali eorumdem bono possit provideri, novum ibi vicariatum apostolicum erigendum existimavimus.

§ 2. Nos igitur de consilio venn. fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, novum vicariatum apostolicum, qui memoratam universam regionem in Abissinia complectatur, erigimus et constituimus a Vicario Apostolico ad nostrum et S. huius Apostolicae Sedis gubernandum.

§ 3. Decernentes has litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitu-

tionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IV. maii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXX.

Novo vicariatui ap. inter populos Gallas *in Africa erecto Guillelmum Massaia Ep. Cassiensem praeficit.*

Dilecto filio Guillelmo Massaia presbytero fratrum Ord. Minorum Cappucinorum,

GREGORIUS PP. XVI.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

§ 1. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare.

Decretum et conditiones.

§ 2. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum vero, episcopali ecclesia Cassiensi, quae in partibus infidelium existit, Pastoris solatio destituta, nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni nos fecerunt certiores, provisionem celerem atque felicem, in qua nemo praeter nos se potuit seu poterit intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum venn. fratr. nostris S. R. E. Cardinalibus Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te, qui ex legittimo matrimonio procreatus, et in aetate legittima constitutus existis, de cuius morum integritate, doctrina ac prudentia et christianae religionis et catholicae fidei zelo fide digna accepimus testimonia, oculos mentis nostrae direximus. Quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem ecclesiam episcopalem Cassiensem de persona tua, nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium providemus, teque illi in Episcopum praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente Domino actus tuos praedicta ecclesia Cassiensis per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur ac in spiritualibus ac temporalibus Orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione complectens, curam et adminisirationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam. Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus atque indulgemus. Tibi insuper, ut a quocumque malueris catholico Antistite Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente, adcitis et in hoc illi adsistentibus duobus aliis Episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti Regularibus similem praefatae huius Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, atque eidem Antistiti, ut receptis a te

prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a S. Sede propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, praefatum munus tibi, auctoritate nostra, impendere licite valeat, plenam harum litterarum serie tribuimus facultatem. Volumus tamen, eadem auctoritate praecipimus, ut, nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Derogat contrariis. § 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII. maii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXXI.

Manduriensem vicar. ap. in Indiis Orient. Soc. Iesu committit, adiectis conditionibus et praevia limitum definitione (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Ex pastoralis officii debito ad meliorem complurium Indiarum Orientalium missionum circumspectionem et administrationem curas nostras convertentes, Mandurensis quoque missionis res ad examen revocavimus et illius regimini satius prospiciendum existimavimus.

Societati Iesu committit novum Vic. Ap. § 1. Itaque audito dilecto filio Praeposito generali Societatis Iesu, cui memorata missio iampridem commendata fuit, adhibitaque matura deliberatione, utrum ac quomodo expediret eidem missioni praeficere presbyterum dictae Societatis cum titulo ac facultatibus Vicarii Apostolici, et cum charactere episcopali titulo ecclesiae in partibus infidelium; nos de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, praevia definitione limitum ipsius missionis, illius regimen, adiectis tamen certis quibusdam conditionibus, presbytero Societatis Iesu committendo censuimus. Itaque certa scientia, motu proprio, ac matura deliberatione nostra, deque apostolicae auctoritatis plenitudine, Mandurensis missionis regimen presbytero Societatis Iesu committi volumus ac mandamus, hisce expressis conditionibus:

I. Ut electio eiusdem Vicarii Apostolici fieri debeat a Congregatione venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum inter tres patres Societatis eiusdem a Praeposito generali designandos.

II. Ut Vicarius Apostolicus regularis etiam ac primarius sit in missione superior presbyterorum suae Societatis, atque adeo iuxta instituti regulas in iis,

---

(1) Presbyterum S. I. praeficiendum novo vicariatui Manduriensi dispensat a voto et obligatione electioni contrariis.

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Pro apostolici nostri muneris officio Mandurensis missionis regimini prospicientes, aliquem ex presbyteris Societatis Iesu, cui memorata missio iamdudum commendata est, ad munus Vicarii Apostolici cum charactere episcopali titulo ecclesiae in partibus infidelium in memorata missione, prout a nobis circumscripta est, obeundum deputandum censuimus, iuxta tamen certas conditiones hac super re a nobis praescriptas: quapropter, ut eligendus Vicarius Apostolicus a dictarum conditionum ac decretorum observantia nulla plane ratione detineri possit, nos eumdem ab omni obligatione per professionem suscepta solvendum censuimus, quae nimirum supradictis conditionibus contraire atque obstare videatur. Idcirco de consilio VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum, motu proprio, certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, Societatis Iesu presbyterum in Vicarium Apostolicum Mandurensis missionis eligendum dispensamus, ac solvimus ab ea constitutionum societatis regula seu obligatione de non admittenda excipiendaque ulla extra societatem praelatione seu dignitate, itemque a voto quod a sacerdotibus professis emittitur, de non recusando scilicet consilio praepositi generalis societatis ipsius, vel eius delegati in commissi sibi muneris exercitio, si quando fieret, ut ad alicuius Ecclesiae regimen eligantur, atque insuper a quavis alia omnino obligatione per professionem regularum suscepta quae forte supra relatis conditionibus decretisque contrarium praeferat; firma tamen remanente obligatione, ut Episcopus Vicarius Apostolicus, antequam muneri suo det operam, iusiurandum praestet iuxta formulam a fel. rec. Benedicto XIV. praedecessore nostro pro Episcopis traditam in constitutione quae incipit *Omnium sollicitudinem*, data pridie idus septembris a. MDCCXLIV. de ritibus, coeremoniis in regno Mandurensi. Ita statuimus, volumus, ac mandamus, non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non supradictae Societatis Iesu regulis ac statutis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. maii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

quae ad disciplinam regularem pertinent, missionarios moderetur ac regat.

III. Ut idem Vicarius Apostolicus in gubernio missionis, nec non in administratione fundorum et pecuniarum quocumque titulo illi obvenientium, omnia ex sententia dictae Congregationis Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum peragere debeat, cum qua directe et immediate communicet, ad eamque singulis trienniis de vero statu missionis referre teneatur tum circa spirituales, tum circa temporales res ipsam respicientes, onerata super his omnibus ipsius conscientia.

Limites vicariatus.

§ 2. Iam vero, quod pertinet ad limites missionis, seu vicariatus Mandurensis, habita missionum finitimarum et eorum quae hac de re antea statuta sunt, ratione, eumdem vicariatum pro nunc, ac donec fortasse eum in plures dividere temporum adiuncta non requirant, ita definitum volumus ac mandamus, ut scilicet, sicut ad Orjentem ac Meridiem a mari circumscribitur, et ad Occidentem a Montibus Gates, ita ad Septentrionem fines eius constituant meridionalis linea provinciae seu missionis Coimbatorensis, flumen Cavery, eiusque ramus Vettar usque ad Mare.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Haec volumus, non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX. maii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXXII.

Iulio Alexio Soc. Iesu presbytero novo vicariatui Manduriensi praeficiendo titulum ep. eccl. Tamassen. in insula Cypri confert.

Dilecto filio Alexio Canoz presbytero Societatis Iesu,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisionem ecclesiarum omnium nunc vacantium, quaeque in posterum vacaturae, ordinationi ac provisioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum nominationis

§ 1. Postmodum vero, episcopali ecclesia Tamassen. in Insula Cypri in partibus infidelium Pastoris solatio destituta, nos ad eiusdem ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt nos certiores, provisionem celerem et felicem, in qua nullus praeter nos se potuit seu potest intromittere, reservatione ac decreto obsistentibus supradictis, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac fructuosam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negociis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te, qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate legitima constitutus existis, de cuius morum integritate, doctrina ac prudentia et christianae religionis ac catholicae fidei zelo fide digna accepimus testimonia, oculos mentis nostrae direximus. Quibus omnibus mature perpensis, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, eamdem ecclesiam episcopalem Tamassen. de persona tua nobis et memoratis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica tenore praesentium providemus, teque illi in Episcopum praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, quod dirigente

Domino actus tuos praedicta ecclesia Tamassen. per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter ac prospere dirigatur ac in spiritualibus ac temporalibus orthodoxa religio incrementa suscipiat. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione complectens, curam et administrationem praefatas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut ecclesia praefata gaudeat se provido gubernatori et fructuoso administratori esse commissam, ac tu praeter aeternae retributionis praemium nostram quoque et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

Dispensatio. § 2. Praeterea tibi, ut ad ecclesiam praefatam, quamdiu ab infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate concedimus atque indulgemus. Tibi insuper, ut a quocumque malueris catholico Antistite Sanctae nostrae Sedis gratiam et communionem habente, adcitis et in hoc illi adsistentibus duobus aliis Episcopis, vel, quatenus hi commode reperiri nequeant, duobus eorum loco presbyteris saecularibus vel cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti Regularibus similem praefatae huius Sanctae Sedis gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere libere et licite possis et valeas, atque eidem Antistiti, ut, receptis a te prius catholicae fidei professione iuxta articulos pridem a S. Sede propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae iuramento, praefatum munus tibi, auctoritate nostra, impendere licite valeat, plenam harum litterarum serie tribuimus facultatem.

Conditiones. § 3. Volumus tamen, eadem auctoritate praecipimus, ut, nisi receptis a te per dictum Antistitem iuramento et professione fidei huiusmodi, ipse Antistes consecrationis munus tibi impendere, tuque illud recipere praesumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu a regimine et administratione ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso.

Derogat contrariis. § 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII. maii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXXIII.

Alexium Canoz presbyt. Soc. Iesu novo Manduriensi vic. ap. in Indiis Orientalibus praeficit.

Dilecto filio Alexio Canoz presbytero Societatis Iesu,

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum Mandurensis missionis, ut in praesens circumscribitur, regimen quibusdam sub conditionibus presbytero Soc. Iesu cum charactere episcopali et cum Apostolici Vicarii titulo ac facultatibus committendum censuerimus, addita etiam solutione ac dispensatione a quovis vinculo, suspensione aut voto per professionem regularem suscepto aut emisso, quod memoratis conditionibus decretisque quovis modo adsciscere posset: Nos, mature omnibus perpensis, de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum, inter tres presbyteros a dilecto filio praeposito generali eiusdem Societatis ad id muneris nobis commendatos te ad huiusmodi Vicarii Apostolici officium deputandum censuimus, quippe de tua pietate, doctrina, prudentia, ac fidei catholicae promovendae studio praeclare accepta sunt testimonia, in huiusmodi Vicarium eligere statuimus. Te igitur, quem Episcopum Ecclesiae Tamassen. in partibus infidelium per similes nostras apostolicas litteras hoc ipso die datas renuntiavimus, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce literis auctoritate nostra apostolica Vicarium Apostolicum Mandurensis missionis cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis tenore praesentium eligimus, constituimus ac renuntiamus. Mandamus praeterea omnibus et singulis ad quos spectat, ut te in Vicarium Apostolicum huiusmodi recipiant et admittant, tibique faveant, pareant ac praesto sint, tuaque mandata efficaciter adimpleant, secus sententiam seu poenam quam rite tuleris seu sta-

tueris in rebelles, ratam habebimus, ac faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXII. maii MDCCCXLVI., pontific. nostri anno XVI.

CCLXXIV.

Dolet de matrimoniis mixtis ab Ecclesia vetitis in Friburgensi dioecesi invectis, ac laudat Episcopum doctrinam Ecclesiae in eâ re promoventem et abusus tollere conantem; pluribus confirmat, et ubique valere asserit, benedictionem in iisdem matrimoniis impertiri non posse, quae contrahantur sine dispensatione et cautionibus, etsi alicubi ob invectam consuetudinem toleretur ut iis benedicatur, si dispensatio et cautiones praecesserint (1).

Venerabili fratri Episcopo Friburgensi,

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Non sine gravi animi nostri moerore iam noscebamus, ven. frater, quae tuis literis die IV. proximi mensis martii ad nos datis dolenter significas, de deplorandâ in istis regionibus catholicos inter et acatholicos matrimoniorum frequentiâ, deque civilis potestatis in eiusmodi nuptiis agendi ratione. Compertum enim exploratumque est, catholicos, seu viros seu mulieres, qui mixtis nuptiis temere contrahendis, se ac prolem inde suscipiendam in perversionis periculum iniiciunt, contra naturalem divinamque legem peccare. Quam sane legem sartam tectamque tueri contendit Ecclesia et haec Apostolica Sedes, seu in generali ipsarum nuptiarum prohibitione, seu in cautionibus, quas iure suo exigit cum ob graves aliquas causas ea coniugia aegre admodum sinit, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non possit, quin potius ille teneri se sciat ad hunc pro viribus

(1) Ex reg. vatic. ep. ad Principes et alios h. a. Vide supra *Summo iugiter studio — Quas vestro et communi*. Notis ex Vaticano Tabul. desumptis didici ea quae his literis de matrimoniis mixtis Pontifex edocet, eisdem fere verbis iam tradidisse Episcopo Rotenburgensi aliis literis, sub die XXV. ianuarii MDCCCXLII., quas, maiori qua potui cura quaesitas, haud invenire potui. Harum literarum defectui suppleo per duas Instructiones a S. Sede emissas. Quarum primam ad Primatem Hungariae regni ex Tab. Vat. extraxi; secundam vero, ad Episcopos Austriacae ditionis, grato animo accepi ab illmo et rmo Archiepisc. Leopolien. ruth. ritus Metrop. Halicien. D. Silvestro Sembratowicz. Quae quidem Instructio una cum adiecto rescripto, prout hic sequitur, diligenter collata est cum exemplari authentico in Vaticanis Tabulariis asservato.

INSTRUCTIO PRIMA

ad Primatem, Archiepiscopos et Episcopos in Hungariae regno

Memores officii, quo assidue tenentur advigilare ut catholicae fidei puritas et sacrae disciplinae integritas nihil unquam detrimenti capiat, Hungarici regni Antistites ubi primum animadverterunt invectam illic praxim benedicendi ac religiosis ritibus honestandi matrimonia, quae catholicos inter et acatholicos, nulla praevia Ecclesiae dispensatione, neglectisque necessariis cautionibus, iniri consueverant, utpote sanctissimis Religionis nostrae principiis et canonum statutis repugnantem, diutius citra grave piaculum tolerari non posse, omnem unanimiter curam atque operam impendere non distulerunt ad opportuna tanto huic malo remedia comparanda. At sicuti laetandum ipsis fuit de fideli parochorum et reliqui cleri studio in pastoralibus documentis monitisque perficiendis; ita pariter praesenserunt quot quantisque difficultatibus ac molestiis se se atque illos his de causis obiicerent. Eiusmodi namque praesunt dioecesibus, ubi acatholicorum pars catholicorum saepe numerum exaequat, et nonnunquam etiam excedit: atque adeo tales inibi leges vigent, quibus ratione inductae pridem utrinque civilium iurium aequalitatis, et consilio tuendae publicae pacis ac quietis, libertatem mixtas nuptias ineundi fovent, proindeque cum canonicis ea de re sanctionibus conciliari minime possunt. Nec reapse multum abfuit ut in maximas redigerentur angustias: cum ex una parte nequirent Dei Ecclesiaeque causam prodere, ex altera vero violatae legis patriae perturbatique inde ordinis tam ipsi quam inferiores sacrorum ministri insimularentur. In hac difficili conditione positi, eoque insuper spectantes, ut imminentia Catholicae Religioni graviora incommoda prudenter averterent, subditumque sibi clerum adversariorum iurgiis ac vexationibus eriperent, nec non iis potissimum ex leviori sexu prospicerent, quae ob negatam omnino illicitis suis nuptiis catholici sacerdotis praesentiam a fide facile essent defecturae; in sententiam devenerunt tolerandi ex praesumpto Sedis Apostolicae assensu, ut parochi iisdem nuptiis, siquidem absque maioris mali periculo interverti non possent, passive tantum, exclusisque penitus sacris ritibus, adessent. Mox autem re ad ipsam Sanctam Sedem obsequentissime delata, fusiusque expositis angustiis, quae ex ingravescentibus in dies impedimentis clero videntur impendere, tum per litteras ad SSmum Dominum nostrum Gregorium PP. XVI. communi nomine datas, tum per legatum huc votorum suorum interpretem Episcopum Csanadiensem, initi abs se consilii ratihabitionem, simulque opportunum super universo hoc negotio apostolicae auctoritatis auxilium atque adiu-

ab errore retrahendum, verum etiam ut proles utriusque sexus ex hisce matrimoniis procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educari debeat. Quamobrem, ven. frater, meritis te in Domino laudibus summopere prosequimur, quod pro episcopalis tui ministerii officio in tanti momenti rem curas cogitationesque merito converteris, Ecclesiae de mixtis matrimoniis doctrinam, ius libertatemque tueri, vindicare studueris, ac pastorali robore et constantiâ exortos abusus de me-

---

mentum magna cum animi sollicitudine implorarunt.

Porro Sanctitas Sua, singulis matura consideratione perpensis, auditoque suffragio emorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ex S. Congregatione extraordinariis Ecclesiae negotiis praeposita, summopere studens, salvis catholicae doctrinae principiis, unde nec minimum deflectere fas est, quantum pro supremi apostolatus munere possit, subvenire postulantium eorum Antistitum angustiis, et molestas quibus premuntur difficultates minuere, maxime vero tristiora in Religionem et Ecclesiam mala praecavere, primum quidem debitas rependit laudes alacri ipsorum zelo in illicita, de qua dictum est, praxi tollenda, eosque vehementius excitavit ad firmiorem usque in salutari proposito constantiam: deinde susceptam per eosdem tolerantiae rationem ratam censuit habendam. Hinc rescribens ad memoratas nuper litteras tolerari posse declaravit, ut quoties ex temporum, locorum, ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere, et vicissim, omissis licet necessariis cautionibus, sine graviori discrimine nequeat impediri; atque insuper Ecclesiae utilitati communique bono expedire videatur, si illud quamtumvis vetitum et illicitum, coram catholico parocho potius quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile confugerent, contrahatur; idem catholicus parochus, aliusve sacerdos eius vice fungens, matrimonio ipsi materiali tantum praesentia, nullo adhibito ecclesiastico ritu, intersit, perinde ac si partes unice agat meri testis, ut aiunt, *qualificati* seu *auctorizabilis:* ita scilicet ut, utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum *in matrimoniorum librum* valeat referre. Quibus tamen in circumstantiis apposite subdidit, non impari, immo maiori etiam, conatu ac studio ab Episcopis et parochis elaborandum fore, ut a catholica parte perversionis periculum, quoad fieri poterit, amoveatur, ut universae prolis educationi, quo meliori liceat modo, cautum sit, utque Catholicae Religioni adhaerens coniux serio admoneatur de obligatione curandi pro viribus conversionem acatholici coniugis; quippe quod ad patratorum criminum veniam ad Deo facilius impetrandam apprime conducat.

Permotus praeterea SSmus Dominus noster iis, quae in praenunciatis litteris per Hungaricos Antistites addebantur, quaeque ex ipsorum sensu uberius expressit Episcopus Csanadiensis, tali nempe providentiae forma haud satis mederi multiplici regionum necessitati, nec auferri suarum et cleri anxietatum causas, habita praesertim ratione nuptiarum, quas ob denegatam etiam ex defectu cautionum catholici parochi benedictionem coram acatholico ministro iniri contingat; alia nonnulla pari benignitate decrevit super mixtis connubiis in Hungariae regno et magno Transylvaniae Ducatu indulgenda seu toleranda. Itaque praesenti instructione Primati, Archiepiscopis et Episcopis eiusdem regni pontificio nomine significatur, si recensitae superius circumstantiae in re, de qua agitur, intercesserint, pati ipsos ulterius posse, ut a parocho catholico tum consuetae proclamationes fiant, omni tamen praetermissa mentione circa religionem illorum qui nuptias sint contracturi, tum etiam de peractis hisce proclamationibus litterae mere testimoniales concedantur, in quibus (dummodo nullum adsit dirimens impedimentum) unice enuncietur, nil aliud, praeter Ecclesiae vetitum ob mixtae religionis impedimentum, conciliando matrimonio obstare, nullo prorsus addito verbo, unde consensus aut adprobationis vel levis suspicio sit oritura. Quod autem attinet ad connubiorum istorum coram acatholico ministro, seu non servata Concilii Tridentini forma, celebrationem, erit omnino sacrorum praesulum ac parochorum studiosissime instare, atque in caritate Dei et patientia Christi partem catholicam hortari ac monere, ut illam nimirum ab tanti scandali turpitudine, quantum possint, absterreant. Si quidem vero huiusmodi ipsorum monitis atque hortamentis nihil, quod absit, proficientibus, mixta matrimonia ea ratione fuerint inita; inspectis tam praeteritis quam praesentibus locorum, de quibus sermo est, peculiaribus circumstantiis, erunt ab Episcopis et parochis prudenter dissimulanda, et, quamvis illicita, pro validis habenda; nisi tamen canonicum aliunde officiat dirimens impedimentum, seu in nuptiarum celebratione appositae fuerint conditiones substantiae matrimonii ex catholica doctrina repugnantes. Ceterum quocumque demum modo mixta haec matrimonia citra Ecclesiae dispensationes et necessarias cautiones, sive per passivam parochi catholici praesentiam, sive coram acatholico ministro contracta fuerint; illud Episcopis et parochis Sanctitas Sua magnopere commendat, ut omni pastorali sollicitudine catholicum coniugem ad patratae culpae detestationem congruamque poenitentiam opportune conentur excitare, eumque solerter adducant ad obligationes implendas, quibus gravissime tenetur, illam praesertim, quae est de catholica universae prolis educatione impense curanda. Quae si ex voto contingant, adeoque constet, eum revera resipuisse, paratumque esse ad opportunam, quoad valuerit, scandali reparationem; tunc sane poterit ipse sacramentorum Ecclesiae particeps fieri, quemadmodum respondens die XIII. iulii MDCCLXXXII. Archiepiscopo Mechliniensi sa. me. Pius VI. in rem adnotavit.

Datum Romae die XXX. aprilis an. Dñi MDCCCXLI.

A. Card. Lambruschini

INSTRUCTIO SECUNDA

ad Archiepiscopos et Episcopos austriacae ditionis in foederatis Germaniae partibus.

Cum Romanus Pontifex, pro imposito sibi divinitus apostolici officii munere, sacrae doctrinae ac disciplinae integritati cavere studiosissime debeat, non potest non moleste ferre graviterque improbare quidquid in earum discrimen induci fortasse contingat. Exploratum porro satis superque est, quid Ecclesia de matrimoniis catholicos inter et acatholicos perpetuo senserit. Ipsa nimirum tamquam illicitas planeque perniciosas semper habuit eiusmodi nuptias, tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, pravamque sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones illas severe interdicentes, et recentiores Summorum Pontificum sanctiones, a quibus speciatim recensendis iuvat abstinere, cum ea abunde sufficiant, quae in rem disseruit insignis memoriae Pontifex Benedictus XIV, in encyclicis literis ad Poloniae Regni Episcopos, atque in cele-

dio tollere, tuisque praesertim parochis saepius praecipere, mandare non destiteris, ut in huiusmodi nuptiis Ecclesiae regulas a nobis et praedecessoribus nostris tanto studio inculcatas religiosissime servent.

§ 2. Et quidem, quod ad benedictionem attinet, eam, veluti optime noscis, haec Apostolica Sedes prohibere consuevit in illis quoque matrimoniis, quae inter catholicos et acatholicos ineuntur impetratâ eiusdem sedis veniâ atque adhibitis cau-

---

bratissimo opere, quod de Synodo Dioecesana inscriptum est. Quod si aliquid de canonum severitate remittens Apostolica Sedes mixta istiusmodi matrimonia quandoque permisit, id gravibus dumtaxat de causis aegreque admodum fecit, et nonnisi expressa sub conditione de praemittendis opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; sed insuper ut proles utriusque sexus ex hisce coniugiis procreanda in Catholicae Religionis sanctitate omnino educaretur. Quae certe cautiones in ipsa naturali ac divina lege fundantur, in quam procul dubio gravissime peccat quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere committat.

Iam vero accepit non ita pridem Sanctissimus Dñus noster Gregorius divina providentia PP. XVI., per istas dioeceses austriacae ditionis in foederatis Germaniae partibus abusum passim invaluisse, ut matrimonia catholicos inter et acatholicos, nulla licet accedente Ecclesiae dispensatione, nec praeviis necessariis cautionibus, per catholicos parochos benedictione sacrisque ritibus honestarentur. Ac propterea facile intelligitur, quo dolore exinde affici debuerit; maxime cum invectam ita lateque propagatam perspiceret omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque adeo magis in dies promotum funestissimum, uti vocant, indifferentismum in religionis negotio intra vastissimae illius ditionis fines, quae catholico nomine tantopere gloriatur. Nec sane sanctissimi, quo fungitur, muneris partes fuisset praetermissurus, si res ante innotuisset. Hanc autem pontificii silentii causam ex eo etiam pronum est coniicere, quod vel nuperis temporibus nulla prorsus ad promiscuas nuptias istic ineundas apostolica dispensatio fuerit concessa, nisi praescriptis necessariis conditionibus iniunctisque regulis, quae ex Sanctae Sedis instituto servari consueverunt.

Inter haec tamen non parum solatii Sanctitati Suae allatum est, quod una pariter noverit, plerumque earundem dioecesium Antistites, permotos praesertim apostolicis in rem ipsam declarationibus ad alias regiones spectantibus, pastorali sollicitudine incubuisse ad praxim illam, uti Ecclesiae principiis ac legibus adversantem, pro viribus tollendam. Proinde debitas rependens laudes ipsorum zelo Sanctissimus Dominus, eos hortari ac vehementius etiam excitare non desistit, ut constanti studio pergant Catholicae Ecclesiae doctrinam ac disciplinam tueri, solertissime curantes, ne pravus usus reviviscat, atque ubi adhuc superest illius germen, funditus eradicetur.

Verum non potuit Sanctitas Sua non mature respicere ad maximas difficultates et molestias, quibus memorati Antistites subditusque iis clerus identidem premuntur; quemadmodum liquet ex literis, quas Archiepiscopi earum regionum ad ipsam Sanctitatem Suam miserunt, opportunum super gravissimo hoc negotio apostolicae auctoritatis auxilium atque adiumentum implorantes. Cupiens hinc, salvis catholicae doctrinae principiis, unde nec minimum deflectere fas est, quantum pro supremi apostolatus munere valeat, subvenire difficilibus istarum dioecesium circumstantiis, ortasque inde Antistitum angustias minuere, eam ibidem statuit adhibendam et praesenti instructione significandam tolerantiae prudentiaeque rationem, qua Apostolica Sedes mala illa patienter solet dissimulare, quae vel impediri omnino nequeunt, vel si impediantur, funestioribus etiam incommodis facilem aditum possunt patefacere.

Si quidem igitur in praedictis dioecesibus quandoque fiat ut, conantibus licet contra per debitas suasiones hortationesque sacris pastoribus, catholicus vir aut mulier in contrahendi mixti matrimonii citra necessarias cautiones sententia persistat, et aliunde res abque gravioris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti plane non possit; simulque in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere pósse agnoscatur, si huiuscemodi nuptiae, quantumvis illicitae ac vetitae, coram catholico parocho potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile fortasse confugerent, celebrentur; tunc parochus catholicus aliusve sacerdos eius vice fungens poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes unice ageret meri testis, ut aiunt, qualificati seu auctorizabilis; ita scilicet ut, utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat. His tamen in circumstantiis haud impari, immo impensiori etiam, conatu et studio per praenunciatos Antistites et parochos elaborandum erit, ut a catholica parte perversionis periculum, quoad fieri possit, amoveatur; ut prolis utriusque sexus educationi in Religione Catholica, quo meliori liceat modo, prospiciatur; atque ut coniux catholicae fidei adhaerens serio admoneatur de obligatione, qua tenetur, curandi pro viribus acatholici coniugis conversionem, quod ad veniam patratorum criminum facilius a Deo obtinendam erit opportunissimum.

Ceterum Sanctissimus Dominus intime dolens, quod haec tolerantiae ratio erga ditionem catholicae fidei professione insignem fuerit ineunda, Antistites ipsos per viscera Iesu Christi, cuius personam in terris gerit, tota animi contentione obtestatur, ut id demum in tam gravi negotio agere studeant, quod, implorato Spiritus Sancti lumine, istiusmodi fini revera censuerint respondere; atque illud una simul satagant, ne tali tolerantiae ratione erga homines mixta connubia illicite contracturos contingat, ut in catholico populo extenuetur memoria canonum ea matrimonia detestantium, et constantissimae curae qua Sancta Mater Ecclesia filios suos avertere studet ab illis in suarum animarum iacturam contrahendis. Quare eorumdem Antistitum et parochorum erit, in erudiendis sive privatim sive publice fidelibus, flagrantiori in posterum zelo doctrinam et leges ad ea connubia pertinentes commemorare, accuratamque illarum custodiam iniungere. Quae quidem omnia ex spectata ipsorum religione, fide, et in B. Petri Cathedram reverentia Sanctitas Sua sibi certissime pollicetur.

Datum Romae die XXII. maii anno Dñi MDCCCXLI.

A. Card. Lambruschini

Sanctissimus Dominus Noster Gregorius divina providentia PP. XVI. attente respiciens ad graves causas expositas in literis ad Sanctitatem Suam nuperrime datis ab Archiepiscopo et Episcopis regni Galiciae Austriacae, eorumque precibus benigne annuens, praesentem instructionem ad memoratas etiam regiones extendit.

Datum Romae die XVI. iulii anno Dñi MDCCCXLII.

A. Card. Lambruschini

tionibus ab illâ praescriptis. Atque etsi deinde tolerari potuerit, ut mos in nonnullis regionibus inductus servaretur benedicendi matrimoniis mixtis initis cum Ecclesiae veniâ et praedictis cautionibus, nunquam tamen toleranda est eadem benedictio in iis casibus, in quibus, nullâ accedente Ecclesiae veniâ nec praeviis necessariis cautionibus, manifestum idemque gravissimum admittitur crimen in ipso matrimonii foedere ineundo. Nunquam enim tolerari debet, ut sacrilegis hisce contractibus sacri ritus admisceantur, et sacerdotes Dei videantur suo facto probare, quod ore illicitum esse edocent et praedicant. Atque id probe sentiunt adversarii nostri, qui certe in huiusmodi nuptiis de catholici sacerdotis benedictione minime laborarent, nisi intelligerent illam conducere ad extenuandam, atque adeo ad obliterandam sensim in catholici populi animis, memoriam canonum qui haec detestantur connubia, et constantissimi studii quo sancta mater Ecclesia filios suos avertere consuevit ab iisdem coniugiis in eorum futuraeque prolis perniciem contrahendis. Nostri scilicet contradictores cognoscunt, si res ex eorum votis succederet, facile inde futurum, ut catholicae potissimum foeminae aut licita aut non tam graviter illicita existimarent ea coniugia quae sacris Ecclesiae ritibus et sacerdotali benedictione honestari viderent.

§ 3. Atque haec consona sunt praeceptionibus et monitis, quae sive in nostris, sive in decessoris nostri Pii VIII. ad diversos Archiepiscopos et Episcopos literis sive instructionibus, aut eius aut nostro iussu editis, consignata fuisse cognoscis, ven. frater. Nec vero refert, si ad nonnullos tantum Antistites, qui hanc Apostolicam Sedem consuluerant, illae instructiones datae sunt, quasi aliis liberum sit, illarum non sequi sententiam. Enimvero non agitur hic de aliquâ novâ lege a nostro praedecessore aut a nobis inductâ, quum uterque nostrum eo potius spectaverit, ut, pro locorum adiunctis, emolliremus, quoad fieri potest, disciplinae severitatem, et ea simul inculcaremus, quae pravis usibus tollendis, sanae doctrinae deposito custodiendo, ac matrimonii sanctitati, catholicae religionis incolumitati et animarum saluti tuendae necessaria iudicavimus. Itaque, etiamsi literae et instructiones illae, in qua parte aliquid novi indulgent vel tolerant, ad ea tantum referuntur loca pro quibus datae sunt, nullis tamen limitibus illarum circumscribitur ratio, quatenus incommutabilem annunciant Ecclesiae doctrinam, canonumque inculcant sententiam, et pravos, qui alicubi invalescebant, usus proscribunt. Atque huc pertinet quae hac de re a nobis indicata fuerunt in pluribus Allocutionibus ad venn. fratres nostros S. R. E. Cardinales in Consistorio IV. id. decembris MDCCCXXXVII., idibus sept. MDCCCXXXVIII. et postridie nonis iulii MDCCCXXXIX. habitis, quas statim typis in vulgus edi iussimus.

§ 4. Haec tuis commemoratis literis rescribenda censuimus, ven. frater, ut alacriori usque studio et firmitate omnes boni pastoris partes implere, atque in tanti momenti negotio Ecclesiae causam propugnare pergas, nihilque intentatum relinquas quod ad tui gregis salutem procurandam pertinere posse cognoveris. Nos quidem pro officii nostri munere, quantum cum Domino poterimus, haud omittemus omnem operam adhibere, ut sacrae istic res, Deo bene iuvante, in meliorem conditionem adducantur. Interim vero, dum tibi de pastorali tuâ solicitudine vehementer gratulamur, nostrae in te praecipuae benevolentiae testem ac caelestium omnium munerum auspicem apostolicam benedictionem ex intimo corde depromtam tibi ipsi, ven. frater, et omnibus tuae ecclesiae clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. maii MDCCCXLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CCLXXV.

Fidelibus reipublicae Cile, vulgo Chile, *iuxta modum,* Bullae Cruciatae *indultum concedit* (1).

GREGORIUS PP. XVI.

ad futuram rei memoriam.

Ad universi dominici gregis salutem, nobis divinitus concreditam, omni cura et studio procurandam continenter intenti,

(1) ERNAEZ, Colleccion de Bules, Breves y otros Documentos etc. Tom. I., p. 797. — Ob retardatam collat. cum originali non potui suo loco afferre.

ea profecto libenter tribuere solemus, quae ad Christifidelium bonum et utilitatem redundare posse perspicimus.

Exponendum nobis curavit praeses reipublicae Cile, vulgo *Chile,* in America Meridionali, eiusdem reipublicae fideles impense cupere iis omnibus indulgentiis, gratiis ac privilegiis, tum spiritualibus tum temporalibus, frui, quibus utuntur, qui *Bullae Cruciatae,* uti dicunt, indulto pollent, quemadmodum ipsi potiebantur, quum Catholico Regi parebant. Nos itaque eorumdem Christifidelium utilitatibus occurrere summopere cupientes, eiusmodi postulationibus alacri libentique animo annuendum censuimus. Quocirca omnes et singulos, quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causâ latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus reipublicae Cile in America Meridionali, hisce litteris, auctoritate nostra apostolica, Bullae Cruciatae indultum ad decennium tantum nunc proximum concedimus, iisque indulgemus, ut omnibus quibuscumque indulgentiis, gratiis, privilegiis, tum spiritualibus tum temporalibus, libere et licite uti et frui possint, sicut cum Catholico Regi suberant. Verum huiusmodi indultum his legibus et conditionibus concessum volumus, quas nostris hisce litteris inserendas mandavimus, nempe:

I. Omnes, qui huius indulti participes esse cupiunt, tam indulgentiarum quam ciborum ratione, eleemosynas in apostolicis litteris Bullae Cruciatae praescriptas, solvere omnino debent.

II. Venerabiles fratres illarum regionum Episcopi, conscio memoratae reipublicae praeside, modum statuent, quo eleemosynae huiusmodi erunt colligendae et administrandae.

III. Cum autem hae eleemosynae pios in usus fuerint erogandae, tum quotannis ab ipsis Episcopis tertia illarum pars erit servanda ad huius Apostolicae Sedis arbitrium, quae hac de re apostolicum Americae Meridionalis delegatum monebit.

IV. Reliqui vero eleemosynarum proventus, qui primo biennio supererunt, in collegium S. Ildephonsi instaurandum erunt insumendi pro Cile missionariis, ad quos eius rei ergo novum administratorem eligere pertinebit.

V. Exacto biennio, iidem proventus veniens in aevum in ipsos missionarios alendos impendantur, ea tantummodo pecuniae vi adhibita, quam pro missionariorum inibi morantium victu cultuque illius reipublicae regimen in praesentia suppeditat. Ea vero, quae supererit pecuniae pars, in Cile missiones augendas semper erit conferenda vel in hospitium ad Valdiviam reficiendum, vel in aliud excitandum, vel in alterum collegium instituendum, vel in alia eiusdem generis opera peragenda; ita tamen, ut commemoratis reliquis eleemosynarum proventibus missionum bono assidue consulatur, quovis alio eorumdem proventuum usu penitus amoto, qui aliqua ex parte missiones ipsas minime expectet.

VI. Animarum curatores, vel qui eorum vicariam gerunt operam, in parochiali sacro seu missa dominicae septuagesimae hoc nostrum indultum singulis annis populo palam faciant, atque eo tempore fideles admoneant, eos indulgentiis et gratiis indulti frui nequaquam posse, quoties eleemosynam in apostolicis litteris praescriptam minime solverint.

VII. Denique omnes illius reipublicae militiae quocumque nomine adscripti, hoc indulto frui poterunt, ea plane ratione, qua fruebantur, cum Catholico Regi subiecti erant, atque ipsi ab eleemosyna solvenda immunes esse debebunt, quemadmodum veri pauperes aliique omnes solemni paupertatis voto obstricti ab eadem eleemosyna praestanda omnino liberi censeantur.

Haec concedimus atque indulgemus et decreta volumus, servatis tamen reliquis conditionibus, quae apostolicis Bullae Cruciatae litteris Hispaniarum regnis iam concessis adiectae sunt, non obstantibus iis omnibus, quae iisdem in litteris non obstare decretum est.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VI. dec. MDCCCXXXVI., pontificatus nostri anno VI.



SUPPLEMENTUM

I.

PROSPECTUS

Collegii Urbani S. Congregationis de Propaganda Fide, atque eiusdem alumnorum ad scientiarum studia et ad sacerdotium institutionis (1).

S. Congregationis et Collegii institutio ac finis.

Quod Romanis Pontificibus fuit semper animo propositum, ut divina Iesu Christi Domini nostri Religio ubique terrarum amplificaretur, id in primis Gregorius XV. atque Urbanus VIII. sedulo intenderunt, atque insigni data opera plenius assequi sategerunt. Gregorius enim apostolico incensus ardore atque orbis universi ad Christum convertendi studio flagrans, per bullam die XXII. iunii anno MDCXXII. editam, coetum nonnullorum S. R. E. Cardinalium Fidei Propagandae praefecit, atque ita inclytae illius Congregationis quae optime quovis tempore de Catholica Religione merita est, providus extitit Institutor. Urbanus vero VIII. pientissimum praedecessoris sui consilium suscipiens atque ad praestitutum ab illo exitum perducere cupiens, die I. augusti anno MDCXXVII. pontificium de Propaganda Fide Collegium statuit; atque illud ad aeternam fundatoris memoriam usque ad hunc diem Urbanum appellatur. Porro finis ab Urbano intentus in hoc erigendo instituendoque Collegio dignissimus sane fuit, qui a supremo Ecclesiae capite intenderetur. Voluit nimirum Pontifex ille maximus ut in Urbe totius catholici orbis principe adolescentibus cuiuscumque regionis et quocumque idiomate loquentibus adminicula omnia praesto essent, quibus et scientiis praesertim sacris ii imbuerentur, et ad sinceram germanamque pietatem informarentur, ut videlicet ad Christi fidem in quavis orbis plaga sive praedicandam primum, sive confirmandam ac propagandam, apti idoneique efficerentur.

Collegii privilegia.

Hic autem finis cum ad divinae gloriae incrementum atque ad animarum salutem mirifice cedat, omnes Romanos Pontifices Urbani VIII. successores permovit, ut Collegium de Propaganda Fide studio semper peculiari singularique benevolentia prosequerentur. Atque hinc factum est ut eiusdem collegii alumnis praeclara privilegia et favores sane perinsignes fuerint impertiti. Benigne enim elargiti sunt ut ii *titulo missionis, extra tempora, non servatis interstitiis* sacros ordines suscipere possent, ut ex ipsis unus quotannis *coram Pontifice* ac *Purpuratis Patribus* latinam solemni Pentecostes die orationem haberet, ut ii per certum spatium in publicis supplicationibus Pontificem comitarentur, ut duo denique ex eisdem feria V. in coena Domini tamquam Apostoli ad sacram pedum lotionem, quam Pontifex ipse in Vaticana Basilica facit, admitterentur. Accedit et illud, quod ab iisdem summis pontificibus Urbano Collegio concessum est, ut eius alumni qui, solemni facto scientiarum periculo, optimum profectus sui specimen exhibuerint, philosophica aut theologica laurea ab eminentissimo sacri Consilii Cardinali Praefecto donarentur.

Quae ad alumnorum admissionem sint requisita.

Quoniam vero, quae Dei sunt, ordinata sint oportet, sapienter provisum est, ut, quae alumnorum delectum attingunt, ea rite atque ex ordine fierent, simulque ut in Collegio ea sive institutionis sive studiorum ratio adoptaretur, qua inviolabiliter servata, adolescentes in sortem Domini vocati atque ad apostolicum ministerium electi, congrua morum sanctimonia atque opportuno scientiarum subsidio instruerentur. Itaque adolescens, qui se apostolico ministerio dedicare in Domino statuerit, atque ideo in Urbanum excipi Collegium exoptaret, Episcopo aut Apostolico loci, in quo degit, Vicario, seu etiam alteri viro, qui Romae apprime sit notus, vota ista sua aperiat oportet. Ab his quaedam excipiet quaesita (extant in calce

(1) Ut apud exteras gentes innotescat quanta sit Collegii Urbani S. Congregationis de Propaganda Fide praestantia, prospectus eiusdem Collegii typis editus est anno MDCCCXLI., quem hic adiungere consonum esse visum est collectioni tot monumentorum S. Congregationem respicientium.

huius prospectus) quibus ubi ita scripto responderit, ut Episcopus, aut alter qui ea illi tradidit, prudenter iudicare possit, ipsum ad Collegii finem assequendum idoneum esse, tunc is per literas (quibus responsa ad quaesita una cum opportunis notitiis erunt adnectenda) memorato eminentissimo Cardinali Sacro Consilio christiano nomini propagando Praefecto proponetur. Romam vero candidatus minime petet, nisi posteaquam ab eminentissimo Praefecto epistolam acceperit, qua se inter collegii alumnos adsciscendum esse deprehenderit; quod si quis, ut contigit aliquando, litteris illis non exceptis, Romam veniret, continuo in patriam suam reverti adstringeretur. At ubi adolescenti significatum expresse sit, ut Collegium ingressurus in urbem se conferat, is secum testimonia de studiis, quibus operam navavit, de baptismatis et confirmationis sacramentis sibi collatis ac de ordinibus fortasse susceptis Romam proficiscetur. Statim vero ac in urbem pervenerit, collegium adibit, literasque illius, quo curante in alumnum adlectus est, exhibebit: quod si absque legitima causa, vel paulisper, moraretur extra collegium, is in illud nunquam in posterum admitteretur.

Disciplina Collegii.

Omnes porro collegii alumni iis quibus subiicientur praepositis, dociles in omnibus obtemperabunt; rebus, quas secum detulerunt, nonnisi de eorum consensu uti poterunt; nec obedientiae tantummodo studiosi erunt observatores, sed solerter ac studiose in id etiam incumbent, ut virtutum omnium habitus sibi comparent. Qui enim idcirco eliguntur, ut *eant, et fructum afferant, ut sal terrae* futuri sint *atque mundi lux*, homines ad divinae religionis cultum nec adducere unquam poterunt, nec revocare, nisi primum, quam populis praedicabunt, eam ipsi vitae praeseferant sanctitatem. Ubì vero alumnus decimumquartum aetatis suae annum expleverit ac septimum ab admissione mensem attigerit, praescriptum de more iuramentum emittet, quod nihilominus iustis de causis in aliud tempus differre Collegii moderatoribus integrum erit. Nemo tamen ad ullum (minorem licet) ordinem promoveri poterit, nisi prius hoc iuramentum praestiterit ac luculentum pietatis industriaeque suae specimen praebuerit. Ad haec autem iusiurandum illud adstringit alumnos, ut nimirum omnia ac singula collegii statuta accurate atque inviolabiliter servent, ut congruo tempore sacris ordinibus initientur, ut in ecclesiasticam, unde discessere, provinciam ad apostolicum ministerium in ea perpetuo exercendum revertantur, ut demum, cum in eam redierint, saltem quotannis, si in Europa, aut singulis bienniis, si extra illam versabuntur, cum S. C. de Propaganda Fide de rebus ad se atque ad Missionem suam pertinentibus communicare teneantur. Quidam tamen ex alumnis, satis probato consilio, nequaquam iurant se in eam praecise regionem e qua advenerunt, reversuros, sed eam solummodo suscepturos esse Missionem ad quam a S. C. destinabuntur.

Ratio studiorum.

Ad studiorum vero rationem quod attinet, ubi illa ab alumnis latina lingua satis instructis ineantur, sex annorum periodo absolvuntur. Duo priores anni philosophicis disciplinis excolendis, logicae videlicet, metaphysicae, ethicae, matheseos ac physicae, impenduntur; quatuor vero insequentes theologiae dogmaticae ac morali, tum Scripturae Sacrae, historiae ecclesiasticae ac iuri canonico addiscendis impenduntur. Interim vero, pro missionum, ad quas alumni proficiscuntur, varietate, severioribus iis disciplinis diversarum linguarum ac praesertim syriacae, graecae, armenae, arabicae ac sinensis studium adiungitur, atque interea, dum haec excoluntur, gregoriani cantus et sacrae eloquentiae studium non praetermittitur. Ceterum, ne adolescentes studiorum assiduitate nimis defatigentur, semel in hebdomada ad animos recreandos in villam pergunt suburbanam, in autumnalibus vero feriis ad Tusculanam villam aëris salubritate praecipuam se conferunt, ut vires totius anni laboribus fractas longiori corporis atque animi solatio reficiant. Scholastico autem anno ad exitum perducto, publicae interdum de memoratis superius disciplinis disputationes habentur, atque academicae exercitationes studiorumque curriculum solemni aureorum argenteorumque numismatum distributione coronatur, ut scilicet eorum virtus atque industria qui pietate ac scientia per annum ceteris praestiterunt, insigni laudatione promeritisque muneribus cohonestentur. Singulis praeterea annis, primo post Epiphaniam dominico die, academica fit exercitatio, in qua a diversarum nationum delectis adolescentibus variae elucubrationes, nativa cuiusque lingua compo-

sitae, recitantur. Quae quidem publica academia semper et illustri praesentia plurium S. R. E. Cardinalium, et nobilissima praesulum atque amplissimorum virorum frequentia, decoratur.

Alumnorum discessus.

Quum vero studiorum expleto curriculo ad suam pergere missionem alumnum oportebit, atque eidem sacra Congregatio congruas vestes aliaque ad iter peragendum adminicula necessaria suppeditaverit, per viam a superioribus designatam abibit, neque illi ab ea vel paullulum declinare licebit, nisi ad id gravi admodum legitimaque causa adigatur.

Animadversio.

Illud tandem hic animadvertendum superest, in Collegii Urbani discipulorum numerum neminem praeter alumnos admitti posse, nisi id Pontifex ipse maximus alicui indulgeat.

A CANDITATIS QUAERENDUM

1. *Eorum nomen et cognomen.*
2. *Aetas.*
3. *Parentum nomina.*
4. *Vivant parentes an mortui sint?*
5. *Parentum quae Religio?*
6. *Cuius dioeceseos ac provinciae sint? (Candidati)*
7. *Sani ne sint ac lingua expediti?*
8. *Quae eorum aptitudo ad studia?*
9. *Locus Baptismi.*
10. *Cuius sint ritus?*
11. *An susceperint Confirmationem?*
12. *Duxerintne aliquando uxorem?*
13. *An sponsalia contraxerint?*
14. *An ordines susceperint, et quos?*
15. *Quibus studiis operam dederint, et ubinam?*
16. *Quare velint Romam proficisci?*
17. *Cur in Urbanum Collegium admitti cupiant?*
18. *An sciant quid importet apostolicum ministerium?*
19. *An habeant animum servandi regulas Collegii, perseverandi, ac iuramentum suo tempore suscipiendi?*

II.

Regulae pro Collegiis Missionum Ordinis Capucinorum (1).

Opus SS. Missionum originem suam immediate ducit a Deo, qui in ostensione misericordiarum suarum ad redimendum hominem eique restituendum ius ad haereditatem regni coelestis misit Unigenitum Suum in hunc mundum. Hic sponte se obtulit ad exequendam adorandam voluntatem et consilia caritatis Patris coelestis, et, postquam inaestimabili suo sanguine deleverat chirographum nostrae aeternae damnationis, commisit suis discipulis annuntiare universo mundo Evangelium ipsorum redemptionis et fugare ubique locorum errorum tenebras virtute irradiantis lucis evangelicae veritatis. Primi praedicatores verbi divini, roborati omnipotenti gratia magistri coelestis, percurrerunt omnia loca ad complendam missionem ipsis commissam, et statim Ecclesiae adduxerunt magnam multitudinem magnanimorum filiorum et vineam Patris coelestis fructuosam reddiderunt non solum labore apostolatus, sed etiam proprio sanguine, qui in mirabile semen conversus immensum numerum confitentium nomen et fidem christianam produxit. Consummato glorioso certamine Apostolorum, opus SS. Missionum nequaquam finem habuit, imo per ipsos Apostolos coepit incrementum omnino miraculosum. Hoc fuit opus eorum successorum, praeprimis illorum qui succedebant in principatu et Ecclesiae supremo magisterio. Hi succensi eodem suprahumanae caritatis ardore pro conversione mundi, omni tempore miserunt agmina novorum praedicatorum, ad effundendum usque ad fines orbis terrarum donum illius fidei, vi cuius etiam valde barbarae gentes intrarunt et intrant pacificum Iesu Christi ovile.

Nemo est, qui nesciat, quantam laudem inter heroes evangelicos fratres Capucini meruerint. Cum ut haeredes spiritus Seraphici Patriarchae, vi ipsius regulae, augusto visibili Ecclesiae capiti illimitatam profiteantur obedientiam, et facultas ipsis data sit sese dedicandi propagationi fidei, ideo haud mirum, si impulsum sequuntur et desideriis obtemperant S. Apostolicae Sedis, quae ipsos ad ministerium evangelicum vocat et efficacissime exhortatur.

Persuasa de hoc sacra Congregatio de Propaganda Fide, quae inclytum heroem huius Seraphici Instituti, S. Fidelem a Sigmaringa, suum Proto-Martyrem esse gloriatur, obtento oraculo et expresso beneplacito S. Patris, pro eodem Ordine Ca-

---

(1) Ex Ord. Bull. vol. X., pag. 101.

pucinorum erigere et fundare decrevit duo collegia missionum ab ipsa omnino dependentia, scilicet in conventibus Romae et Camberi, in quibus convenire debent religiosi candidati, qui desiderant missionibus exteris sese consecrare, non solum ad experiendam ipsorum vocationem, sed etiam ut instruantur in omnibus, quae pertinent ad apostolicum ministerium. Ut hoc institutum plenum assequatur effectum, sequentes regulae auctoritate sacrae Congregationis pro nunc temporis approbatae sunt; eadem autem Congregatio sibi reservat ius successu temporis methodum mutandi et ampliandi, prout experientia necessarium esse indicaverit.

§ 1. Collegia Missionum PP. Capucinorum dependebunt immediate a S. Congregatione de Propaganda, et sub ipsa directa et alumnis provisa erunt a P. Procuratore generali pro tempore, cui a constitutionibus Seraphici Instituti Capucinorum cura missionum commissa est.

Superiores generales Ordinis quolibet anno mense ianuarii dirigant ad omnes provinciales et guardianos litteras circulares illos efficacissimis et severis verbis incitantes, ut promoveant opus missionum exterarum, et curent ut multi ipsorum subditorum, omnibus necessariis dotibus praediti, huic S. Operi sese dedicare studeant.

Provinciales vero et superiores renitentes et vocationi piisque desideriis suorum subditorum sese opponentes, reprehendendi, puniendi et denunciandi sunt Sacrae Congregationi de Propaganda.

§ 2. Utrumque collegium habeat suum superiorem localem, quem Procurator generalis omni cura eliget ex iis, qui valde eruditi sunt et in ordine magna auctoritate gaudent, praeprimis ob ipsorum zelum pro honore Dei et animarum salute. Eidem committenda est administratio spiritualis et temporalis collegii. Non autem eligatur sine expressa approbatione s. Congregationis de Propaganda, ad quam pertinet dare litteras patentes confirmationis.

§ 3. Nullus admittatur in collegium, qui praeter testimonium de vita ipsius proba et aedificante non etiam cursum integrum philosophiae et theologiae adimpleverit et nominatus fuerit confessarius et concionator.

§ 4. Quando P. Procurator generalis cognoverit, postulantem gaudere praedictis conditionibus, recipiat eum in unum ex duobus collegiis. Antequam autem ad studia scientiarum et linguarum admittatur, peragat exercitia spiritualia per octo dies cum confessione generali suorum peccatorum, et quidem sub directione patris spiritualis, qui in utroque collegio adsit. Director spiritualis omni solicitudine cognoscere studeat characterem et propensiones postulantium, et si quem invenerit indolis superbae et indocilis, levis animi vel motivis profanis et temporalibus ductum, sine mora de his certiorem reddat Procuratorem generalem ad effectum, ut illum sine humano respectu remittat in provinciam.

Postulantes, qui absolutis exercitiis admissi fuerint, tenentur declarare et probare ipsorum vocationem, et, antequam ad missionem proficiscuntur, in manibus superioris iuramentum deponere, se consecraturos esse missionibus iuxta formam a san. mem. Clemente XI. praescriptam; exemplar huius iuramenti ab alumno et superiore subscriptum S. Congregationi de Propaganda tradendum erit.

§ 5. Candidati, ut supra admissi, statim studio incumbent scientiarum et linguarum quae a S. Congr. praescriptae sunt. Qualibet hebdomada quatuor praelectiones linguarum frequentent, et omni die illas s. theologiae, quae praeprimis de doctrinis controversis agent, in quibus missionarii praecipue versati esse debent. Qualibet hebdomada, die a superiore collegii assignato, habeatur conferentia de materiis pertractatis, cui praedictus superior praesideat. Qui in exsequendis praeceptis circa studium theologiae et linguarum negligentes et pigri fuerint, si admoniti non se emendaverint, remittantur in eorum respectivas provincias. Nam ab ipsorum ministerio nil boni sperari potest.

§ 6. Bis quolibet mense alumni habeant per turnum orationem catecheticam per dimidiam horam de articulis fidei vel de praeceptis Decalogi vel de SS. Sacramentis. Paulatim catecheses variari possunt cum orationibus de veritatibus moralibus et aeternis vel de obligationibus hominis christiani. Prout catecheses illuminant mentes circa veritatis fidei, sic caeterae inflammant et disponunt corda, ut lubentius fidei veritates acceptent. Communis est sanctorum doctrina, quod conversiones haereticorum non perficiuntur vi argumentorum, quibus adversarii pertinaciam opponunt, imo magis irritantur, sed potius per unctionem divini Spiritus,

quae communicari atque animis instillari debet benevolis et efficacibus concionibus de veritatibus aeternis et virtutibus. Nihilominus, quando primum semen vi privati colloquii vel institutionis de veritatibus aeternis seminatum fuerit, necesse erit, ut missionarius promptus sit, disputationem ingredi cum illis, qui comprehensi sunt a Spiritu Sancto; quare alumni in sermonibus catecheticis omni prudentia intendere debent ad omnes controversias tum cum haereticis tum cum infidelibus, ut illas utique cum suavitate, benevolentia et cautela, sed non minore virtute refellere queant. Ad hoc enim missi sunt. Ast valde conveniens est, ut in his utantur providentia et prudentia, et evitent praeprimis in publicis concionibus et institutionibus omnia, quae vel minimum possint sine aliqua utilitate irritare inimicos fidei, quos potius, articulos controversiae bene discutiendo et veritates fidei nostrae clare explicando, ad cognitionem perducant veritatis catholicae, quam infeliciter impugnant et negant. In privatis colloquiis deinde perducent ad effectum conversiones, quae tali modo praeparatae sunt.

§ 7. Ut autem eo aptiores reddantur ad controversias dirimendas, quae principalis scopus ipsorum studii esse debet, Alumni semel vel bis in hebdomada mutuo percurrant et dissolvant omnes difficultates, iuxta ordinem a magistro controversiarum praestabilitum, et magister ipse, qui praesideat, dirigat hoc exercitium ita, ut utilitatem afferat alumnis.

§ 8. In missionibus, generaliter loquendo, sequi debent doctrinas opportunas, quas magnus Apostolus S. Franciscus de Sales tradidit, procedere scilicet cum maxima suavitate et mansuetudine, ante omnia praedicare exemplo et vitae sanctitate, sine quibus omnia verba vana et sine fructu manent; deinde omni conatu eo tendere debent, ut non tantum paucos vel multos catholicos, qui in variis missionibus iam inveniuntur, in fide confirment, sed illam etiam propagent inter haereticos et infideles, penes quos existunt (nam hoc est strictissimum officium, de quo aliquando rationem reddituri sunt aeterno Iudici). Utantur quidem sapienti procedendi methodo et sancta prudentia, fugiant autem ut pestem sic dictam humanam *prudentiam,* nefarie a daemonio insusurratam, qua tot et tot missionarii ipsorum segnitiem tegere et timorem iustificare tentant. Qui ad missiones non pergit cum desiderio multum patiendi pro Christo, et qui non invidet sortem martyrum, melius facit, secundum effatum S. Alphonsi de Liguori, si domo remaneat, ne perdat animam suam.

§ 9. Cum seraphica regula et constitutiones Capucinorum omnia in se contineant, quae requiruntur ad formandos homines revera apostolicos, in collegiis nulla alia exercitia admittantur, nisi quae ad exactam observantiam sacrae Regulae et Constitutionum perducunt. Observetur igitur in collegiis perfecta vita communis, aequalitas in victu, vestitu, stricto silentio, frequenti susceptione sacramentorum, oratione mentali, chori servitio diu noctuque, et in omnibus, quae praescripta sunt a constitutionibus ordinis.

§ 10. Severe interdictum est alumnis, ne frequentent cubicula sociorum, eo magis ne colloquia habeant ad invicem sine licentia superioris collegii. Similiter prohibitum ipsis est amicitias fovere cum saecularibus vel religiosis familiis. Ideo porta conventus semper sit clausa, et fr. laicus munere ianitoris fungatur, qui neminem introire permittat, exceptis superioribus, qui cum superiore conventus loqui desiderant. Post prandium autem et coenam omnes alumni cum superiore et magistris ad breve tempus sancta recreatione gaudere possunt: evitanda autem erunt colloquia profana et quaecumque contentiones, quae semper nutriunt amorem proprium, diminuunt et defervescunt caritatem, quam ut boni confratres et neomissionarii Domini sibi vindicare studeant. Omnem diligentiam adhibeant, ad recuperandam in conversatione illam dulcedinem, suavitatem et affabilitatem, quae coniuncta cum modestia religiosa reddit missionarios acceptos illis personis, quae ipsos conveniunt. Superior studeat suaviter corrigere defectus, quos alumni hac in re committere poterunt.

§ 11. Qualibet hebdomada P. Director habeat brevem sermonem ad alumnos circa officia missionariorum, et praeprimis de fine eorum vocationis, ad insinuandum ipsorum animis magnam utilitatem et grave damnum, quam et quod bonus vel negligens missionarius proferre potest. Si etiam fratres laici adsunt, director procuret illos edocere doctrinam christianam, et praeprimis scopum illis declaret, ob

quem sacra Congregatio eos mittat ad missiones, qui in eo consistit, ut serviant missionariis, et ipsis cooperentur vi boni exempli, religiosae vitae, et cum sanctis aptisque colloquiis et omnibus mediis, quae promovent missiones. Director insuper operam dabit, ut collegium et missionarii per pia exercitia patrocinio B. V. M. Immaculatae Conceptae se committant.

§ 12. Prohibitum est omnibus, qui in collegio vivunt, comitari defunctos ad sepulturam, vel exire de conventu ad celebrandam missam. Permittitur tantum, ut bis in hebdomada deambulare possint per loca a saecularibus minus frequentata, et quidem semper cum socio, quem superior assignabit, simul determinata hora, qua redire debeant ad collegium, ut completorio vel orationi mentali interesse possint.

§ 13. Cum Superior Collegii Romani non habeat neque redditus neque eleemosynas, quas administrare tenetur, quia omnes vitam communem agunt cum familia conventus, habeat tantum parvum libellum, in quo notet fideliter expensas occurrentes pro particularibus necessitatibus personarum ad collegium pertinentium et quolibet mense has expensas proponat P. Procuratori generali, qui ad eas solvendas cum domino secretario de Propaganda conveniat.

§ 14. Cum Collegium Romanum omnibus ad praedictum collegium pertinentibus alimenta praestet, sacerdotes in eo existentes qualibet hebdomada sex missas celebrare debent ad intentionem P. Guardiani dicti conventus. Porro ad sustentationem fratrum laicorum S. Congregatio decenter providebit tam pro illis, qui stabiles manent in collegio, quam pro aliis, qui profecturi ad missiones ibi commorantur.

§ 15. In qualibet cella collegii reponatur exemplar praesentis ordinationis, ut nemo possit dicere, se eas nescivisse. Superiores vero tam generales quam locales operam dent, ut ad amussim observentur, ne haec nova et maximi momenti institutio destituatur praeposito fine, et ut Sancta Sedes obtineat illos fructus, quos pro utilitate religionis omni iure exspectare potest.

Ex sacra Congregatione de Propaganda Fide hac die III. sept. MDCCCXLI.

I. Ph. Card. Fransoni, Praef.

I. Arch. Edess., Secretarius

III.

Regulae Praesulibus Missionum traditae pro institutione cleri indigenae.

INSTRUCTIO

sacrae Congregationis de Prop. Fide ad Archiepiscopos, Episcopos, Vicarios Apostolicos aliosque missionum Praesules.

Neminem profecto latere potest, quibus curis ac studiis Apostolica Sedes, pro collato sibi divinitus munere, in id assidue intenderit, ut, evangelicae legis lumine latius in dies per omnem terram effuso, iacentes adhuc in tenebris et umbra mortis populi aeternae veritatis gloriam agnoscerent, susceptumque semel vitae verbum firmissime tenerent. Duo enim esse praecipua ac veluti necessaria Catholicae Religionis propagandae et stabiliendae instrumenta, missionem scilicet Episcoporum, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,* et sedulam indigenae cleri institutionem, tum alia gravissima, tum praesertim Apostolorum exemplum ac primitivae Ecclesiae testimonium manifestissime evincunt. Sane, ut ea, ceteroquin notissima, hic praetermittantur, quae sacrae litterae et enucleatius ipsorum Apostolorum epistolae et acta opportune ac abunde in rem habent, audire omnino est S. Clementem Romanum, S. Petri discipulum ac S. Pauli adiutorem et comitem, ita de Apostolis ad Corinthios scribentem ep. 1, cap. 44: « *Praedictos* (Episcopos) *constituerunt, ac deinceps futurae successionis hanc tradiderunt regulam, ut, cum illi defecissent, ministerium eorum ac munus alii probati viri exciperent* ». Et subsequenti saeculo S. Irenaeus (advers. haereses lib. 3, cap. 3) inquiebat: « *Habemus adnumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, et successores eorum usque ad nos* ». Quin ea fuit initio Ecclesiae de amplificando Episcoporum numero deque iis per diversas regiones magis magisque distribuendis sollicitudo, ut id multo ante aetatem suam factum fere ubique affirmaverit S. Cyprianus his luculentissimis verbis in epistola 52 ad Antonianum: « *Iampridem per omnes provincias et per urbes singulas ordinati sunt Episcopi* ». Quamobrem S. Augustinus contra Cresconium lib. 3, 18 commemorat Episcopos ab ipsis Apostolorum sedibus inconcussam seriem usque in sua tempora perducentes.

Nec minus ex sacris monumentis evidens compertumque est Apostolos missosque ab eis in ultimas etiam orbis partes Episcopos plures quacumque sacerdotes et ministros initiasse, atque adeo clerum ex indigenis hominibus ad christianae religionis firmitatem et incrementum instituisse. Hinc S. Ignatius Martyr, S. Petri discipulus eiusque in sede Antiochena post Evodium successor, constitutos variis in ecclesiis una cum Episcopo presbyteros et diaconos accurate describit. « *Studete,* inquit in sua ad Magnesianos epistola n. 13, *ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum.... cum dignissimo Episcopo vestro et digne contexta spirituali corona presbyterii vestri et secundum Deum agentibus diaconis* ». Et in alia ad Smyrnenses n. 12 salutat *Deo dignum Episcopum et Deo decorum presbyterium, et conservos... diaconos.* Id ipsum de Corinthiorum Ecclesia liquet ex allata superius S. Clementis priore epistola cap. 40, ubi sic legitur: « *summo quippe sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius praestitutus est; levitis quoque sua ministeria incumbunt* ». Denique non praetereundus Eusebius ab Apostolorum aevo licet remotior, cuius apertissimus est qui sequitur locus (Hist. Eccl. lib. 3, cap. 23): « *Cum post obitum tyranni ex insula Patmo Ephesum rediisset Ioannes, ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos constitueret, partim ut ecclesias integras disponeret ac formaret, partim etiam ut homines sibi a divino Spiritu indicatos in clerum quemdam seu sortem Domini seponeret* ».

Iam vero Apostolorum exemplo et vestigiis inhaerentes Romani Pontifices universae Ecclesiae divina auctoritate praepositi, cum semper et ab antiquissimis usque temporibus, tum maxime tribus postremis saeculis per Sacram hanc Congregationem sanctissimo Propagandae Fidei negotio peculiariter addictam impense curarunt, ut multiplicatis, quo magis fieri posset, Episcopis, erectisque pro locorum opportunitate ecclesiis, religionis incolumitati et commodo consultum iugiter esset. Atque hanc saluberrimam providentiae rationem non modo ad regiones evangelico semine primum fecundatas, sed etiam ad illas, ubi, per saeculorum intervalla, vel haeretica pravitate, vel ethnica iterum superstitione invalescente, res catholica misere periclitabatur, patere studiosissime voluerunt. Quod si nonnullis in locis ob adversas temporum vices magnique momenti causas titulatos atque ordinarios Episcopos constituere haud licuit, Apostolicos tamen Vicarios episcopali charactere et potestate auctos ad fidelem illic populum regendum mittere non distulerunt; paucisque tantummodo in regionibus ob graviora rerum adiuncta simplices presbyteros catholico gregi praeesse passi sunt, eo certe consilio ac mente ut, cum primum datum esset, perfecta ibidem ecclesiasticae hierarchiae forma instauraretur.

Porro autem Romanos Pontifices pro supremi officii sui sanctitate in id aeque omni ope atque opera incubuisse, ut, qui in diversas terrae partes abibant earumque ecclesiis praeficiebantur Episcopi, ii indigenae cleri institutionem vehementissime urgerent, res est, ut cuique perspecta, ita multiplici documentorum genere confirmata. Huc revera spectant omnigena subsidia in Episcopos remotissimarum etiam regionum pluries collata ad seminaria erigenda, ubi pueri indigenae sacris deinceps initiandi ad pietatem et scientiam informarentur. Huc permulta nationalia collegia eumdem in finem sive Romae, sive alibi ingenti sumptu ac labore instituta et vel a fundamentis exstructa. Huc peculiares facultates Episcopis et Vicariis Apostolicis extra ordinem tributae; quo scilicet aliquibus praesertim in locis facilior esset indigenarum hominum ad presbyterii honorem et gradum ascensus. Huc demum innumerae fere Romanorum Pontificum epistolae et constitutiones, itemque tot ac tanta ipsorum auctoritate per Sacram hanc Congregationem edita documenta et decreta, perspicuum procul dubio testimonium apostolicae de ista re sollicitudinis in aevum extitura.

Perlongum nimis esset pontificias huiusmodi sanctiones singillatim recensere, vel solummodo etiam, serie a primis Ecclesiae saeculis ad nos deducta, commemorare. Satis sit nonnullas hic afferre, quae ab Sacrae huius Congregationis origine ad haec usque tempora latae identidem sunt. Itaque iam inde ab an. MDCXXVI. Iaponiae Episcopo mandatum fuerat, « *ut Iaponarios, quos necessarios et idoneos iudicaret, ad sacros ordines usque ad presbyteratum promoveret* ». At paulo post, die nempe XXVIII. nov. anni MDCXXX., generatim quoad Indos statutum est: « *omnino providendum esse, ut qui ex Indis fue-*

rint magis habiles, post diligentem et exactam eorum instructionem morumque eorumdem per aliquot annos probationem et in pietate christianaeque religionis functionibus exercitationem, ad sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive promoveantur ».

Anno autem MDCLIX. immortalis memoriae Pontifex Alexander VII. monitos per Sacram hanc Congregationem expresse voluit Vicarios Apostolicos ad Tunquini, Sinarum et Cochinchinae regna proficiscentes: « *potissimam rationem Episcopos in illas regiones mittendi fuisse, ut omnibus modis atque rationibus curarent iuventutem illam sic instituere, ut sacerdotii capaces redderentur et ab eis consecrarentur ac suis locis per vastas easdem regiones collocarentur rem illic christianam summa diligentia iis dirigentibus curaturi;* » itaque hunc finem semper ob oculos habere eos iussit, « *ut ad sacros ordines quamplurimos et quam aptissimos adducerent, instituerent et suo tempore promoverent* » (1).

Similia prorsus habent sapientissimi eiusdem Pontificis constitutiones *Sacrosancti Apostolatus officii* (2) XVIII. ianuarii MDCLVIII. et *Super cathedram* (3) IX. septembris MDCLIX., nec non Clementis IX. *In excelsa* (4) et *Speculatores* (5), utraque die XIII. sept. MDCLXIX., atque etiam Clementis X. *Decet Romanum Pontificem* (6) XXIII. decembris MDCLXXIII. uno ipsoque sensu indicentes: « *eo potissimum fine in Sinas, Tunquinum, Cochinchinam, Siamum et alia vicina regna missos ibique constitutos esse Episcopos Vicarios Apostolicos, ut ex christianis indigenis seu incolis illarum partium instituerentur clerici et sacerdotes, ac, crescente fide fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paulatim introduceretur* ».

Praeterea Innocentius XI. litteris apostolicis in forma brevis, quarum initium *Onerosa pastoralis,* circa Sinenses missiones datis die I. aprilis MDCLXXX., *Apostolicorum Vicariorum numerum augendum* mandavit, ut amplissimae illae regiones recte et fructuose gubernarentur, et singuli eorum *institutioni et ordinationi naturalium sive indigenarum praecipue studerent.*

Quid? quod venerabilis hic Pontifex ad indigenae cleri institutionem memoratis in regnis efficacissime promovendam eo progressus est, ut suis Legatis Heliopolitano ac Berithensi Episcopis inter alia potestatem fecerit *cogendi* etiam *Vicarios Apostolicos poenis a sacris canonibus inflictis ad instruendos et ordinandos clericos et sacerdotes naturales sive indigenas,* ut scilicet indigenarum quoque Episcoporum institutioni paulatim via sterneretur; quam quidem ipse Pontifex quibusdam in locis iam tum perfici praecepit. His deinde eodem plane proposito accesserunt litterae in forma brevis Clementis XI. *Dudum felicis* (7) VII. decembris MDCCIII., decretum (8) Clementis XII. XVI. aprilis MDCCXXXVI., plures Benedicti XIV. constitutiones, epistola encyclica (9) Pii VI. X. maii MDCCLXXV., ac tandem permulta in hanc rem ipsam a SSmo D. N. Gregorio XVI., quem Deus diutissime sospitet, per Sacram hanc Congregationem constituta ac decreta.

Atqui tamen impensis hisce et numquam intermissis curis eum non respondisse exitum, quem Apostolica Sedes merito sibi pollicebatur, tristis experientia demonstrat. Silere quidem non licet complures Episcopos aut Apostolicos Vicarios omni certe laude dignos, in Sinis praecipue et finitimis regnis, vel nuper ut datum ipsis fuit, vel iamdiu etiam in cleri indigenae institutione assidue uberique cum fructu adlaborare. Atque hinc sane repetendum, immo potius summopere laetandum, quod illic catholica fides ita alte lateque radices egerit, ut tamquam nativa doctrina longo licet saeculorum decursu integra vigeat et immota consistat, nec diuturnae saevissimaeque ethnicorum persecutiones eam perimere unquam valuerint.

Verum obversantur una simul mente et ab extremis terrae finibus supplices veluti manus ad sanctam Petri cathedram protendere videntur miserrimi tantarum regionum incolae, quos inter plantata pridem magnis curis vinea Domini, agrico-

(1) Instr. ad Vic. Ap. Tunquini et Cochinchinae anno MDCLIX.

(2) Bullar. Magn. edit. Rom. t. VI., part. 4, p. 212, Const. 85, et Bullar. Propag. t. I., p. 137.

(3) Bullar. Propag. in Append. t. I., p. 261.

(4) Bullar. Magn. t. VI., part. 6, p. 335, Const. 418, et Bullar. Propag. t. I., p. 164.

(5) Bullar. Magn. t. VI., part. 6, p. 357, Const. 119, et Bullar. Propag. t. I., p. 170.

(6) Bullar. Magn. t. VII., p. 242, Const. 145, et Bullar. Propag. t. I., p. 205.

(7) Bullar. Propag. t. II., p. 1.

(8) Eod. Bullar. t. II., p. 24, ad Graecos Calabros.

(9) Ibid. t. IV., p. 163.

larum inopia, ob neglectam nempe indigenae cleri institutionem, in eo ferme est, ut arescat, aut vix aliquod interdum germen emittens nascentis adhuc Ecclesiae conditionem prae se fert. Interea illud Dei miserentis auxilio nostris temporibus feliciter evenisse constat, ut vel pene sublatae vel saltem imminutae admodum sint difficultates, quae rei catholicae firmiori et magis canonica forma dilatandae alicubi praesertim obstabant; adeoque ad salutare opus properandum evangelica illa verba quodammodo impellant: *Levate oculos vestros et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem.* (Ioan. cap. 4, 25).

Istiusmodi igitur causae fuerunt cur Sacra haec Congregatio opportunissimum duxerit singulos missionum praesides iterum iterumque hortari et monere, ut tantum negotium coniunctis viribus impensius persequantur. Quare in generalibus comitiis diei XIX. maii praesentis anni de Pudicheriani conventus deliberationibus agens, ut eximium Episcopum Drusiparensem aliosque probatissimos praesules in sancto, de quo sermo est, proposito magis magisque confirmaret, ceteros autem, ubi opus sit, ad lata toties de hac ipsa re decreta pro suo munere revocaret, per hanc instructionem ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, Vicarios Apostolicos aliosque missionum praesides mittendam, ea quae sequuntur statuere omnino ac mandare in Domino existimavit (1).

---

(1) Acta Synodi Pudicherianae habitae anno Domini MDCCCXLIV., vide apud *Collect. Lacens.* vol VI., p. 650. Literas S. Cong. de huius Synodi approbatione referre utile existimamus, ut allatae Instructionis meritum intelligatur.

Litterae sacrae Congregationis de Propaganda Fide de Synodi Pudicherianae approbatione R. P. D. Clementi Bonnand Episcopo Drusiparensi, Vicario Apostolico Orae Coromandelicae.

Illm̃e ac Rm̃e Domine

Praeclarum Catholicae Religionis fovendae ac dilatandae studium, quo amplitudo tua ceterique sub te in ista dominicae vineae parte laborantes praestant, licet iamdudum notum ac manifestum, luculentius tamen et iucundo sane animo perspexerunt Em̃i Patres in generalibus comitiis diei XIX. maii vertentis anni, ubi, votis tuis lubenter annuentes, deliberationum summam Pudicheriani conventus, ad Synodi formam habiti die XVIII. ianuarii superioris anni, ad examen revocarunt. Comperta autem amplitudinis tuae et presbyterorum qui Synodo interfuerunt sapientia nec non fidei servandae atque ecclesiasticae disciplinae custodiendae voluntate, iidem Em̃i Patres memoratam Synodum in plerisque nedum laudarunt, immo vero etiam adprobarunt; ast simul pauca vel in melius flectenda, vel etiam emendanda censuerunt, ita scilicet ut iis, quae mox adnotabuntur, correctis, de Synodi ipsius deliberationum per Sacram Congregationem confirmatione amplitudinem tuam certiorem fieri decreverint.

I. Ac primo quidem quod attinet ad scholas, optat S. C. ut eae cunctis omnino Indorum classibus pateant (prout multa decreta et adhortationes S. C. et Pontificum Maximorum iamdiu mandaverunt), atque ut nulla doctrina tum sacra tum etiam saecularis iis denegetur.

Item optat S. C. ut a missionariorum famulitio, cum fieri poterit, nulla classis christianorum Indorum arceatur.

II. Gravis est abusus nec tolerabilis rebaptizandi omnes, quos catechistae baptizaverint, propter generale validitatis dubium. Id videlicet repetita Romana decreta vetant. Ergo nonnisi post institutum singulorum casuum examen ad baptismi conditionalem repetitionem veniendum erit.

Baptizatos porro ab hodiernis haereticis denuo a catholicis baptizari non est imprudens, nec insuetum, propter haereticorum incertam et suspectam praxim, non tamen eo nomine quod dubitetur *de fidei baptizantium capitibus.* Etenim si certo constaret praedictos haereticos legitimam adhibuisse materiam, formam atque intentionem, rebaptizare prorsus non liceret, ut omnes norunt, neque Synodi Patres certe ignoraverunt, qui illis decreti sui verbis nihil aliud fortasse designant, quam hodiernos haereticos Socinianos, Methodistas, Quakeros et forte alios, qui cum baptismi necessitatem negent, ritum fere contemnunt, atque idcirco baptizare recte (dubitantur) aut nullo modo creduntur.

III. Ut omnes praecidantur ambiguitates, privatisque occurratur sententiis, in iis quae requiruntur circa sa. mem. Benedicti XIV. constitutionem de ritibus malabaricis, cunctis primum innotescere voluit S C. illam definite praeceptivam esse, eiusque observantiam constanter tenendam.

Eiusdem capitula, quantum opus est, catechumenis sunt exponenda, ita tamen, ut hi obedientiam omnibus generatim spondeant.

Ab Apostolico demum Vicario curandum erit ut hac in re et quoad debitum constitutioni obsequium una eademque sit omnium operariorum agendi ratio.

Ad dubium vero liturgicum super adultarum baptismate mulierum quod attinet, hic servandus ordo: Post secundam nimirum genuflexionem *electae,* legatur unica oratio *Deus Abraham* etc absque exorcismis; post tertiam, sine oratione, quae non adest pro foeminis, duo recitentur exorcismi, nempe *Exorcizo te* etc. et *Ergo, maledicte diabole* etc., qui prioris exorcismi post primam genuflexionem continuatio sunt ac desinunt per verba *quod nos fronti eius damus.* Post haec autem legatur oratio *Aeternam* etc., quae utriusque sexus baptizandis fidelibus communis est.

IV. Infirmo ad mortem, qui absolutione peccatorum dignus habitus fuerit, sanctissimum quoque viaticum concedendum est.

V. Facultas dispensandi a votis facultatem dispensandi a iureiurando per se non includit.

VI. Demum nimia severitas Em̃is Patribus visa est, qua statuitur in Synodo, ne iis quidem, *quorum in tuto sit fides,* concedendam unquam dispensationem ob legendos protestantium libros. Considerandum itaque ab Apostolico Vicario erit, utrum aliquot in casibus ab hac rigiditate remittendum sit.

Haec circa Synodi deliberationes amplitudini tuae patefacienda mandarunt Em̃i Patres, vehementer exoptantes, ut, Pudicheriani praesulis exemplo, ad salutares eiusmodi conventus haud raro, ipsos etiam inter Antistites, quoad fieri posset, habendos, quod certe Ecclesiae et religioni beneverteret, ceteri quoque missionum praesides adducantur.

I. Et primo quidem omnes ac singuli missionum praesides, quovis titulo earum regimen gerant, ita rei catholicae promovendae et firmandae operam navent, ut, ubi adhuc desiderantur Episcopi, praefici quantocius possint; ubi vero regionum amplitudo postulat aut sinit, ipsorum Episcoporum numerus, territoriis divisis, augeri, Ecclesiaeque ad perfectam hierarchici regiminis formam constitui tandem aliquando queant.

II. Illud insuper aeque studiosissime curent, quod etiam praecipui illorum muneris est, ut ex christianis indigenis seu incolis earum partium probati clerici instituantur ac sacerdotes initientur; quo scilicet crescente fide fideliumque numero disciplinae ecclesiasticae usus paulatim invalescat, ac Religionis Catholicae stabilitati prospiciatur. Huius rei causa maxime proderit, immo necessarium erit, seminaria condere, in quibus adolescentes, qui a Deo ad sacerdotium vocati fuerint, bene diuque educentur sacrisque doctrinis imbuantur.

III. Ad omnem vero scientiam ac pietatem levitae indigenae informandi et in sacro ministerio sedulo exercendi sunt; ita quidem ut, quod iamdudum Apostolica Sedes in votis habet, ad ecclesiastica quaevis munia atque ad ipsum missionum regimen idonei fiant et episcopali etiam charactere digni existant. Quae tamen maximi sane momenti res ut tutior evadat, et non sine religionis emolumento perfici suo tempore possit, qui ad tantum onus designantur, illi ferendo assuescant oportet. Quapropter, quos ex indigenis clericis missionum praesides praestantiores censuerint, eos gradatim ad potiora implenda munera instituant, ac suos quoque Vicarios pro opportunitate deputare non renuant.

IV. Hinc reiiciendus ac omnino abrogandus erit mos indigenas presbyteros ad cleri tantum auxiliaris conditionem eis merito molestam deprimendi. Quin potius paulatim et cum fieri prudenter poterit ea regula inducenda, ut inter evangelicos operarios, sive indigenae ii sint, sive europaei, ceteris paribus, praelationis ordo ex antiquiori missionis exercitio servetur atque adeo honores, officia et gradus illis tribuantur, qui diutius sacro munere perfuncti sint.

V. Ad haec compluribus in locis factum est, ut, neglecta et posthabita indigenae cleri institutione, evangelici iidem operarii laicos catechistas adiutores sibi in ministerio adsciscere consueverint; et forsan eorum operam plerumque fidei dilatationi perutilem experti sint. At cum non satis consentanee Apostolicae Sedis menti atque ecclesiastici ministerii rationi id egerint, et graves etiam hac in re abusus ex praedictorum catechistarum seu imperitia seu licentia praevaluisse innotuerit, Sacra haec Congregatio singulis missionum praesidibus mandare non praetermittit, ut donec eiusmodi laicorum auxilium ob cleri indigenae defectum vel paucitatem necessarium fuerit, viros morum integritate et fide omnino conspicuos ad id muneris eligi ac erudiri rectissime satagant. Ceterum hac etiam de causa omnem per eos operam in cleri indige-

---

Nonnulla autem alia, quae, capta Pudicherianae eiusdem Synodi examinis occasione, ad reliquarum etiam missionum earumque praesulum normam praecipienda aut rursus inculcanda Emi Patres existimarunt, ex peculiari, quam dein mittemus, instructione, probante SSmo Dno Nostro, amplitudini tuae apparebunt. Interea tamen scias volumus praecipuum instructionis huiusce caput in eo versari, quod Synodi quoque Pudicherianae deliberationes iure merito tanquam Religionis Christianae propagandae firmandaeque in quavis regione necessarium instrumentum agnoverunt, in optima scilicet indigenae cleri institutione.

Cum vero ad eiusmodi opus iuxta mentem Apostolicae Sedis perficiendum amplitudo tua tuorumque laborum consortes missionarii vires omnes impendatis, eximiae tuae in primis virtuti ac pastorali sollicitudini promeritas laudes Emi Patres peramanter tribuerunt, ceterosque presbyteros qui Synodo interfuerunt collaudantes, probatissimos adiutores Iassensem Episcopum et RR. DD. de Bresillac electum Episcopum Prusensem, nec non Leroux, Roger et Gailhot, ob potiorem vel Synodo vel seminariorum erectioni ac reformationi adhibitam ab iis operam, speciali commendatione dignos censuerunt. Omnes autem S. C. enixe in Domino hortatur, ut in idem iugiter studiosius incumbant. Neque praetereundos duxit RR. DD. Luquet ac Dupuis, quorum alter in credita sibi missionis negotiorum gestione praeclare se gessit, alter vero in utilissimis de religione libris exarandis vulgandisque indico idiomate iamdiu adlaborat.

Postremo amantissimis aeque laudibus perspectam amplitudinis tuae tuorumque presbyterorum devotionem erga S. Sedem Apostolicam et constantem erga Sacram hanc Congregationem obsequentem voluntatem Emi Patres prosequi iusserunt; queis omnimodae propensionis nostrae significationes addimus, Deum omnipotentem maximum exorantes ut fausta ac prospera omnibus largiatur, et amplitudinem tuam credito gregi quam diutissime servet ac sospitet.

Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die XXVI. iulii MDCCCXLV.

✠ *I. Ph. Card. Fransoni*, Praef.

✠ *Ioannes Arch. Thessalonicensis*, a Secretis.

nae institutionem dari iubet, ut nempe progressu temporis iuvenes potius levitae et novus idem clerus catechistarum officia pedetentim occupent et diligentius impleant.

VI. Quia alicubi in Indiarum etiam regionibus christiani ritus orientales, ac praesertim Syro-Chaldaicus, subsistunt, ideo missionarii, si quando de iis inter catholicos agetur, observent omnino Benedicti XIV. P. M. sapientissimam constitutionem, quae incipit *Allatae sunt*, editam die XXVI. iulii anno MDCCLV. (1).

VII. Quod in praedicta constitutione *Sacrosancti Apostolatus officii* Alexander VII. olim monuit Indorum parochos, ut *caverent ullo sese modo ingerere in rebus spectantibus ad politiam saecularem;* quodque pluribus verbis Sacra Congregatio in sua ad Vicarios Apostolicos apud Sinas instructione commendavit: id graviores nunc ob causas monendum est atque inculcandum, ne missionarii inter diversarum gentium regimina versantes, saecularibus atque politicis se negotiis immisceant, studiove partium atque nationum scindantur; sic enim et ab evangelicis regulis discederent et propriam vocationem pessundarent et se fortasse ac religionem in discrimina multa coniicerent.

VIII. Postremo Sacra eadem Congregatio memoratos missionum praesides vehementer in Domino hortatur, ut non minori sollicitudine ad alias utiles admodum atque etiam necessarias institutiones animum convertant sibique subditos operarios ad eas adducant; ne quid nimirum desit, quod ad apostolici ministerii perfectionem et animarum salutem ubique magis procurandam conferat. Eiusmodi profecto sunt peculiares quaedam orandi studio ac poenitentiae rigore commendatae societates, aliaeque ad exercenda misericordiae et christianae caritatis opera saluberrimae institutiones, ex quibus catholica fides permulta hausisse emolumenta gloriatur. Inter haec vero summopere et in primis omnino curanda est religiosa atque etiam civilis puerorum et puellarum educatio, qua nil validius ad ipsius catholicae fidei incrementum, perennitatem et decus fingi unquam aut excogitari potest. Proinde nil prorsus omittatur, ut, optimis comparatis praeceptoribus, ac piarum feminarum sodalitatibus invectis, ad erudiendam iuventutem ubilibet, quoad poterit, scholae et gymnasia aperiantur. Atque in id praeterea vigilandum sedulo erit, ut missionarii, fideles populos in iis etiam quae socialem vitam spectant recte imbuendo atque informando, ad evangelicae doctrinae tramites ac indolem eorum labores et artes dirigere haudquaquam detrectent. Ex his autem omnibus, quae Catholicae Religionis propagationi ac stabilitati mirifice profutura persuasum cuique esse debet, ea sensim ex locis ipsis temporalia quoque commoda missionibus obvenient, quae imminutis aut forte etiam deficientibus, ob temporum vices, exteris subsidiis, illarum necessitatibus sublevandis sufficiant. Operam denique impendant quotquot sunt missionum praesides, ut, quod ad fovendam fidei ac disciplinae unitatem plurimum interest, synodales saepe conventus celebrentur, unde maxime fiet, ut una eademque sit operariorum agendi atque administrandi ratio et studiosissima animorum coniunctio; neque in illud etiam adlaborare grave sit, ut ad necessarium inter S. Sedem ac missiones vinculum servandum expeditiores facilioresque communicationum viae in dies pateant.

Quam quidem Sacrae Congregationis instructionem SSmo Domino Nostro Gregorio divina providentia PP. XVI. per infrascriptum Sacrae eiusdem Congregationis Secretarium relatam in audientia habita die XII. novembris, Sanctitas Sua illam benigne in omnibus adprobavit et omnino servari mandavit.

Datum Romae ex aedibus dictae Sacrae Congregationis die XXIII. novembris anni MDCCCXLV.

IV.

Constitutiones monachorum Syrorum Maronitarum Ordinis Sancti Antonii Abbatis Congregationis Montis Libani (2).

(1) Bullar. propr. edit. Rom. tom. IV., pag. 285, et in Bullar. Propagandae tom. III., pag. 338. (Coll. Lac. II., 534).

(2) Instructio S. Congregationis de Propaganda Fide ad monachos S. Hormisdae nationis Chaldaicae Ordinis S. Antonii Abbatis.

Per litteras SSmi D. N. Gregorii XVI. sub forma Brevis die XXVI. septembris huius anni datas, quae incipiunt *Monachorum instituta*, confirmatio apostolica tributa est Ordini monachorum S. Hormisdae chaldaicae gentis sub regula S. Antonii, iisdemque constitutiones, iam pro monachis Antonianis natio-

PARS PRIMA

Cap. I. — *De obedientia.*

I. Debet monachus abbatem suum Christi loco citra omnem disceptationem habere;

II. Eidemque in omnibus, peccato excepto, obedire;

III. Et illum honore et amore tum interno tum externo prosequi;

IV. Nihilque eo inconsulto statuere;

V. Neque de illius circa fratres regimine subtiliter investigare;

VI. Omnem propriam conversationem, seu bonam seu minus rectam, illi plane patefacere;

VII. Nullas expositiones sive tractatus habere aut scribere, neque concionari aut docere, nisi ipso consulto atque annuente;

VIII. Nec epistolam mittere aut accipere, quam illi non antea exhibuerit;

---

nis Maronitarum approbatae a fel. rec. Clemente XII. per Breve cuius initium *Misericordiarum Pater*, propositae fuerunt. Cum tamen locorum, nationis, atque instituti adfuncta illud exigere viderentur ut in praefatis constitutionibus, prout monachis S. Hormisdae erant aptandae, nonnulla aliquantulum immutarentur, alia etiam de novo adderentur, Sacrae Congregationi commissum fuit ut modificationes huiusmodi, edita instructione, seiunctim traderet. Antequam vero id perficiamus ac distinctis articulis, claritatis gratia, additamenta tradantur, monendum censemus monachos S. Hormisdae ita regularis vitae officiis esse mancipatos, ut Episcopis et presbyteris animarum curam gerentibus praesto esse, suamque operam ad sacra quoque ministeria, servatis Ecclesiae regulis, sedulo conferre debeant. Haec in primis erant animadvertenda, inde enim potissimum ea profluunt, quae modificatione indigere visa sunt, quaeque a SSmo D. N. Gregorio XVI. in audientia diei VIII. septembris approbata hac instructione evolvenda suscipimus.

Enimvero in laudatis constitutionibus Maronitarum parte 2, cap. 2, num. 1, decernitur ut, emenso probationis anno ac professione emissa, deinde per Abbatem, consulta monachorum congregatione, nonnulli ex professis ad clericatum, alii vero ad laicorum statum assumi debeant. Quoad vero monachos chaldaeos spectat, cum ad sacrum ministerium exercendum potissimum instituantur, indultum maneat ut, antequam ipsa professio emittatur, designentur qui clericorum, qui vero laicorum munia obire in posterum debeant. Attamen ne experimento tempus desit, utque deliberatio de statu uniuscuiusque maturius procedat, haud licebit uno anno tyrocinium explere, sed nonnisi post biennium religiosa professio emitti poterit.

Eadem vero prima parte constitutionum pro monachis Maronitis cap. 14, num. 1 tempora designantur, quibus septem divini officii horarum recitatio seiunctim persolvitur. Attamen ut monachi S. Hormisdae maiori sedulitate sacris disciplinis vacent, habitaque etiam loci ratione, permittitur ut solemnis psalmodia in tres partes dividatur: adeoque summo mane Matutinum cum laudibus, nec non Prima ac Tertia praemittantur: deinde prope meridiem horarum Sextae ac Nonae recitatio coniungatur, ac demum Vesperae cum Completorio persolvantur.

Modum quoque adhibere visum est iisdem constitutionibus Maronitarum, ubi nimirum part. 1, cap. 7, n. 4 praecipiunt: *Zonam non solvat monachus, nec monasticum cucullum deponat aut aliam vestem cubiturus, nisi quae zonae subesse non solet.* Nomine vero monachorum Chaldaeorum rationes admodum graves S. C. fuerunt propositae, ut in nonnullis adiunctis regulae huius relaxatio concederetur, quibus votis placuit annuere. Qui igitur monachi in civitates vel oppida proficiscuntur, sacro praesertim ministerio operam daturi, atque adiuncta requirunt, ut monasticum habitum deponant, iis utantur vestibus, quas ecclesiasticos viros illius regionis noverint adhibere. Monachi pariter ad laicorum coetum pertinentes, cum actu laboriosis officiis erunt addicti, habitum monasticum valeant dimittere, retento super vestes scapulari vel altero signo visibili instituti illius quem profitentur, prout in nonnullis regularibus Ordinibus servatur. Omnes vero, dormitionis tempore, monasticam tunicam valeant deponere, cum, inspecta regionis indole, praefatae regulae observantia perdifficilis antedictis monachis evaderet.

Pari ratione moderari placuit ea quae parte 1, capite 10 de mensa n. 3 constituta reperiuntur: nimirum: *Carnibus abstineat monachus; nec illis, nisi aegritudinis causa, vesci fas esto, idque de licentia abbatis.* Noverint tamen S. Hormisdae alumni ita, pro loci atque instituti ratione, huic regulae derogari, atque esum carnium indiscriminatim permitti, ut pro suae catholicae nationis consuetudine ab iisdem abstinere, statisque diebus ieiunium servare debeant.

Hactenus in eo versati sumus ut monachorum Maronitarum constitutiones novae S. Hormisdae Congregationi ita accommodarentur, ut eius instituto ad amussim congruere possent; alia tamen sunt quae adiicienda videntur, eaque potissimum monachos illos respiciunt, quos apud urbes vel pagos morari contigerit, ut sacro ministerio perfungantur. Profecto si sacris, ut par est, disciplinis monachi S. Hormisdae diligentem operam navabunt, facile addiscent, quae servanda sint, quaeque inferioris ordinis sacerdotes praestare debeant erga Episcopos, tum vi generalium Ecclesiae legum, tum inspectis nationis consuetudinibus ab Apostolica Sede vel approbatis vel tolleratis.

His proinde omissis, illud in primis S. Congregatio commendandum censuit, ut quotiescumque monachi e conventu recedant, sacris etiam muneribus perfuncturi, socios ex laicorum saltem coetu adhibeant, inde enim non mediocrem fructum tum in universae vitae ratione, tum imprimis pro monastico spiritu servando (*).

Insuper licet summopere sint commendandi qui nullis curis, nullisque parcentes laboribus, iugiter fidelibus atque infidelibus praesto sunt, ut religionis subsidia vel suppeditent vel patefaciant; maxime tamen interest ut interdum monachi conventuales repetant aedes, ibique per aliquod tempus monasticae vitae officii addicti maneant, ut aptiores deinde ad christianam plebem, sacra gesturi, redeant.

Denique ut rite etiam procedat administratio rerum temporalium, quae ad vitam sustentandam requiruntur; praecipimus ut statim monachis omnibus convenientibus, accurata fiat descriptio bono-

---

(*) *Questo periodo è trascritto letteralmente così nel registro dell'archivio da cui si è desunta questa istruzione, ma sembra che vi manchi una parola, come* percipient *od altra equivalente.* (N. dell'Ar.).

IX. Nec illo inconsulto depositum aut pignus suscipere;

X. Neque mutuum quidpiam dare aut accipere, neque eleemosynam erogare aut petere, nisi illo annuente: servatis tamen iuris solemnitatibus, et acceptâ a legitimo superiore facultate.

CAP. II. — *De castitate.*

I. Monachum oportet omnes sensus suos diligentissime cohibere;

II. Atque a feminarum etiam sibi affinium colloquio et consuetudine abstinere;

III. Omnes item omnino feminas ab ingressu sui monasterii prohibere;

IV. Neque cum puero simul habitare; si quos tamen docere contigerit, extra monasterii claustra docendi erunt;

V. Omnes denique occasiones castitati noxias amputare atque amovere.

CAP. III. — *De paupertate.*

I. Monachum convenit nihil omnino proprium possidere;

II. Neque aliquid omnino sibi quasi proprium usurpare;

III. Neque suo cordi aut corpori iungere quidpiam ex bonis parentum aut consanguineorum; necessitate autem cogente, sibi id praestari intelligat, non consanguinitatis iure, sed non secus atque ceteris externis.

CAP. IV. — *De humilitate.*

I. Monachum decet primatum nusquam appetere, sed contra, aliis ubique cedere, atque novissimum locum tenere;

II. Omnes actus et mores suos externos ad abiectionem et humilitatem componere, et fratribus ubique deferre;

III. Fratrem item praevenire verbo: *Parce mihi,* si rei, quae agitur, natura istud exigat.

CAP. V. — *De fraternâ charitate.*

I. Monachum oportet quamdiligentissime ea omnia procurare, quae ad communem concordiam et pacem cum reliquis fratribus conducere intellexerit.

II. Debet itaque reverentiam, urbanitatem, comitatemque verbo et opere exhibere fratribus, non modo superioribus, sed etiam aequalibus atque inferioribus, et praecipue illis qui sibi ista praestare detrectant.

III. Caveat item accuratissime, ne quempiam condemnet aut vituperet, neve sibi verbum gestusve excidat, ex quo audientibus moestitia aut suspicio quaevis oriatur.

IV. Satagat praeterea cor habere mundum a quavis appetitione superioris sortis, ne inde livor et invidia subrepat, vitium maxime detestatum et charitati exitiale.

CAP. VI. — *De patientiâ.*

I. Monachus debet verbo et opere se ad patientiam comparare perfectae mortificationis studio.

II. Subortâ autem tentatione, aestu iracundiae agitari perturbarive se non sinat, sed longanimitate et silentio omnem sedare perturbationem studeat.

III. Tentationibus atque difficultatibus pressus, ubique Deo gratias agere assuescat.

CAP. VII. — *De habitu monachorum.*

I. Monachus debet habitum nigrum habere.

II. Superiorem vestem laneam, interiorem vero lineam aut bombicinam adhibeat.

III. Zonâ nigrâ strictâ se cingat; tyrones vero fune ex pilis caprarum contextâ.

rum omnium tam mobilium quam immobilium, quae âd ipsum S. Hormisdae monasterium vel Congregationem quovis titulo pertinere noscantur. In posterum vero praeter ea omnia, quae de rebus temporalibus earumque oeconomia in laudatis saepe constitutionibus Antonianis praecipiuntur, libri insuper summa diligentia serventur, ubi reditus omnes, seorsim vero expensae, monasterii describantur, ac singulis quatuor mensibus tum abbas tum definitores, nonnullis quoque provectioribus monachis adhibitis, eosdem examini subiiciant. Superest modo ut monachos S. Hormisdae enixe in Domino hortemur, ut vocationi suae, atque Apostolicae Sedis nec non S. Congregationis sollicitudini totis viribus respondere satagant. Animadvertant Chaldaicam nationem ad ipsos respicere, atque inde tum quotidianarum ad Deum precum auxilium, tum integerrimae vitae exempla, tum demum religionis subsidia expectare meminerint. Intueantur demum exempla veterum patrum, qui in universo oriente, non modo de monasticae vitae instituto sed etiam de ipsius Christianae Religionis propagatione optime sunt meriti, ad eorumque normam, vitam, moresque suos adamussim componere studeant.

Datum Romae ex aedibus S. C. die VIII. decembris anno MDCCCXLV.

IV. Zonam non solvat, nec monasticum cucullum deponat, aut aliam vestem, cubiturus, nisi quae zonae subesse non solet.

V. In habitu, calceamentis, lecto et stragulis paupertas servetur.

CAP. VIII. — *De morâ in cellâ.*

I. Monachus sine causâ cellam deserere non debet;

II. Neque secum in illâ habitare quempiam permittere;

III. Neque fratris cellam citra ipsius annutum ingredi.

IV. Si quempiam ad eum venire contigerit, illo in cellâ praesente ianua pateat, neque occludatur, donec ille abierit.

V. Monachi cella ita clausa maneat, ut communi, qua reliquae fratrum cellae, clave reserari valeat.

VI. Cellae munditiem et ordinem curet.

CAP. IX. — *De iter agentibus.*

I. Monachus non debet sine socio extra claustra abire; quapropter ante suum e monasterio egressum comitem ab abbate petat.

II. Nullum iter suscipiat, nisi de licentiâ abbatis.

III. De monasterio non exeat, nisi tempore ab abbate constituto.

IV. Sine litteris abbatis sui, de altero in alterum monasterium non pergat.

V. Quodcumque monasterium intraverit, eius loci abbati usque ad suum inde discessum omnino pareat.

VI. Neve equo aut quovis iumento, nisi abbate annuente, utatur.

VII. Sique fieri potest, iumento contentus esto.

CAP. X. — *De mensâ.*

I. Mensa monachi cibo obvio et parabili instruatur.

II. Bis in die dumtaxat cibum sumere, prandium scilicet et coenam, contentus sit; si quid amplius sumere necesse fuerit, abbatem consulat.

III. Carnibus abstineat, nec illis, nisi aegritudinis causâ, vesci fas esto, idque de licentiâ abbatis.

IV. Hominem saecularem ad mensam intra monasterii claustra non adhibeat.

V. Ad mensam sine abbatis licentiâ non sedeat supra seniorem.

VI. Mensae assidens neminem salutet.

VII. Post refectionem fas esto tantisper animum relaxare, vel in solitario secessu, vel unâ cum fratribus.

CAP. XI. — *De opere manuum.*

I. Monachum oportet operi seu mentali seu corporali vacare, praesertim si firmâ corporis valetudine utitur.

II. Opus autem fratribus utile esto.

III. Illud vero, nisi de licentiâ abbatis, non capiat; sique res ipsa postulat, etiam officinae, in qua est operaturus, praefectum consulat, eiusque annutum petat.

CAP. XII. — *De silentio.*

I. Monachus debet silentium discrete observare.

II. Idque tribus praecipue temporibus; a Completorio nimirum ad Tertiam diei sequentis; praeterea in ecclesiâ atque ad mensam: et si quid dicendum fuerit, submissâ voce dicatur.

CAP. XIII. — *De oratione mentali.*

I. Monachus mane et vespere orationi mentali ad semihoram vel horam vacabit; idque fiat vel post absolutas vocales preces, vel ante, ad abbatis nutum.

II. Oraturus, vel cum aliis fratribus in ecclesiâ conveniat, vel solus in cellâ maneat.

III. Huiusmodi autem orandi genus non suscipiant qui laboriosis ministeriis addicuntur, nisi de licentiâ abbatis.

CAP. XIV. — *De oratione vocali.*

I. Monachus septem orandi tempora observet iuxta monasterii consuetudinem: primum, vespertinum officium sub occasum; deinde, completorium ante cubitum; tertio, officium mediae noctis sub horam propriam; quarto, officium matutinum simul cum horâ tertiâ; postremo, officium sextae simul et nonae.

II. Annectendae sunt completorio litaniae Deiparae, quibus succedit conscientiae examen ad octavam horae, quod etiam mane fieri debet post Tertiam.

III. Feriâ quartâ et sextâ singuli in cellas suas secedant sub vesperam post conscientiae examen; et psalmum quinquagesimum manibus in crucis figuram extensis recitent quinquies.

iv. Poenitentiales genuflexiones, quas *Metaneas* vocamus, ad Laudes singuli peragant.

Cap. XV. — *De confessione sacramentali.*

i. Monachus peccata sua sacerdoti ad confessiones excipiendas constituto confiteri debet; si autem alteri sacerdoti, abbatem consulat.
ii. Idque semel quavis hebdomadâ saltem praestet.
iii. Sub ingressum in religionem generali confessione peccata sua apud sacerdotem ab Ordinario approbatum deponat; nec recipiatur, nisi exhibitâ attestatione quod confessionem sacramentalem emiserit.

Cap. XVI. — *De sanctorum mysteriorum communione.*

i. Monachus debet opere et desiderio perpetuo paratum se praebere ad perceptionem sanctorum sacramentorum;
ii. Eorumque communionem frequentare, eamque suscipere diebus dominicis et festis de praecepto.
iii. Si qua in eâdem hebdomadâ plura concurrant festa, propter sacramenti reverentiam, iuxta abbatis consilium, in quibusdam a communione abstineat.
iv. Monachus vero sacerdos sacrum non omittat unquam, nisi causâ ab abbate probatâ.

Cap. XVII. — *De modestiâ.*

i. Monachus e cellâ egressurus proprium habitum induat, neque sine eo a quopiam se conspici permittat.
ii. Memineritque inclinare caput abbatibus et sacerdotibus senioribus, circumstantiis loci atque temporis id exigentibus, iuxta traditionem et ordinem atque morem fratrum.
iii. Fratri manum omnino non admoveat, nisi salutationis causâ peregre abeunti aut de longinquo redeunti, et in causâ aegritudinis necessitate cogente.
iv. Abiturus, aut cellam subiturus, aut fores patefacturus, aut clausurus, aut pulsaturus, modestiae atque silentii memor esto.
v. Caritatem hilaritatemque cum timore Dei coniunctam in familiari cum fratribus colloquio praeseferat.
vi. In summâ intelligat, in omnibus dictis factisque suis sibi modestiae gravitatisque leges esse servandas.

Cap. XVIII. — *De aegrotis.*

i. Monachus Deo gratias agere debet in statu aegritudinis magis quam in statu valetudinis, sciens se ad proprium profectum a Domino visitari.
ii. Inconsulto abbate, corpus affligere aut vexare non debet.
iii. Aegritudinem praesentiens, abbatem moneat.
iv. Pharmaca et remedia abbate inconsulto non adhibeat.

PARS SECUNDA

Cap. I. — *De novitiis.*

i. Liceat abbati in suo monasterio novitios suscipere, atque etiam expellere, de consilio congregationis monachorum. Novitiorum susceptio;
ii. Novitius non probetur, nisi in monasterio, in quo plures monachi degunt, qui et monasticam regulam observant, et statutis temporibus canonicas preces ceterosque ecclesiasticos ritus peragunt. Novitiorum probatio.
iii. Habitent novitii in loco a ceteris separato; et curabit abbas generalis, ut pro novitiatu designetur monasterium determinatum, et in eo locus separatus. Habitatio.
iv. Novitiatus ad biennium producatur, neque quispiam ante expletum hoc spatium ad habitum admittatur, nisi ex causâ a congregatione hegumenorum probatâ, idque non ante expletum annum. Si vero novitius expleto biennio ad hoc minus idoneus reperiatur, omnino dimittendus est. Tempus tyrocinii.
v. Novitius ante expletum aetatis annum sextumdecimum non suscipiatur; neque maior sit quadragesimoquinto. Pertinet autem ad congregationem hegumenorum in hoc casu, si aliunde noverit illum Ordini profuturum, sive in defectu aetatis sive in excessu dispensare, modo non sit minor annis quatuordecim. Aetas admittendorum.
vi. Novitium primo oportet esse christianis parentibus natum, atque orthodoxum; quare, si ipse, aut alteruter eiusdem parentum, christianus non est, aut christianam fidem negavit, vel neophytus ad illam accessit, aut a catholicâ fide ad sectam haereticorum transiit, absque licentiâ congregationis generalis a nemine Conditiones.

suscipiatur; qui vero haereticis aut schismaticis parentibus natus est, ab abbate monasterii suscipiendus non est, nisi de licentiâ abbatis generalis;

Secundo, si excommunicatus, interdictus, suspensusve ab exercitio sui ordinis fuerit, ante absolutionem atque benedictionem proprii Episcopi non recipiatur;

Tertio, non recipiatur novitius publice suspectus, vel delatus de criminibus spectantibus ad negotium fidei orthodoxae, vel de homicidio, aut enormi in re turpi delicto, neque notorie infamis, nisi certa sincerae poenitentiae signa antea ostenderit et obtinuerit absolutionem aut dispensationem a legitimo superiore, prout de iure;

Quarto, nec recipiatur alieno aere obstrictus, neque reddendis de administratione rei alienae rationibus obnoxius, neque iudicis sententiâ exilio mulctatus, nisi creditoribus et magistratibus satisfecerit;

Quinto, nec coniugio ligatus, nisi de consensu coniugis, et factâ coram Episcopo separatione;

Sexto, nec in ecclesiasticâ dignitate constitutus, cui cura animarum annexa sit, nisi in manu sui praelati illam abdicaverit;

Septimo, nec nothus, neque alio vitio laborans irregularitatem inducente et processum ad sacros ordines impediente, nisi obtentâ ab habente facultatem absolutione seu dispensatione;

Octavo, nec aeger corpore, nec morbo cuiusvis obnoxius, nec insanus, aut mentis minus compos suae; sed corpore sanus et integer sit, et interno externove vitio careat, quo ab ordinibus suscipiendis, aut exhibendo fratribus ministerio impediatur;

Nono, nec qui in alio monasterio aut ordine professionem emisit, nisi petitâ a proprio praelato veniâ, et nostrâ generali congregatione annuente. Monachi vero, qui sua nobis monasteria superiorum permissu tradiderint, si Congregationem nostram optaverint, ad annum dumtaxat sunt probandi; quo peracto, rogatis congregationis monachorum de more suffragiis, ad professionem admittantur, locum vero post monachos, quos invenerunt, obtineant. Qui vero novitius in alio monasterio aut ordine fuerit, non recipiatur nisi de licentiâ abbatis generalis.

VII. Abbas monasterii, antequam novitium admittat, exploret circa omnia praedicta, et examen fiat in congregatione monachorum. Si abbas novitium post praemissum examen admiserit, deinde vitium in eo deprehenderit, aut impedimentum quodlibet, continuo illum e monasterio dimittat. Si vero praedictum examen neglexerit, ab abbate generali graviter erit puniendus. Qui autem novitium susceperit, sciens impedimentum aliquod ex praedictis obstare, ex gradu suo excidat: qui id ausus fuerit, sine morâ, nec ad ullum deinceps in religione gradum idoneus dignusve censeatur ipse, et omnes monachi, qui in Congregatione unâ cum illo interfuerint, ad triennium, quo expleto a congregatione hegumenorum restitutionem obtineant. Novitius vero, eum in modum receptus, si necdum professionem emiserit, monasterio expellatur; sin autem professus fuerit, res ad congregationem hegumenorum devoluta censeatur, quae cum reverendissimo domino patriarcha aut legitimo superiore causam definient. Poenae contra non admittendos recipientes.

VIII. Debet insuper abbas de novitii aetate, indole, scientiâ, valetudine, causâ vocationis ad statum religiosum, et ceteris huiusmodi cognoscere; idque fiat in congregatione monachorum. De examine.

IX. Postquam ergo abbas cum monachorum congregatione admissionem novitii probavit, tum vero locum a fratribus separatum illi assignabit, ibique ad octo saltem dies citra habitus mutationem maneat, atque interea regulas Ordinis, statuta et consuetudines examinet. Et primum quidem novitius generalem peccatorum confessionem apud sacerdotem ad excipiendas saecularium confessiones ab Episcopo approbatum obeat, atque sacram communionem percipiat. Postea, convocatis monachis, sive matutino sive vespertino tempore, abbas novitium induat tyronum habitu iuxta ritum Syriacum. Ceterisque praemittendis.

X. In quolibet monasterio habeatur liber, in quo abbas describat nomen novitii, cognomen, patriam, diem, mensem et annum quo habitum novitii suscepit. Similiter in codice adnotetur dies in quo professus est monasticum habitum suscipiendo. Et praedictus liber in archivio monasterii reponatur. Admissionis dies notanda.

XI. Tyrocinii annus supputandus erit a die, quo habitum novitii induerit; et prior tempore, potior sit in gradu. At sacerdos

eum, qui sacerdos non est, praecedit, et diaconus non diaconum.

Nihil ab admittendis recipiendum.

XII. Non liceat abbati, neque aliis, exigere aut accipere a novitiis quidquam pro ipsorum receptione ad probationem; sed nec pretium vestis ad probationem necessariae. Si vero novitius sponte quidpiam monasterio obtulerit, id porro palam et in publico conventu fiat, cedatque in communem monasterii usum.

Novitiorum vestes servandae usque ad diem professionis.

XIII. Novitiorum vestes resque omnes certo in loco reponantur, postquam in codicem singula relata fuerint, ipso novitio praesente unâ cum fratribus. Nec ulli liceat, inconsulto domino, quidpiam ex illis sibi usurpare aut monasterio applicare. Sed nec ipse novitius de rebus suis disponere valeat, probatione durante, aut aliter eorum usum cedere absque abbatis consensu. Si novitius ad saeculum redierit, res suas auferre non prohibetur; illas tamen repetere non poterit, quas sponte et expresse monasterio donaverit, aut si professio secuta fuerit.

XIV. Novitius ante professionem, quovis etiam brevissimo temporis spatio, potest de rebus et bonis suis pro arbitrio disponere: post factam vero professionem nullum illi remanet in eâ dominium, nec item abbatis, sed illud ad Ordinem statim transire censetur.

Durante probationis tempore ter fratrum suffragia de eo admittendo necne roganda.

XV. Currente probationis tempore, ter de novitio fratrum suffragia rogentur: et primum quidem expleto tyrocinii anno: iterum vero post decimum octavum mensem: postremo post vigesimum quartum, hoc est elapso probationis biennio. Si in postremâ congregatione fuerit approbatus, habitum suscipiat, quamvis in geminis prioribus congregationibus reprobatus fuisset; et e contrario, si in tertiâ reprobatus fuerit, dimittatur, nec priorum duarum congregationum ulla ratio habenda erit. Qui per annum dumtaxat, ut supra, probatur, de eo monachorum suffragia rogentur post sextum, nonum et duodecimum mensem. Qui per annum cum dimidio, post duodecimum, decimumquintum et decimumoctavum mensem.

XVI. Suffragiis monachorum approbatus censetur qui vel unum pro receptione supra medietatem suffragium habet. Si vero suffragia fuerint paria pro receptione et pro reprobatione, iterum rogentur: sique adhuc paria fuerint, reprobatus censeatur.

Tyrocinii tempore in manifestum crimen lapsus eiiciendus.

XVII. Si forte novitius tyrocinii tempore in grave crimen publicum et manifestum prolapsus fuerit, re prius cum congregatione monachorum communicatâ, abbas illum sine morâ eiiciat; ita tamen ut eius famae apud saeculares, quoad fieri poterit, consulatur.

XVIII. Novitius postquam ad suscipiendum habitum in tertiâ congregatione approbatus fuerit, abbas illi habitus susceptionem ad triduum differat, quo intervallo iubeat eumdem de statu suo deliberare: utrum scilicet illi placeat vota emittere, aut contra ad saeculum redire. Si evoluto triduo novitius statuerit religiosam professionem emittere et monachus fieri, ad ecclesiam adducatur fratrum coetu deducente, atque coram abbate ad altaris latus assidente genua flectat, duobus saltem monachis professis praesentibus; et abbas de ipsius proposito ac mente illum interroget: sique habitum petierit, induatur iuxta ritum Syriacum, postquam pronunciaverit hanc votorum formulam:

Forma iuramenti ante susceptionem habitus emittendi.

« Ego N. N. promitto ac voveo Deo omnipotenti et reverendissimo abbati generali N. N. eiusque successoribus obedientiam, castitatem et paupertatem voluntariam usque ad mortem, iuxta regulam et constitutiones congregationis nostrae monasticae. Item promitto ac voveo, me nullam dignitatem quaesiturum sive in nostrâ Congregatione sive extra, nec ambiturum per me ipsum, nec per alios procuraturum, neque subdole aucupaturum, neque etiam acceptaturum, nisi ad id me coëgerit imperium superioris mei, cui teneor obedire ».

XIX. Si novitius Ordinem deseruerit, atque ad saeculum fuerit reversus, seu sponte suâ, seu congregationis monachorum suffragio dimissus, non erit iterum recipiendus, nisi annuente congregatione hegumenorum; sique horum permissu receptus, sponte suâ, aut a congregatione monachorum dimissus fuerit, nunquam deinceps recipiatur. Qui vero post primam discessionem receptus fuerit, probationis eius anni a die reditus supputentur, nec prioris tyrocinii ulla ratio habeatur.

XX. Si novitius a proposito resilierit et ad saeculum fuerit reversus, atque ibi ad sacros ordines eumdem promoveri contigerit, sine congregationis generalis permissu recipiendus non est.

Ante emittendam professionem abbatis gen. consensus requirendus.

XXI. Nec abbas nec congregatio monachorum suffragia ferre potest pro admissione novitii ad professionem absque abbatis generalis consensu vel expresso vel

tacito, quem ille sine legitimâ causâ negare non debet; et, nisi expresse et nominatim negaverit, dare consensum censendus est.

xxii. Cum tempus probationis novitius expleverit, et professus fuerit, abbas ad generalem abbatem de eodem referat.

Novitii ad nullum ecclesiasticum ordinem admittendi.

xxiii. Non permittenda est novitio promotio ad ullum ordinem ecclesiasticum, neque abbati liceat eumdem ad sacram ordinationem offerre. Qui novitium ad sacros ordines provehi concesserit, a gradu suo excidat, et novitius ad habitus susceptionem inhabilis censeatur.

xxiv. Novitius cum monachis professis suffragium non ferat, neque de rebus ad Ordinem spectantibus interrogetur: neque ullam dignitatem in Ordine habeat, dum probatur, sed ministeriis tantum monasterii addici potest. Probationis quoque tempore novitius a monasterio, in quo ad tyrocinium admissus fuerit, ad aliud monasterium non transferatur sine iustâ causâ, nec sine consilio congregationis monasterii, ubi moratur, et congregationis monasterii, quo transferendus est, et ex permissione abbatis generalis. Sic autem translatus, cum tempus probationis expleverit, pro eius admissione eorum monachorum suffragia rogentur ubi moratur.

xxv. Novitius habitum gerat ab habitu monachorum professorum diversum; nec ante professionem habitum illorum induat.

De frequentiâ sacramentorum.

xxvi. Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae novitius quavis hebdomadâ semel saltem frequentet; neque a divinorum mysteriorum participatione prohibendus est sine consilio patris spiritualis ab abbate eidem assignati. Et si quidem sacerdos fuerit, a sacrâ oblatione quotidie peragendâ suspendendus non est, nisi ex causâ et consulto abbate.

xxvii. Si contingat novitium clericum missae inservire cum altero superioris gradus et loci, sive professus ille sit, sive novitius, epitrachelion, hoc est clericalem stolam, non induat, nisi clericus ille, qui loco graduque superior est, illud pariter induerit.

De silentio.

xxviii. Novitium decet silentium tenere praesentibus abbate atque magistro, neque loqui nisi interpellatur, aut ex iustâ legitimâque causâ: neque cum saeculari, nisi abbate et magistro annuentibus, et alio monacho praesente.

De reverentiâ senioribus.

xxix. Novitius mensae non assideat, nisi iussus ab abbate, aut a seniore inter fratres. Si contingat ipso sedente praeterire abbatem aut sacerdotem, statim assurgat, et iunctis in crucis modum supra pectus manibus, submissâ cervice, oculisque in terram defixis, perstet, donec ille pertransierit. Pari submissione reverentiâque se gerat, abbate aut alio sacerdote ipsum alloquente; nec, nisi iussus, assideat.

xxx. Novitius ab abbate aut a magistro reprehensus, statim in genua procidat, tacitusque audiat arguentem, nec, nisi iussus, pro se verba faciat, aut sibi obiecta refellat: nec nisi illo iubente assurgat.

Cap. II. — *De magistro novitiorum.*

i. Magister novitiorum intelligat, rem esse magni momenti sibi commissam; quandoquidem ex primâ institutione pendet maiore ex parte eorumdem profectus et spes nostri Ordinis. Curet igitur ut in dies per studium propriae perfectionis instrumentum aptius ad eos iuvandos reddatur.

ii. Amabilem se praestet, et vitae integritate ac discretione ita se gerat, ut omnes novitii ad ipsum in suis tentationibus confidenter confugiant, eique res suas libere aperiant et ab eo consolationem et auxilium in omnibus sperent.

iii. In domo probationis, monasterio coniunctâ, vel in monasterio ipso (nam locum novitiorum separatum esse magis expediret) refectorium quidem sit commune, sed mensa aliqua novitiis designetur post omnes professos.

iv. Magister novitiorum privatas tantum poenitentias suis novitiis imponere poterit, publicas vero nonnisi consulto abbate.

Facultates magistri novitiorum.

v. Habeat hic idem magister novitiorum potestatem ordinariam a praelatis absolvendi a casibus reservatis novitios suos; nisi abbati haec facultas aliquâ de causâ restringenda videretur, vel alteri concedenda; sed statutis anni temporibus, saltem bis in anno, extra ordinem confessarius novitiis offerendus est.

vi. Magistrum novitiorum versatum esse oportet in lectione librorum spiritualium, ut deceptiones, quae in spirituali vitâ accidunt, intelligat; novitiis vero eos tantum legendos tradet, quos ad eorum profectum conducere iudicabit, quique sint orthodoxi et ab Ecclesiâ Catholicâ non reprobati. Semihorae vero spatio eosdem

docebit orationem mentalem et vocalem, doctrinam christianam, et regulas atque statuta nostri Ordinis, praesertim qua ratione accedere debeant ad sacramenta confessionis et eucharistiae, et quomodo horis canonicis et sacrae liturgiae interesse eos conveniat; qui autem litteras nesciunt, illos statutas preces recitare docebit.

VII. Abbatis est unum ex sacerdotibus monasterii, qui sit prae ceteris morum probitate et doctrinâ commendatus, magistrum novitiorum designare. Hunc autem, si negligentem in novitiis instituendis, aut minus prudentem in eis corrigendis deprehenderit, pro qualitate culpae puniat; idque coram professis, non coram novitiis fiat. Eum vero ab officio removere non poterit, nisi congregatione monachorum consultâ.

Cap. III. — *De professis.*

Monachi nonnisi post emissam professionem ad statum clericorum vel laicorum admittendi.

I. Postquam novitius professionem emisit, aliquandiu, abbatis arbitrio, sive in ministerio fratrum, sive in studiis litterarum exerceatur, ut appareat, an ad clericorum ordinem promovendus sit, an vero in laicorum coetu manere debeat; nemo enim in nostrâ congregatione ante novitiatum ad statum clericorum sive laicorum deputatur, sed omnes indifferenter ad quemcumque statum admittuntur; et solum post peractam professionem, postque edita idoneitatis suae signa, ab abbate, consultâ monachorum congregatione, ad clericatum sive ad statum laicorum designantur. Hac tamen in re conscientia ipsius abbatis oneratur, ut nimirum et rationem idoneitatis uniuscuiusque habeat et monasterii necessitatibus de convenienté numero sacerdotum, clericorum et laicorum consulat.

II. Antequam vero professus ad statum aliquem determinetur, semper maneat sub custodiâ et curâ vicarii abbatis, et quantum fieri potest, nullum commercium habeat vel cum novitiis vel cum aliis monachis, nisi cum paribus et aequalibus suis, aut cum iis qui in eodem ministerio aut studiis iisdem versantur.

III. Quamquam autem quis ab abbate ad statum clericorum deputatus sit, et ordinem etiam aliquem ecclesiasticum acceperit, intelligat tamen ad ulteriorem gradum sibi aditum nequaquam patere, nisi illum bonis moribus et comparatâ ex studiis scientiâ promeruerit. Abbatis igitur et congregationis monachorum arbitrio relinquitur, ut ipsum ab ulteriore ordine accipiendo ad tempus, vel etiam perpetuo, arceant; idque potissimum de ordinibus infra diaconatum intelligendum est; nam qui, servatis servandis, ad diaconatum promotus est, is a sacerdotio accipiendo, nisi urgentissimâ de causâ, nequaquam removeatur.

IV. Pari ratione, qui diu in ministerio laicorum deserviit, si idoneus postea repertus fuerit, potest ab abbate et monachorum congregatione ad ordines etiam maiores promoveri; dummodo tamen, postquam ab abbate ad ministerium laicale addictus est, nec litteras didicerit, nec libros legerit, nisi ipso consulto.

Cap. IV. — *De clericis studentibus et magistris.*

I. Nemo ad ordinem ecclesiasticum promoveatur, nisi aetate a sacris Conciliis praescriptâ, aut dispensatione a legitimo superiore obtentâ, et de licentiâ congregationis monachorum atque abbatis, qui ordinandum cum litteris testimonialibus ad Episcopum loci aut reverendissimum dominum Patriarcham mittere debet, tenoris sequentis:

Tenor testimonialium pro promovendis.

Reverendissime ac religiosissime domine N. Episcope civitatis N., aut *Beatissime Patriarcha noster, domine N.* — Nos abbas et monachi Ordinis Sancti Antonii Congregationis Montis Libani monasterii N. testamur reverendum patrem N. monachum professum nostri Ordinis in legitimâ aetate constitutum (*vel* dispensationem aetatis hic annexam habentem) et sufficienti doctrinâ bonisque moribus praeditum, nulloque impedimento irretitum, dignum esse qui ordinem N. a reverendissimâ dominatione tuâ (*vel* a beatitudine tuâ) accipiat. Quamobrem has ei litteras patentes dedimus, sigillo monasterii nostri munitas et subscriptione nostri abbatis firmatas, die N., mense N., anno N.

Loco ✝ sigilli.

N. abbas monasterii N.

II. In libro monasterii adnotabitur nomen ordinati et Episcopi ordinantis et dies, mensis et annus.

Nemo ordinandus inconsulto abbate.

III. Si quis ex professis permiserit se ordinari absque licentiâ abbatis et congregationis monachorum, negotium eius ad abbatem generalem deferatur, qui illum ab exercitio ordinis suspendat, aliisque

poenis plectat, salvâ indulgentiâ quam ei reverendissimus dominus Patriarcha concesserit.

iv. In quolibet monasterio clericis ab abbate magister deputetur, qui eos doceat, et ipsi litteras diligenter excolant, quarum ope choro deservire valeant, et sacerdotii onera digne ferre, eiusque munera pro dignitate exequi.

In qualibet provinciâ designandum monasterium ad excolenda studia.

v. In qualibet provinciâ, si fieri potest, unum ex monasteriis frequentioribus ab abbate generali ad excolenda studia designetur, in quo, praeter magistrum grammaticae, sint etiam alii duo magistri, alter dialecticae et philosophiae, et alter theologiae, vel saltem unus magister, post peractum grammaticae, dialecticae et philosophiae curriculum, sacram theologiam exponat et dogmaticam praesertim atque moralem, iuxta methodum ab eodem abbate generali praescribendam. Praeterea constituatur praefectus studiorum, cuius cura esse debet, ut tum a scholaribus tum ab horum magistris statutus ordo et regula studiorum servetur; idemque praeerit omnibus actibus litterariis et examinationibus scholarium. Etsi autem abbatem generalem spectat tam praefectum studiorum quam magistros praedictos deputare, in mortis tamen aut infirmitatis alicuius eorum casu, congregatio monachorum unâ cum abbate illius monasterii alium in eius locum subrogare poterit, donec abbas gneralis consulatur: cuius erit spatium etiam annorum assignare, quo grammaticae, philosophiae et sacrae theologiae studium perficiatur, distributionem quoque temporis tam matutini quam pomeridiani, et vacationes per hebdomadas et annum; ita tamen ut neque horarum canonicarum et sacrae liturgiae tempora, aliaque monastica exercitia, a communi regulâ et constitutionibus praescripta, perturbentur, neque vires studentium ant magistrorum opprimantur.

vi. Quolibet mense disputatio publica fiat, et bis in anno examen; diebus autem dominicis habeantur collationes vel de sacrâ Sripturâ, vel de casibus conscientiae, aut controversiis in Oriente vigentibus adversus schismaticos, haereticos et infideles iuxta directionem praefecti studiorum.

Studium linguarum sacrarum.

vii. Praeter syriacam et arabicam linguam, quas necessario callere debent, curabunt etiam discere hebraicam, graecam et latinam, ut sacras Scripturas et patres doctoresque legere atque interpretari valeant.

viii. Omnia ad studium necessaria subsidia ab abbate studentibus procurentur. Studentes vero curent: primo, ut animi puritatem et rectam in studiis intentionem habeant; secundo, ut fervor studiorum non extinguat aut minuat amorem solidarum virtutum; tertio, ut iis facultatibus operam dent, eosque audiant magistros, quos abbas destinabit; quarto, ut horas, studio tam communi quam privato attributas, diligenter observent; quinto, ut si magistros studiorum causâ convenire debent, horam certam ab abbate destinatam habeant, extra quam illorum cellas sine peculiari facultate non adeant.

Magistris vero nullam praerogativam concedi

ix. In nostrâ Congregatione nullus gradus aut praerogativa magistris aliisve debetur, sed solum abbati generali; hegumenis et abbatibus provinciarum atque monasteriorum, donec in eâ dignitate fuerint; postea sacerdotibus professis iuxta tempus professionis; deinde clericis item professis; ac postremo laicis. Abbas tamen generalis curabit, pro laborum et meritorum ratione, tam magistros quam alios quoscumque sacerdotes monachos remunerari eos vel monasteriis praeficiendo, vel ab oneribus quae iunioribus imponi solent, eximendo.

Nihil scribendum, vel publicandum inconsulto abbate

x. Nemo ex monachis librum aliquem, aut tractatum, aut orationem, sive concionem scribat, nisi consulto abbate, qui opus per se legat, aut alicui ex magistris legendum committat. Illud autem in publicum prodire aut typis imprimi non licebit, nisi prius ab abbate generali et Episcopo, aut reverendissimo domino Patriarcha, probatum fuerit.

Cap. V. — *De sacerdotibus.*

i. Quae de disciplinâ religiosâ et instituto nostro servanda omnibus proposita sunt, ea sacerdotes pro ratione sui gradus sibi praecipue dicta existiment et observent.

ii. Divinum officium nitantur attente, devote et opportuno tempore recitare et ad chorum cum ceteris convenire statutis horis: caeremonias sacrae liturgiae aliarumque ecclesiasticarum functionum accurate discant et observent, sintque hac in re uniformes, patriarchalem sibi ecclesiam tamquam normam proponentes: cantus etiam ecclesiasticos calleant. Sic de-

mum in liturgiâ divinisque officiis celebrandis pronunciationem, cantum et quamcumque aliam exteriorem actionem moderentur, ut non minus aliorum aedificationi, quam propriae devotioni serviant.

Animarum cura non accipienda.

III. Curam animarum nemo ex nostris suscipiat, neque in iis, quae parochorum aut Episcoporum iuris sunt, se immisceat. Si quando autem ab Episcopo aut reverendissimo domino Patriarchâ iussus fuerit abbas monasterii, ut ipse vel aliquis monachorum in monasterio aut in vicinis sive remotis locis populum doceat vel confessiones audiat, aut alia quaecumque sacramenta administret, ab eo facultatem in scriptis habere curet.

De audiendis saecularium confessionibus.

IV. Nemo ad confessiones nostrorum audiendas accedat, nisi ab abbate deputatus, qui simul intelligat quam facultatem ad hoc munus habeat. Saecularium vero confessiones nemo audiat, nisi obtentâ Episcopi licentiâ. Perspectos autem unusquisque habeat casus reservatos tum reverendissimo domino Patriarchae et Episcopo tum abbati generali.

V. In casibus conscientiae, iisque praesertim qui ad censuras, restitutiones et casus reservatos pertinent, sese diligenter exerceant, earumque rerum compendia et brevem interrogandi methodum, et contra singulorum peccatorum species remedia salutaria ex sacris praesertim canonibus comparare studeant, collationesque de praedictis inter se diebus festis habeant.

VI. Confessarii ita audiant poenitentes, ut mutuum aspectum fugiant. Quod si locus non erit huiusmodi ut tabula confessarium a poenitente dividat, manu interpositâ inter faciem propriam et poenitentem, qui ad latus genua flectere debet, id praestabit. In audiendis vero feminarum confessionibus severos potius quam familiares se exhibeant, ita tamen ut paterna quaedam et spiritualis gravitas in eis eluceat. Nemini autem petere aut accipere quidquam liceat, sive ab iis quorum confessiones audiverit, sive ab aliis, quod in pauperes distribuat, vel alteri satisfactionis nomine restituat, inscio et inconsulto abbate.

De ministrando infirmis.

VII. Qui vocantur ad eos iuvandos, qui morti vicini sunt, ea in promptu habeant, quae eo tempore ad salutem animarum usui esse possint. Caveant autem, ne quem sermonem de loco sepulturae in coemeterio monasterii eligendo, aut de haereditate vel eleemosynâ monachis relinquendâ infirmo iniiciant.

VIII. Nemo ex nostris ad ullam archipresbyteri, periodeutae, aut chorepiscopi dignitatem se promoveri sinat, sed sacro presbyteratus ordine contenti sint omnes, etiam abbates. Si vero reverendissimus dominus Patriarcha voluerit, abbates eam benedictionem recipere poterunt.

CAP. VI. — *De monachis laicis.*

I. Intelligant omnes, primarium vocationis monasticae finem esse inservire divinae maiestati, et propriam salutem procurare, illudque ministerium obire quod ex obedientiâ sibi commissum fuerit. Contenti ergo sint statu laicali, ad quem ipsos abbas et monachorum congregatio destinaverit; et in praescripto sibi ministerio sic vitam omnem exigant, ut sibi persuadeant se in eâ re obsequium praestare Creatori, ob cuius amorem schema monasticum induerunt.

De precibus a laicis dicendis.

II. Qui syriace legere et canere norunt, divina officia in choro statis horis cum ceteris persolvant. Qui vero arabice tantum, horas diurnas et nocturnas ad usum laicorum compositas legant. Qui autem legere nesciunt, certum precum vel psalmorum numerum, ab abbate sibi praescriptum, ad singulas horas memoriter recitare discant. Qua in re ministerii uniuscuiusque ratio habebitur, ac praesertim eorum qui in laboriosis exercitationibus occupantur, quippe (1) qui vel primâ luce monasterio ad opus egrediuntur, vel usque ad vesperam regredi nequeunt; his enim, horarum loco, certas precationes abbas constituet privatim recitandas; omnes tamen, qui legitimâ causâ impediti non sunt, quotidie divinae liturgiae intersint.

III. Postquam sui officii ministeriis satisfecerint, si quid vacui temporis superfuerit, id totum in alias exercitationes spirituales aut corporales impendant; eiusque rei causâ abbatem adibunt, ut ipsius voluntatem exquirant.

IV. Curent peculiari studio erga omnes clericos, et praecipue in sacris ordinibus existentes, respectum humilitatemque exhibere, idque multo magis erga sacerdotalem ordinem, sciantque, quod, etiamsi

(1) Male edit. Main. legit *quique*.

professi sint, in sacris tamen functionibus cedere debent clericis etiam novitiis, ecclesiastico habitu indutis.

Laici ad omnes dignitates præterquam abbatis eligibiles.

v. Quia tamen patres nostri, statu laicali vel minoribus ordinibus aut diaconatu tantum contenti, Deo serviisse, fratribusque praefuisse noscuntur, ideo monachos laicos vel clericos aut diaconos, scientiâ sufficienti praeditos et regimini idoneos, non omnino ab officiis, etiam insignibus, excludimus, sed posse eos tam ab abbate generali et congregatione hegumenorum, quam ab abbate et congregatione monachorum, atque etiam a congregatione generali eligi in hegumenos, oeconomos, procuratores et consultores, et ad alias similes dignitates promoveri, declaramus: hac tamen salvâ conditione, ut nunquam in abbatem generalem aut abbatem provinciae sive monasterii, qui sacerdotes esse debent, eligantur. Qui autem eo, quem diximus, modo electus fuerit hegumenus, intelligat sibi primum post sacerdotes locum convenire extra congregationes; in congregationibus vero post hegumenos sacerdotes, et ante omnes alios, etiam sacerdotes.

vi. Caveant monachi laici, ne quid sibi capiant, aut aliis dent, commodent, mittant, aut quidquam huiusmodi faciant, absque expressâ licentiâ abbatis, aut eius qui operi praeest.

vii. Librum nullum retinere aut legere iis licebit sine abbatis licentiâ, cuius prudentiae erit eos illis legendos assignare qui magis ad spiritualem ipsorum profectum expedire videbuntur.

Cap. VII. — *De ordine domestico et de honestate extra monasterium servandâ.*

De horarum distributione.

i. In unoquoque monasterio distributio horarum in tabellâ describatur, et in loco patente ponatur, in qua secundum anni tempora diligenter notentur horae chori, id est vesperarum, completorii, nocturni, matutini cum tertiâ et sextâ atque nonâ; item horae liturgiarum privatarum et solemnium; item horae prandii et coenae; denique hora operis manuum sive ministeriorum aut studii, et hora qua fratres cubitum eunt, usque ad signum quo excitantur.

Vicarii munia.

ii. Ab abbate constituatur monachus, sive vicarius, sive alius quicumque, cuius officium erit tempore orationi et reliquis exercitiis assignato observare num omnes iis vacent: item observare omnia quae ad honestatem et decentiam externam pertinent, ecclesiam et monasterium in locis publicis perlustrando; et si quid inconveniens deprehenderit, ad abbatem referat.

In refectorio semper servandum silentium.

iii. Ad mensam habeatur lectio; silentium autem nunquam ab abbate dispensetur. Si quem vero extraneum ecclesiasticum aut saecularem contigerit ad monasterium divertere, ipse abbas solus, vel adhibito aliquo alio monacho, pro illius viri dignitate poterit simul cum illo cibum sumere; idque, si fieri poterit, extra refectorium; alioquin vel ante vel postquam monachi in refectorio cibum sumpserint.

iv. Cum monachus de monasterio exire non debeat nisi socio adhibito, quem sibi abbas assignaverit, advertat abbas, ut sic socios accommodet, ne sociis graves sint aut molesti, neque nimis familiares aut suspecti.

v. Nisi necessitas coëgerit (quae tamen ab abbate erit cognoscenda et probanda), monachi ad ministeria sive ad studium intra monasterium addicti, de monasterio egredi non permittantur, nisi bis in hebdomadâ, et cum interpolatione dierum, peractisque prius ministeriis necessariis; idque ita ab abbate per turnum distribuatur, ut et disciplina regularis in monasterio nihil detrimenti capiat, et omnibus per hebdomadam monachis facultas exeundi e monasterio aequaliter detur. Diebus autem dominicis et festis maioribus nemo possit veniam exeundi obtinere, nisi celebratis prius divinis officiis, aut eo dumtaxat temporis spatio quod a divinis officiis vacuum est.

vi. E monasterio egressi, honestatem et modestiam incessu, manibus, colloquio, oculis exhibeant; loca remotiora et ecclesias minus frequentes adeant; personas, vias, aedes, officinas suspectas aut infames devitent; cum saecularibus non tantum familiaritatis habeant, ut vel secreta monasterii iis revelent, vel ex frequenti eorum conversione a monasticâ disciplinâ relaxentur: multoque magis a feminarum colloquio abstineant, neque eas invisant, aut ad illas scribant, nisi in magna necessitate, aut cum spe magni profectus spiritualis, et consulto expresse abbate.

Contra ambientes.

vii. Non permittat abbas, ut monachi munuscula offerant magistratibus, aut eorum aulas frequentent, aut amicitias quo-

cumque modo ambiant; praesertim si deprehenderit eos hac viâ ad ecclesiasticam dignitatem vel in religione gradum prorepere. Si quem vero huius ambitus reum invenerit, graviter puniat et ad abbatem generalem deferat. Idem de abbate dicendum, si, praeter consuetas et necessarias magnatum visitationes munerumque oblationes, vel quid novum introducere tentaverit, vel ipse magnatum amicitias plus aequo captare deprehensus fuerit.

Cap. VIII. — *De fundatione monasteriorum et receptione hospitum, deque vitandâ monachorum vagatione.*

Monasteria non recipienda sine expresso Episcopi et Patriarchae consensu.

i. Nullum monasterium, nisi accedente consensu et benedictione Episcopi et reverendissimi domini Patriarchae, et de licentiâ abbatis generalis atque hegumenorum, nobis a fundatoribus aut patronis oblatum accipere debemus, vel de novo fundare possumus. Quisquis vero abbas, sive propriâ sive congregationis etiam monachorum auctoritate id fecerit, poenae gravioris culpae subiaceat in religione, si licentia tantum abbatis generalis et hegumenorum defuerit; et puniatur etiam ab Episcopo et a reverendissimo domino Patriarcha, si absque horum consensu id factum fuerit; omnesque monachi, abbati consentientes, eidem poenae subiaceant: et actus monastici ibidem facti, ut novitiorum admissio ac professio, irriti et inanes declarantur.

ii. Illud vero solum monasterium fundare vel accipere, ut supra, nobis licet, in quo monastica disciplina observari possit, et sufficiens monachorum numerus ali; idque vel ex annuis redditibus monasterio legatis, vel ex terrae fundo, de quo ex labore manuum vivere possint

Introitus in monasteria mulieribus interdicendus

iii. Omne monasterium, quod monachi nostrae congregationis inhabitant, honestâ clausurâ muniatur. Sic autem sit clausum, ut mulieribus cuiuscumque dignitatis aut ordinis nullâ ratione pateat.

De hospitio et hospitibus.

iv. Extra ipsius monasterii clausuram, vel in loco intra monasterium ad id destinato, hospitium erigatur, in quo hospites ad nos divertentes accipi possint: et mulieres quidem in loco valde remoto ac prorsus separato a viris et a monasterio. Neque abbas, neque congregatio monachorum potest alicui, vel ecclesiastico vel saeculari, cellam in ipso monasterio vel ad breve tempus assignare, nisi in hospitio locus omnino defuerit, aut personae accipiendae minime convenerit, ut cum Episcopus aut reverendissimus dominus Patriarcha ad nos divertit.

De aere alieno non accipiendo, monasterii rebus non alienandis, etc.

v. Nulli abbati aut oeconomo licebit monasterium aere alieno gravare absque inevitabili necessitate, nec vendere aut commutare, vel quovis modo alienare possessiones, fundos, aut annuos census, monasterio donatos aut acquisitos, sub poenâ depositionis ab officio, et inhabilitationis tam abbatis quam oeconomi et monachorum, si assensum ad hoc praebuerint, nisi obtentâ prius facultate ab iis ad quos spectat, et consensu abbatis generalis.

De redditibus, fundorum instrumentis etc.

vi. Pecuniae exactae de redditibus monasterii, aut a benefactoribus monasterio donatae, non retineantur in manu cuiusquam, sed in arcâ statim reponantur sub duplici clave, quarum una sit penes abbatem, altera penes oeconomum. Item instrumenta fundorum monasterii, vel rerum donatarum aut testamentorum clausulae, aut alia quaecumque documenta ad res temporales monasterii spectantia, in publicâ formâ redacta, in arcâ vel in archivio communi reponantur sub duplici clave, ut supra.

Res monachis quolibet modo provenientes monasterio applicantur.

vii. Quaecumque monacho professo donantur, sive ex haereditate proveniunt, tam mobilia quam immobilia, omnia monasterio statim et sine dilatione applicentur; usus tamen aliquarum rerum, ut librorum, ei concedi poterit ex licentiâ abbatis: ita tamen, ut ex eo usu paupertas religiosa non laedatur, neque murmuratio aut aemulatio in ceteris fratribus oriatur.

viii. Inventarium bonorum tam mobilium quam immobilium in omnibus monasteriis, fideliter et accurate descriptum, in archivio conservetur, et unum illius exemplar ad abbatem generalem mittatur. Item habeatur inventarium onerum sive obligationum erga fundatores et benefactores tam vivos quam defunctos, quibus abbas satisfieri diligenter curet.

De translatione monachorum.

ix. Monasteria nostra ita sint invicem coniuncta, ut monachi possint, abbatis generalis arbitrio, ex uno in alterum libere transferri, et, ubicumque is voluerit, ad tempus vel perpetuo collocari. Eius tamen prudentiae erit, ut non temere monachos sic transferat, sed habitâ ratione necessitatis monachorum et monasteriorum, et consultis prius, si fieri poterit aut expedire iudicaverit, abbatibus, qui debent ipsum de statu suorum monachorum ac

monasteriorum certiorem facere. Bona vero mobilia aut immobilia unius monasterii ad alterum nequaquam transferantur; maxime si a fundatoribus ea fuerint certo loco assignata; sed quae monachorum labore, vel ex haereditate consanguineorum, aut donatione amicorum cuiquam eorum factâ, ad monasterii redditus accesserint, iis poterit abbas generalis necessitatibus monasteriorum indigentium prudenter subvenire: sic tamen ut abbates occasionem inde non arripiant monasteria sua negligenter administrandi.

x. Si abbas experimento compererit, quemquam suorum monachorum vel coeli inclementiam ferre non posse, vel aliâ quacumque de causâ communitati expedire ut inde discedat, et ad aliud monasterium proficiscatur, de consilio congregationis monachorum abbatem generalem admoneat, qui illum pro suâ prudentiâ ad aliud monasterium migrare iubebit. Si vero in longinquâ regione fuerint, itaut abbas generalis consuli tempore opportuno nequiverit, tunc abbas de consensu congregationis monachorum mittere poterit monachum cum litteris ad abbatem generalem, qui illum in quodcumque voluerit monasterium transferet. Sive autem ob infirmitatem, sive ob pravos mores dimissus fuerit monachus, omnia, quae ad iter necessaria erunt, magnâ caritatis significatione subministrentur ab eo monasterio, unde dimittitur. Si vero in commodum et utilitatem alterius monasterii mittitur, illius sumptibus et expensis mittetur. Caveant tamen frequentes monachorum translationes, ne monasteriis oneri sint; nec illas sine necessitate fieri permittant.

Nullus in monasteria recipiendus nisi scriptam abbatis licentiam proferat.

xi. Quemadmodum nulli monachorum licet decedere de monasterio, in quo per abbatem generalem collocatus est; ita nulli abbatum fas erit advenientem monachum recipere, nisi licentiâ proprii abbatis, aut abbatis generalis in scriptis obtentâ; alioquin, tam qui recepit, quam qui recipitur, poenam monachorum vagorum subeant arbitrio abbatis generalis. Si quis vero monachus a proprio abbate, vel a fratribus eius monasterii, in quo versatur, se iniuriam aut persecutionem pati affirmaverit, volueritque abbatem generalem adire, non idcirco ei licebit, inconsulto eodem abbate generali, aut saltem abbate et congregatione monachorum sui monasterii annuente, e monasterio proficisci; sed debet ad ipsum abbatem generalem scribere et licentiam ab illo primum obtinere, alias ab eodem abbate generali tamquam vagus puniatur.

De non vagando extra propriam provinciam.

xii. Nullus, etiamsi abbas fuerit, possit ire extra suam provinciam quocumque titulo vel praetextu, neque ad parentes, consanguineos vel affines, neque ullam peregrinationem, etiam sacram, suscipere, absque speciali licentiâ abbatis generalis; neque ex uno monasterio ad aliud se transferre, etiam pro rebus proprii monasterii, absque consensu congregationis monachorum; nisi monasterium, ad quod se confert, adeo vicinum sit, ut uno die ire ad illud et redire ad proprium monasterium valeat. Si quis abbas huic constitutioni contravenerit, ab abbate generali puniatur. Ceteri vero monachi non abbates, qui sine licentiâ abbatum suorum de uno monasterio in aliud pergunt, vel peregrinationem suscipiunt, in monasterio includantur arbitrio abbatis, qui ieiunium insuper illis ad tempus praescribat.

De non quaestuando.

xiii. Nulli tam monachorum quam abbatum licebit ostiatim, aut per pagos sive per ecclesias mendicare. Si tamen aliqua necessitas urgens suaserit aliquid petendum ab aliquâ personâ, id fiat religiose et modeste per monachos ab abbate designatos. Si vero per pagos vel civitates propter gravem monasterii necessitatem mendicandum fuerit, id non fiat nisi ex licentiâ ab Episcopo et reverendissimo domino Patriarchâ in scriptis habendâ.

Cap. IX. — *De subiectione erga praelatos.*

De subiectione Romano Pontifici.

i. Cum noster ordo in medio nationum haereticarum et infidelium versetur, atque ab universalis Ecclesiae capite marium terrarumque spatiis disiunctus sit, diligentissime curent abbas generalis, hegumeni et abbates monasteriorum atque provinciarum, eorumque vicarii, ne aut ex locorum distantiâ aut proximarum gentium consuetudine caritas atque devotio monachorum erga sanctam Petri Apostolorum principis cathedram et Romanos Pontifices quoquo modo refrigescat; quin sedulo satagant, ut omnes monachi intelligant, obedientiam et obsequium erga Sedem Apostolicam Romanam esse velut nostrae religionis fundamentum et characterem, quo a ceteris Orientis nationibus Syri Maronitae se discerni voluerunt. Pretiosissimum itaque hoc maiorum nostrorum depositum

custodire summopere nitantur, et omni ope contendant ut tum verbo tum opere tales se esse palam et publice fateantur, quales eos esse oportet, qui officii sui et beneficiorum ab Ecclesiâ Romanâ acceptorum haudquaquam immemores sunt. Et quoniam divino mandato iubemur proximi etiam nostri salutem curare, diligentissime studeant, antiquorum nostrorum patrum, ac praesertim monachorum S. Maronis, qui pro catholicâ religione strenue decertarunt, vestigiis inhaerendo, occasiones captare ad orthodoxae fidei propagationem, et ad profectum nationum ab ecclesiâ catholicâ dissidentium, inter quas versantur; neve earumdem desperent aunegligant conversionem, sed cum omni charitate et patientiâ, divino adiutorio freti, procurare illam opportune arguendo, increpando, obsecrando nitantur.

Patriarchae Antiocheno.

II. Honorent quoque, post Summos Romanos Pontifices, matrem suam Antiochenam ecclesiam, et reverendissimum dominum Patriarcham, toti nationi ordinique nostro ab eâdem Romanâ Ecclesiâ praepositum: cui, tamquam patri, peculiari affectu et devotione addicti sint, eiusque decretis et constitutionibus omnibus, quae fidei catholicae aut Romanis Pontificibus non adversentur, pareant et obtemperent. Nomen quoque eius post Romanum Pontificem tam in sacrâ liturgiâ quam in divinis officiis de more commemorent. In rebus dubiis et gravibus, quae Ordinem nostrum concernunt, illum consulant. Antequam congregatio generalis fiat, eius benedictio ab abbate generali petatur; postquam facta est, electi abbas generalis et hegumeni ipsum adeant, benedictionem accepturi: si operâ nostrâ in rebus ecclesiasticis aut temporalibus ad sedem patriarchalem Antiochenam spectantibus uti voluerit, paratos se exhibeant. Nullum cum ipso aut reliquis praelatis dissidium habeant; neque in rebus, ad eius sive praelatorum auctoritatem pertinentibus, se immisceant, sed meminerint, se illius et praelatorum, in quorum dioecesibus versantur, obsequentissimos filios esse. Si quis huic regulae quoquo modo contravenisse compertus fuerit, severissime puniatur.

Et Episcopo loci.

III. Post reverendissimum dominum Pattriarcham, Episcopo loci debitum honorem et obsequium deferant, eius quoque nomen in sacris diptycis recitantes. Sacramenta exteris non administrent, neque conciones ad illos habeant, aut catecheses faciant, aut ullum ministerium sacrum publicum obeant ad populum, sine expressâ eius licentiâ.

IV. Episcopos, chorepiscopos, archipresbyteros et parochos, omnesque tam reverendissimi domini Patriarchae, quam Episcopi ordinarii ecclesiasticos ministros, quo par est, honore prosequantur. In eorum officiis sese ne immisceant, neve sacram ullam functionem cum saecularibus vel erga saeculares exerceant nisi iussu Episcopi, et beneplacito parochorum; curam animarum perpetuam monachi ne gerant, neque etiam ad tempus in civitatibus sine licentiâ reverendissimi domini Patriarchae et Episcopi ordinario: in pagis vero ac praesertim in locis monasterio contiguis, possunt, si Episcopus voluerit, ad tempus supplere absentiam vel defectum parochorum, sacramenta necessaria administrando, concionando et catecheses faciendo.

De non implicando se in negotiis magnatum.

V. Quomodo autem monachi cum principibus et potestatibus saeculi se gerere debeant, monet Apostolus, inquiens: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; nec tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.* Reddere autem iubemur *omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Si quis igitur principum saecularium contigerit ad nostra monasteria divertere, maxime si fidelis fuerit, omni honore illum prosequantur. In negotiis tamen magnatum nequaquam se ingerent: *nemo enim militans Deo, implicat se negotiis saecularibus;* neque eorum aulas frequentent aut amicitias ambiant; multoque minus eorum operâ aut patrocinio adversus ecclesiasticas potestates utantur. Si quid vero cum illis circa bona temporalia monasteriorum agendum aut transigendum erit, id ab abbate aut oeconomo sic fiat, ut religiosae humilitatis nunquam obliviscatur. Curent denique, quantum fieri poterit, ut monasteriorum fundi possessionesque a tributis et vectigalibus immunes sint.

CAP. X. — *De iis, quae observari debent in exigendâ ab abbatibus et reddendâ a monachis ratione conscientiae.*

I. Cum huius regulae finis sit spirituale auxilium monachorum, abbas summopere caveat, ne vitio suo eadem fratribus gravis et intoleranda fiat, atque ab eius observatione paulatim avertantur cum magno suarum animarum atque ordinis detrimento. In hoc proinde casu se patrem exhibeat, adeout monachus ad ipsum cum filiali fiduciâ recurrere assuescat.

De secreto servando in rebus conscientiam respicientibus.

II. Non est cogendus monachus, ut conscientiam suam abbati aperiat in iis rebus, de quibus confessus est aut confiteri debet apud sacerdotem. Omnia autem, quae abbati in hac materiâ revelantur, intelligat ea sibi sub secreto naturali dicta: quod tamen de iis dumtaxat intelligendum est, quae quis de se ipso suisque defectibus aut tentationibus abbati aperit; quae enim de aliis monachis denunciat, ea sub secretum non cadunt, nisi quoad personam denunciantis.

III. Hoc secretum abbas cautissime servet, nec faciat quidquam ex notitiâ inde habitâ quoad res denunciantis, nisi expressam ab eodem habuerit facultatem. Si quis vero huius secreti fidem quovis modo fregisse convictus fuerit, denuncietur abbati generali, qui delinquentem severe puniet. Hinc abbas vel praefectus rerum spiritualium satagat ut fratres intelligant poenas impositas fractioni praedicti sigilli, ut inde metum omnem deponant, et ad usum huius praxis promptiores reddantur.

IV. In domesticis exhortationibus ab abbate inculcetur tam sanctus et laudabilis mos a sanctis patribus nostris inductus et alumnis suis maxime commendatus. Item eius necessitas et utilitas non solum ad privatum, sed etiam ad commune bonum spirituale ostendatur.

De aperiendâ abbati conscientiâ.

V. Unusquisque igitur magnâ cum humilitate, sub sigillo secreti naturalis, aut quacumque ratione ei placuerit, totam animam suam abbati manifestam faciat, aperiendo defectus suos, eos praesertim quibus magis gravatur. Quos vero in fratribus suis deprehenderit defectus, eidem abbati revelet, ut congruum remedium aptare possit.

VI. Capita autem, quibus conscientiae propriae ratio reddenda erit, haec fere sunt, ex quibus cum ea retulerit quae ad plenam sui manifestationem dicenda putaverit, petat ab abbate ut se ipsum interrogando iuvet ac suppleat, si quid esse iudicet quod ad maiorem ipsius monachi profectum opportunum esse videatur:

De quibus reddenda ratio.

Primo: An vivat contentus iuxta suam vocationem et quomodo se habeat circa vota substantialia religionis.

Secundo: An sentiat aliquas animi perturbationes, tentationes molestas, et de facilitate seu difficultate et modo eis resistendi, et ad quos affectus vel peccata sit magis propensus et incitatus; et quomodo observet quae ex constitutionibus et regulis tum communibus tum officii sui ad ipsum pertinet.

Tertio: Quomodo rebus spiritualibus sit affectus, quarum virtutum studio praecipue intentus, quantum temporis orationi tribuat, et num vocali, an potius mentali iuvetur; num in exercitio rerum spiritualium consolationem habeat, an vero contra, desolationem et vagationem mentis patiatur; de fructu, quem ex sacrâ communione, confessione et aliis exercitiis spiritualibus percipiat; de mortificationibus, poenitentiis et aliis quae faciunt ad spiritus profectum, et in specie de praeparatione ad iniurias et alia molesta aequo animo ferenda.

Quarto: De fratribus, et quomodo ex eorum conversatione proficiat in Domino, et an alicui sit plus familiaris quam aliis; an aversionem animi sentiat ab aliquo et an offensus sit in aliquo a quopiam, et quomodo sit affectus erga omnes.

Quinto: Num post ultimam rationem conscientiae, quam reddidit, maiorem aut minorem fructum fecerit.

VII. Quod monachus cum abbate, idem praestare debet abbas cum aliquo ex monachis circa rationem conscientiae propriae reddendam.

CAP. XI. — *De renovatione votorum.*

Quotannis renovanda vota.

I. Ut firmius monastica disciplina retineatur, monachi nostri in die festo sancti patris Antonii die XVII. mensis ianuarii vota solemnia quolibet anno renovent hoc modo:

II. In Congregatione monachorum unâ hebdomadâ ante festum sancti patris nostri Antonii abbas moneat omnes religiosos de futurâ votorum renovatione, ut unusquisque se praeparet ad confessionem sacramentalem in pervigilio festi vel ipso

die faciendam, ubi, communione fratrum ac liturgiâ absolutâ, congregentur omnes in locum a saecularibus separatum, in quo abbas faciat brevem adhortationem de votis mox renovandis: deinde cantatis litaniis B. Virginis Mariae et recitatis secreto oratione dominicâ et salutatione angelicâ, ipse abbas flexis genibus coram altari legat clarâ voce sequentem formulam:

Formula, ac caeremoniae in votorum renovatione.

« Ego N. N. renovo meam professionem monasticam et promitto Deo omnipotenti, beatissimae Virgini Mariae, sancto patri nostro Antonio, et reverendissimo meo abbati generali N. N. eiusque successoribus obedientiam, paupertatem et castitatem usque ad mortem iuxta regulam et constitutiones nostras. Item promitto, me nullam dignitatem sive in Ordine nostro monastico sive extra ambiturum, vel postulaturum per me ipsum aut per alios, seu acceptaturum, nisi iussu superiorum ».

Si sit abbas generalis, omittat ea verba, *et reverendissimo meo abbati generali, eiusque succesoribus,* et loco eorum dicat, *et reverendissimo abbati generali pro tempore existenti.*

Tum surgens abbas ad latus dexterum altaris sedeat: mox alii monachi, iuxta antiquitatem suam in professione, eamdem formam renovationis votorum ex cartulâ sive libro in manibus abbatis existente, genuflexi ante ipsum abbatem proferant. Quibus finitis, surgat abbas et omnibus aliis genuflexis, faciat absolutionem, dicens:

Deus misereatur vestri, et dimittat debita vestra, et condonet peccata vestra, et perducat vos ad vitam aeternam.

Respondent: *Amen.*

Abbas: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.*

Respondent: *Amen.*

CAP. XII. — *De monachis infirmis et decedentibus*

Infirmi primo die confiteri debeant.

I. Cum monachus graviter aegrotare coeperit, statim confiteatur abbati, vel confessario ab eodem deputato, et sacrâ communione reficiatur, servatâ ad hoc horâ magis conveniente, antequam cibum capiat, nisi infirmitas nimium urgeret. Nec ultra unum a gravi infirmitate diem confessio differri poterit, et, si fieri potest, etiam communio. Et statim praesentibus duobus vel tribus monachis debet infirmus abbati vel oeconomo revelare bona omnia, quorum usum habuit, nec in inventario descripta sunt. Alioquin, si, monitus ab abbate, omnia, quae supra dicta sunt, facere detrectaverit, atque illum mori contigerit, ecclesiasticâ sepulturâ privetur et suffragiis divinis. Si vero temporalium bonorum administrationem habuerit, postquam coeperit graviter aegrotare, et maxime si nulla sit spes salutis, abbas cum duobus aut tribus testibus monachis omnia illius repositoria visitet, et faciat debitum inventarium. Sique necessitas postulaverit, eius ministerium alteri tradat, donec infirmus convalescat vel moriatur. Idem de abbate infirmo dicendum, sive abbas monasterii sit, sive hegumenus, sive etiam abbas generalis. Quaecumque autem in cellâ monachi post eius obitum reperta fuerint, monasterio applicentur.

Ac bona sua omnia abbati revelare.

II. Diligens cura infirmorum habeatur, eisque, secundum infirmitatis indigentiam, et secundum medicorum consilium, provideatur de omnibus necessariis; et aliquis religiosus ac pius monachus, non aliunde occupatus, eis specialiter assignetur, qui sciat, possit et debeat ministrare. Cumque horas canonicas gravati morbo per se ipsos recitare non possint, tunc, si sustinere possunt, dicantur coram eis ab aliquo.

De infirmorum curâ.

III. In quolibet monasterio, ubi commode fieri poterit, segregetur locus pro infirmis, etiam cum oratorio ubi singulis diebus missa celebretur, si quis sit infirmus qui eam audire possit.

IV. Item in ecclesiâ monasterii decenter et honeste conservetur sacrosancta Eucharistia pro monachis et familiaribus nostris, in casu necessitatis eis porrigenda.

V. Item oleo benedicto infirmum ungat abbas vel eius vicarius iuxta ritum sacrae lampadis sive extremae Unctionis. Et habeantur in quolibet monasterio libri rituales tam pro Eucharistiae administratione, quam pro extremâ Unctione et pro commendatione animae, et exequiis,

VI. Nullus monachorum permittatur uti scientiâ medicinae tam pro monachis quam pro saecularibus, nisi in dictâ scientiâ sit sufficienter instructus, et dispensationem a legitimis superioribus habeat: idque sine periculo et scandalo et sine mercede, sed ex solâ caritate faciat.

Pro defunctis exequiae et orationes.

VII. Abbas monasterii obitum cuiusque monachi in suo monasterio decedentis sine dilatione abbati generali et abbatibus ceterorum monasteriorum denunciet per epistolam encyclicam, ut pro mortuo fiant suffragia: nempe, in monasterio, in quo monachus obierit, fiant exequiae more solito et missa solemnis, et unusquisque sacerdos dicat tres missas, et quilibet non sacerdos ter psalterium orationum dominicarum et salutationum angelicarum, item dicatur pro eo missa solemnis in die quadragesimo obitus et in anniversario: in reliquis vero monasteriis una missa dicatur a quolibet sacerdote, et unum psalterium orationum dominicarum et salutationum angelicarum a non sacerdote. Pro abbate vero generali et unoquoque ex quatuor hegumenis, idem fiat in toto Ordine quod fit in monasterio in quo monachus moritur; idque intelligendum est de illis etiam, qui aliquando munere abbatis generalis et hegumenorum functi sunt, etiamsi tales non fuerint cum mortui sint. Hunc autem missarum et orationum numerum, quem supra expressimus, augere vel diminuere poterit congregatio generalis pro maiori vel minori monachorum numero.

Exequiae pro Romano Pontifice, Patriarcha et Episcopo.

VIII. Auditâ morte summi Romani Pontificis vel reverendissimi domini Patriarchae nostri, fiant exequiae solemnes in singulis monasteriis, ut unusquisque sacerdos dicat unam missam, et non sacerdos centum quinquaginta *Pater noster* et *Ave Maria,* quod est integrum psalterium precum. Idem fiat pro Episcopo in monasteriis, quae in eius dioecesi sunt, et pro benefactoribus insignibus in monasterio cui benefecerunt.

IX. In omnibus coemeteriis nostris monachi a saecularibus semoti sepeliantur in habitu, quem gessere, sive professorum vel novitiorum.

Anniversaria.

X. Bis in anno fiat commemoratio pro omnibus monachis defunctis nostri Ordinis: bis quoque pro parentibus, affinibus et amicis monachorum et pro omnibus, qui in coemeteriis nostri Ordinis sepulti sunt; et bis pro benefactoribus, et pro illis qui litteras fraternitatis Ordinis nostri habuerunt. Semel scilicet mense novembri et semel ante initium ieiunii quadragesimalis. In utrâque commemoratione dicatur in unoquoque monasterio missa solemnis, et quilibet sacerdos dicat unam missam, et non sacerdos psalterium precum.

CAP. XIII. — *De eremitis et inclusis.*

Vitam eremiticam ducere cuique professo conceditur.

I. Quoniam patres nostri non modo coenobiticam vitam, sed etiam eremiticam coluere, nobisque tradidere; ideo vestigiis eorum inhaerentes, decernimus, fas esse unicuique monacho professo, post exactum tamen a professione monasticâ quinquennium, et petitâ prius obtentâque ab abbate licentiâ, in cellam a communi aliorum monachorum consortio semotam, claustro tamen munitam, secedere ad tempus vel in perpetuum, prout ipsi abbati et congregationi monachorum visum fuerit; ubi orationi et spiritualibus exercitationibus vacet; et, si firmo corpore fuerit, agellus ei colendus tradatur, vel illud manuum opus exerceat, quod utile fuerit et conveniens. Probet autem abbas spiritum monachi, antequam illi dictam licentiam concedat, ne quid diabolicae fraudis in huiusmodi secessu subrepat.

II. Minus quam duo non sint apud monasterium eremitae, iique in duabus cellis separatis, neque plus quam tres, in totidem cellis. Quod si monasterium frequens sit, et voluerint plures quam tres monachi vitam eremiticam colere, tunc bini bini eremitae separatim ab aliis in suâ quisque cellâ manebunt; et alter alteri eremita ministrabit in rebus spiritualibus et temporalibus, eâdem omnino ratione, quae a regulâ et constitutionibus praescribitur coenobitis erga socios; idque, si ambo vel unus eorum sacerdos fuerit; nam sacram liturgiam et sacramenta confessionis et communionis eodem modo in oratorio privato frequentabunt, quo frequentantur a monachis in ecclesiâ monasterii. Si vero ambo non sacerdotes fuerint, id praestare debebunt in ecclesiâ monasterii, ad quam pro rebus spiritualibus convenient certis horis, certisque diebus; tum ad cellas suas abibunt. In festo autem Paschatis Resurrectionis et in festo Nativitatis Domini, debent omnes eremitae, tam sacerdotes quam non sacerdotes, ad ecclesiam monasterii accedere, ibique divinum officium cum monachis celebrare, et missam dicere vel audire; tum, si voluerint, poterunt in communi refectorio cibum sumere; alioquin, peractis divinis officiis et salutato abbate, in cellas suas pergent.

III. Curet abbas monasterii, quae circa illos aguntur, perspecta habere, et invigilet, ne praetextu eremiticae vitae otio

se dent, aut aliud faciant, quam quod huiusmodi institutum postulat. Assignet praeterea unum ex monasterio, qui temporibus suis victum, potum, vestitum et omnia necessaria inclusis sive eremitis subministret.

IV. Semel in anno per decem aut octo dies tenentur monachi omnes in cellas suas a communi aliorum consortio secedere, et spiritualibus exercitationibus vacare: idque sive ante Nativitatem Domini sive ante dominicam Palmarum. Provideat autem abbas, ut secessus huiusmodi inter monachos sic distribuatur, ut nullum vitae communi aut necessariis monasterii ministeriis detrimentum inferatur.

Cap. XIV. — *De monialibus.*

Monialium cura penes abbatem generalem.

I. Monialium curam Ordo noster non suscipiat, nisi de consensu reverendissimi domini Patriarchae et Episcopi dioecesani in scriptis habendo; eoque habito, regimen earum ad abbatem generalem immediate pertinebit, qui ad illarum post reverendissimum dominum Patriarcham et Episcopum visitator ordinarius erit, et gubernator et director; et ad eum spectabit eis providere de patribus spiritualibus seu confessariis, tam ordinariis quam extraordinariis; et ipse etiam poterit earum confessiones per se ipsum audire, si voluerit, et visitatorem aliquem ex monachis nostrae congregationis substituere, si impeditus fuerit.

II. Si plura fuerint monialium monasteria, nullam ab invicem dependentiam habebunt, nec unius abbatissa alteri praeesse poterit, sed unumquodque a suâ abbatissâ administrabitur, et omnibus abbatissis praeerit abbas generalis, ut modo dictum est. Poterunt tamen moniales ex uno monasterio in aliud ob urgentem necessitatem transferri, modo adsit consensus duarum saltem partium monialium ad quas transfertur, et Episcopi illius loci.

III. Nulla virgo a parentibus aut aliis coacta vel seducta recipiatur in monasterio, nullaque habitu monialium induatur absque licentia abbatis generalis, et nisi ex consensu seu suffragiis plusquam medietatis monialium. Habeat autem eas omnes respective conditiones quae in novitiis monachis iuxta constitutiones nostras requiruntur. Sitque sexdecim annos nata cum novitiatum incipit, neque annum aetatis quadragesimum quintum excedat. Profiteri autem non poterit ante completum biennium novitiatus. Si qua vero novitia in aetate legitimâ constituta, probationis anno nondum expleto, ob infirmitatem ab hoc saeculo migratura, pro consolatione animae suae ad habitum professarum admitti desideraverit, coram abbatissâ et monialibus ab abbate generali vel ex eius commissione ab aliquo sacerdote monacho admitti poterit ad probationem faciendam.

IV. Non multiplicentur novitiae vel moniales ultra numerum earum, quae ex redditibus propriis monasteriis vel ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari. Nihil vero pro earum receptione in novitiatu vel professione a monasterio exigatur, excepto vestitu novitiarum; et quando vestiendae erunt habitu novitiarum vel habitu professarum, id fiat in ecclesiâ monasterii coram abbatissâ et monialibus in manibus abbatis generalis, praevio consensu Episcopi, vel in manibus ipsius Episcopi, monito prius abbate generali.

V. Velum consecrationis nulli monialium detur, nisi ab Episcopo, idque virginibus quidem anno aetatis quadragesimo. Viduis vero, anno sexagesimo; nec nisi expletis saltem quinque annis post emissam professionem. Sic autem velatae reliquis non velatis, exceptâ abbatissâ, praecedant et veli formâ distinguantur.

De abbatissae electione.

VI. In electione abbatissae omniumque officialium, moniales professae, quae duos integros post professionem annos in monasterio egerunt, suffragia ferant coram abbate generali vel eius substituto et coram eo cui de iure competit. Et quoad aetatem eligendae, servetur dispositio iuris canonici: eaque debet esse, quae annos saltem quinque post emissam professionem in monasterio laudabiliter vixerit. Reliquae vero officiales, post exactum a professione biennium, omnium officiorum capaces sunt.

Quodlibet monialium officium triennium non excedat.

VII. Nulla abbatissa vel officialis ultra triennium in eâdem dignitate vel officio manere potest aut confirmari, nisi a dignitate vel officio per integrum triennium vacaverit, nisi necessitas ad petendam dispensationem a reverendissimo domino Patriarcha coëgerit: nullaque monialis succedere poterit in eodem officio alteri sorori germanae, neque in electionibus officialium, praeter duas sorores, tertia vel quarta suffragium habere potest.

VIII. Moniales omnes vitam communem

servent, omni vitio proprietatis penitus ablato. Curet proinde abbatissa, ut omnibus de necessario victu, vestitu, ceterisque aequaliter et sine ullâ distinctione provideatur.

Quoad spiritualia exercitia, ad eadem teneantur moniales, ad quae monachi.

IX. Quoad orationem vocalem et mentalem, et sacramenta confessionis et communionis, et quoad missam audiendam, rationem reddendae conscientiae, silentium, lectionem ad mensam, et ceteras regulas sive constitutiones, omnia observentur a monialibus, quae monachis praescripta sunt: debeant enim in choro temporibus suis horas canonicas cantare, abbatissâ seu vicariâ praesidente; orationi mentali per semihoram in die vacare; peccata sua sacerdoti designato semel quavis hebdomadâ confiteri; Eucharistiam diebus dominicis et festis suscipere; missam quotidie audire; feriâ sextâ et quartâ post vespertinum officium in cellam suam secedentes, manibus in crucis figuram extensis, psalmum *Miserere* quinquies recitare; non tamen abbatissae, sed sacerdoti confessario rationem conscientiae suae reddere, idque satis erit si semel in hebdomadâ fiat; silentium in ecclesiâ, in mensâ, et a completorio ad tertiam horam diei sequentis diligenter observare; in communi mensâ lectionem libri spiritualis recitare; omnes denique regulas et constitutiones observare, quae earum sexui et statui non repugnant.

X. Operi quoque manuum assuescant, quod nimirum monasterio et sororibus utile sit; officia autem pro monialium viribus abbatissa et sorores in electione officialium sic distribuant, ut quae nimium laboriosa sunt, ter vel quater in anno mutare possint et debeant; alioquin abbas generalis, si quae oriantur contentiones vel murmurationes inter sorores de gravaminibus officiorum, auctoritate suâ providere poterit, omniaque officia praeter abbatissae solius dignitatem mutare; abbatissam autem neque sorores omnes, neque abbas generalis ante expletum triennium deponere poterit absque Episcopi aut reverendissimi domini Patriarchae licentiâ.

De confessario.

XI. Confessarius monialium eligatur ab abbate generali, qui sit sacerdos gravis, bonae famae et provectae aetatis, nec audeat ingredi earum monasterium, nisi urgente necessitate, et ob gravem alicuius infirmitatem, et nunquam solus, sed cum socio, viro probo et maturae aetatis, qui ab eius latere non recedat, itaut semper alter ab altero videatur; nec ingrediatur, nisi cum stolâ super habitum monasticum, nec aliquam monialem visitet aut alloquatur, sed ab abbatissâ vel eius vicariâ, una cum duabus aliis monialibus, ducatur cum socio ad cellam eius, quae peccata sua confiteri vel sacramenta eucharistiae et extremae unctionis recipere debet. Reliqua sacramenta a proprio confessario recipiant in ecclesiâ monasterii; curandumque, ut inducatur receptus mos, ubi necdum inductus est, ut nimirum moniales ex patente ad hunc dumtaxat finem fenestrellâ communicent, quae, peractâ communione, claudenda erit, clavisque ab abbatissâ custodienda. Confiteantur autem per interpositas crates; horas vero canonicas ex choro decantent cratibus munito.

XII. Curabit abbas generalis, ut quovis triennio confessarius ordinarius mutetur et alter in eius locum succedat. Quolibet autem anno ipsis monialibus extraordinarius confessarius quater exhibeatur, qui omnium confessiones audire possit.

XIII. Nisi in monasterio sint, quae alias moniales legere, scribere et horas canonicas cantare, docere possint, ipse confessarius, extra ostium monasterii sedens, id praestare poterit, quatuor saltem monialibus praesentibus.

Quibus casibus ut de monasterio egrediantur permittendum.

XIV. Etsi curandum sit ut moniales extra septa monasterii nunquam egrediantur, quia tamen id ubique commode obtineri non potest, curent saltem ut ad possessiones monasterio contiguas, ad quas pro necessitatibus monasterii exire coguntur, nisi binae, ternae aut quaternae non procedant, nec ullum virum quovis praetextu ibi versari, vagari, aut illinc transire permittant; idque abbas generalis et confessarius ab ipso deputatus, qui in loco a monialibus prorsus separato et aliquantulum remoto domicilium cum socio habebit, apud Episcopum et reverendissimum dominum Patriarcham diligenter provideat. Si quid vero in dictis possessionibus aut etiam intra monasterium faciendum erit, quod operarum ministerium requirat, id praesente confessario cum socio et semotis monialibus fiat. Ad visitandas autem vicinas saecularium vel monachorum ecclesias vel quaslibet ecclesiasticas aut saeculares personas, e monasterio exire nullatenus permittantur, nisi parentes sint vel affines usque ad tertium gra-

dum, quos graviter decumbere contigerit; ad illos enim, si in vicinia habitent, accedere poterunt, modo tamen sint ternae vel quaternae, nec ibi prandeant, aut cenent, aut pernoctent.

De visitatione. xv. Semel in anno, per se ipsum vel per substitutum sacerdotem monachum, abbas generalis visitet monasterium monialium, et inquirat de observantiâ monasticâ deque ceteris quae ad moniales monasteriumque spectant. Caveat tamen, quoad fieri poterit, ingressum monasterii, idque nisi urgente causâ non fictâ; sique fecerit, unum vel duos socios secum testes adhibeat.

xvi. Nullus ex monachis, etiamsi hegumenus vel abbas fuerit, praeter eos qui ab abbate generali ad regimen spirituale monialium deputati sunt, poterit ad monasterium earum accedere, vel missam in earum ecclesiâ audire aut celebrare, vel illas alloqui aut ad eas scribere, sive litteras et munera ab iis accipere, sub poenâ gravis culpae; neque moniales possunt ad quemquam monachum, praeter abbatem generalem et confessarium actualem, litteras scribere aut ad colloquium admittere. Quaecumque in hoc deliquisse deprehensae fuerint, severe puniantur.

PARS TERTIA

Cap. I. — *De communi regulâ abbatum et superiorum.*

Superiorum officium. i. Cum abbatum, eorumque omnium qui ad regimen aliquod in nostro Ordine assumuntur, officium sit commune totius Ordinis bonum procurare, nec vires eorum ad tantum onus ferendum sufficere certum sit, in primis divinam opem ipsi implorare non desinant, idque potissimum facient cum necessitas occurrerit. Deinde noverint, se ad laborem et sollicitudinem magis, quam ad honorem assumptos esse, meminerintque se exemplo bonorum operum debere fratribus praeire. Communes itaque regulas ipsi accurate servent, et particularia in cibo, indumentis et aliarum rerum usu, quantum fieri potest, devitent.

ii. Calleant rationes officii sui, et ex frequenti constitutionum tam privatarum suarum quam communium, aliorumque officialium sibi subiectorum, lectione intelligant, non temere et pro suo arbitrio rem sibi agendam esse, sed ex praescripto regulae, constitutionum et receptarum consuetudinum regendum Ordinem fratresque gubernandos. Quare receptos mores et a superioribus vel decessoribus suis approbatos, servent ac servari faciant, nec mutare vel abrogare valeant, inconsultâ superiore potestate; ipsi vero nullos, nisi superiore approbante, introducant.

iii. Caveant, ne familiaritate atque indulgentiâ cum quibusdam alios offendant, aut occasionem offensionis quoquo modo in hac parte praebeant; neque alienum ab aliquo animum ostendant, sed erga omnes aequaliter et sine personarum acceptione se gerant.

iv. Dent operam, ut omnibus fratribus cum omni sollicitudine invigilent, eosdemque ab iis, quae nocere possint, domi et foris defendant, tum praeveniendo, tum etiam, si quid mali acciderit, remedium adhibendo, itaut in omnibus honori et famae tum fratrum singulorum tum Ordinis totius consulatur.

v. Efficiant ut secum vel cum aliis a se deputatis, de propriâ conscientiâ statis temporibus fratres tractatum habeant, nec spiritualium collationum consuetudinem negligant, sed crebro et magnâ cum caritatis significatione alloquantur subditos, eorumque necessitatibus non corporis tantum, sed multo etiam magis animae, paterno affectu prospiciant. Quem vero intelligent gravi aliquâ tentatione pulsari, eius peculiarem curam non solum per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios gerant; caveantque, ne remedium differendo, difficiliorem morbi curationem faciant.

vi. Quamvis in virtute obedientiae iubere possint, nonnisi rarissime et gravi urgente causâ id faciant.

vii. In correctionibus et poenitentiis iniungendis caveant iracundiae aut alterius pravae affectionis speciem; sed personarum dispositionem considerent, aedificationis universalis et particularis illarum rationem habentes. Nisi autem prudentia rebus particularibus adhibenda aliud dictaverit, in correctionibus procedendum erit hoc ordine, ut qui peccant, primo in caritate et dulcedine admoneantur; secundo in caritate quidem, sed eo tamen modo, ut eis confusio et robur iniiciatur; tertio, amori ea quae timorem incutiant, si opus erit, adiiciantur. De publicis vero defectibus publica debet esse poenitentia. De correctionibus et poenitentiis adhibendis.

viii. Sic regimini aliorum tum spirituali tum etiam temporali incumbant, ut nihil de virtutum exercitationibus, propriaeque salutis curâ remittant. Omnia igitur, quae ad religiosam perfectionem spectant, monachisque erga abbates et superiores exercenda praecipiuntur, ut puta reddendae conscientiae ratio, recessus a communi aliorum consortio per aliquot dies spiritualium meditationum causâ, et cetera huiusmodi; ea ab ipsis abbatibus et superioribus facienda intelliguntur.

Cap. II. — *De regimine et de ordine atque praeeminentiâ abbatum.*

i. Cum dudum, Dei favente gratiâ, ex plurium monasteriorum Ordinis sancti patris nostri Antonii unione Congregatio nostra in Domino coaluerit, cumque in omni bene constituto hominum coetu necesse sit esse aliquem, vel etiam plures, qui boni universalis curam gerant, praeter eos qui certis provinciis et particularibus monasteriis praesunt, eligendus est abbas generalis, qui hunc sibi finem constituat ut universa Congregatio monachorum bene gubernetur, conservetur et augeatur.

ii. Quare potestas abbatis generalis summa erit, et ad omnes et per omnia pro sacrorum canonum dispositione nostrarumque constitutionum praescripto extendatur.

Abbas generalis ad triennium instituendus.

iii. Is porro ad triennium instituendus est, quo expleto, nisi a congregatione generali ad alterum triennium confirmetur, officium continuo dimittat.

Eligendi quatuor hegumeni.

iv. In subsidium vero regiminis generali abbati, in eam quam diximus amplitudinem, commissi, eligendi erunt in congregatione generali quatuor hegumeni, quorum officium pariter ad triennium durabit, nisi ab eâdem congregatione generali ad alterum triennium confirmentur.

Abbates monasteriorum.

v. Singulis autem provinciis et monasteriis abbates praeficiantur, quorum potestas etiam expleto ut supra triennio cessabit:

Quolibet triennio generalis cogenda congregatio.

vi. Quamobrem quolibet triennio congregatio generalis cogenda est, ad quam vocandi ab abbate generali erunt, praeter quatuor hegumenos supramemoratos, omnium provinciarum et monasteriorum abbates atque officiales maiores et quotquot officio generalis, hegumeni et abbatis defuncti sunt, modo non fuerint ob aliquos defectus depositi.

vii. Huius generalis congregationis potestas in Ordine nostro suprema est, generalemque abbatem et hegumenos confirmare, atque etiam, si opus fuerit, deponere potest.

Congregatio hegumenorum.

viii. Congregatio hegumenorum singulis saltem semestribus ab abbate generali et quatuor hegumenis habeatur, eiusque potestas omnes et omnia contineat, salvis tamen generalis congregationis decretis.

Congregatio provinciae.

ix. Quolibet anno congregatio provinciae ab abbate eiusdem provinciae et reliquis abbatibus monasteriorum subiectorum (1), eiusque potestas in provinciâ summa est, salvis decretis abbatis generalis et congregationum supramemoratarum.

Congregatio monachorum.

x. Quolibet saltem mense congregatio monachorum ab abbate monasterii et sacerdotibus professis, quos abbas generalis ei consultores assignaverit, fiat, eiusque potestas in monasterio summa est, salvis decretis congregationum antedictarum, iisque omnibus, quae abbas generalis vel abbas provinciae ordinaverit.

xi. Praeeminentia abbatis generalis excedit omnes aliorum officialium gradus, itaut ceteris omnibus et loco et ordine praecedat. Post hunc, quatuor hegumeni pro suâ quisque electionis prioritate, si presbyteri omnes sint, vel dignitate, si quis eorum presbyter et alius non presbyter sit, primum in consessibus et suffragiis ferendis locum tenent; secundum (2) hegumenos vero abbates provinciarum, deinde abbates monasteriorum iuxta uniuscuiusque monasterii dignitatem; tum ii, qui officio abbatum vel hegumenorum defuncti sunt, eodem ordine, ut supra; demum monachi professi, servatâ inter eos sacerdotii dignitate et professionis prioritate.

xii. Si quando autem contigerit ut eligatur vicarius abbatum aut hegumenorum, is locum illius tenebit, cuius vicariam potestatem gerit, ut puta vicarius abbatis generalis primum locum ante omnes hegumenos; et sic de vicario hegumenorum et abbatum provinciarum atque monasteriorum. Reliquorum vero officiorum, ut secretarii congregationum antedictarum, socii abbatum vel hegumenorum, procuratoris generalis, aut provinciae sive mo-

(1) Supple *habeatur* vel *fiat*.

(2) Videtur deesse praeposit. *post*.

nasterii, et reliquorum, non alia ratio habebitur, quam prioritatatis sacerdotii et professionis.

CAP. III. — *De abbate generali.*

Abbas generalis a toto Ordine eligendus.

I. Abbas generalis, cum totius Ordinis curam habere debeat, a toto Ordine in congregatione generali eligendus erit. Is autem ex eorum numero esse debet, qui diu in Ordine et laudabiliter vixisse perspecti sunt; cui proinde nec desit eximia probitas, nec amor erga Ordinem, nec idonea doctrina, nec ad sustinendum tantum onus animi corporisque firmitas: qui demum nullum ex iis impedimentis habeat, quae infra cap. *De electionibus* recensentur.

Quae sit eius auctoritas.

II. Cum vero canonice electus et fuerit in suâ dignitate legitime confirmatus, omnimodam potestatem habet in Ordine nostro ad normam regulae et constitutionum.

Ad eius itaque auctoritatem pertinet:

Primo, praeesse toti Ordini, hegumenis, abbatibus et monachis omnibus, nisi quando in eâdem congregatione generali de ipsius causâ pertractandum sit, ut infra *de depositionibus abbatum* dicetur;

Secundo, in omni congregatione, etiam generali, suffragium abbatis generalis habet praerogativam praelationis et praecedentiae, ubi suffragia fuerint paria;

Tertio, per se vel per alium potest praesidere omnibus congregationibus, visitare omnia monasteria, et quemlibet monachum de provinciâ ad provinciam, vel de monasterio ad monasterium transferre, exceptis hegumenis et abbatibus, omnibusque officialibus, qui in congregatione generali aut hegumenorum instituti sunt, quos ab uno loco in alium transferre non poterit inconsultâ congregatione hegumenorum;

Quarto, per se vel per abbates provinciae aut monasteriorum ad habitum recipere potest qui ad institutum idonei videbuntur; potest etiam eosdem dimittere, si factâ probatione minus idonei reperti fuerint;

Quinto, ab omnibus abbatibus sive provinciarum sive monasteriorum, eorumque vicariis aut procuratoribus, ceterisque officialibus, potest rationes exigere, sibi vel aliis reddendas, de commisso illis officio aut regimine tum spirituali tum temporali;

Sexto, audire potest ac decidere causas omnium abbatum aut monachorum ad se appellantium a gravamine superiorum vel aequalium vel inferiorum;

Septimo, consultâ congregatione hegumenorum, recipere potest ad Ordinem omnes monachos fugitivos sive apostatas, et tam cum illis quam cum aliis monachis, qui contra regulam sive constitutiones quocumque modo peccaverint, misericorditer dispensare super poenitentiis, sive partem poenitentiae sive totam etiam remittendo, prout ad eorum salutem conducere in Domino iudicaverit; potest etiam poenitentias, quae ad satisfactionem quorumcumque defectuum convenire videbuntur, iniungere, habitâ ratione personarum et aliarum circumstantiarum, quarum consideratio eius caritati, cum prudentiâ coniunctae, committitur, ita ut rectitudinem et severitatem cum benignitate et mansuetudine misceat, et eo modo se gerendo, ut, etiam qui corripiuntur, hoc ipsum agnoscere faterique compellantur;

Octavo, potest locum et vocem his, qui amiserunt, restituere, et inhabiles habilitare ad officia et gradus, nisi commiserint tales culpas, aut defectus tales haberent, quorum dispensatio per constitutiones congregationi generali et hegumenorum, aut per sacros canones Episcopo vel reverendissimo domino Patriarchae reservetur;

Nono, potest congregationem generalem, etiam ante praescriptum tempus, convocare ex causâ rationabili, vel post exactum terminum differre in aliud tempus usque ad biennium vel triennium, consultis tamen hegumenis, et habitâ facultate a reverendissimo domino Patriarcha. Item dicendum de congregatione hegumenorum, quam ipse solus convocare potest, quoties de rebus agendum est illius auctoritatem exigentibus.

Facultas constituendi procuratorem.

Decimo, potest constituere et destituere, quando videbitur sibi expedire, procuratorem apud Sedem Apostolicam Romanam, et alterum apud sedem Antiochenam, qui causas Ordinis nostri nomine ipsius abbatis generalis pertractet;

De vicarii generalis electione et officio.

Undecimo, potest etiam et debet vicarium suum generalem nominare et eligere, qui ipsius e vivis erepti vel legitime impediti vices gerat, tum in regimine totius Ordinis, tum in congregatione hegumenorum, aut etiam generali, usque ad novi abbatis electionem: is autem vi-

carius semper debet esse primus ex quatuor hegumenis; cumque contigerit, abbatem generalem ut supra e vivis decedere aut legitime impediri, tunc hegumenis ipsis fas esto quintum hegumenum eligere, qui locum quarti tenebit, cum primus, ut dictum est, tamquam abbatis generalis vicarius habendus sit;

Facultates abbatis generalis circa rem monasteriorum.

Duodecimo, penes abbatem generalem est omnis facultas agendi quosvis contractus emptionis aut venditionis quorumlibet bonorum temporalium, tam mobilium quam immobilium, omnium monasteriorum in eorumdem utilitatem et bonum; item, nova si offerantur monasteria, acceptandi ex consilio hegumenorum et consensu Episcopi ac reverendissimi domini Patriarchae; alienare autem, aut omnino dissolvere monasteria non poterit, sed tantum ad tempus suspendere, constituto prius oeconomo, idque de consensu congregationis hegumenorum. De iis vero, quae Ordini nostro relinquuntur, si dominus certum monasterium aut determinatum pium opus non designaverit, poterit abbas generalis disponere, prout expedire ad communem Ordinis utilitatem iudicaverit;

Constitutiones interpretandi, dispensandi ab earum observantiâ.

Decimotertio, sicut ad abbatem generalem pertinet ut Ordinis constitutiones ubique servandas curet, ita ad eumdem spectat non modo easdem constitutiones interpretari, quando dubium aliquod occurrerit, sed etiam, ubi opus est, in iis quae accidunt, ex iustâ et legitimâ causâ cum aliquibus dispensare, regulae finem intuendo, qui alius non est quam maius Dei obsequium, et illorum, qui hoc institutum susceperunt, utilitas et profectus. Non est autem censendum, eum dispensare, nisi expressam constitutionum mentionem faciat in quibus dispensat. Non potest tamen constitutiones in congregatione generali iam approbatas omnino abrogare aut irritare;

Absolvendi monachos a censuris.

Decimoquarto, sicut potest abbas generalis nostri Ordinis monachos ex legitimâ causa vinculis censurarum ligare, ita plenam facultatem habet eosdem absolvendi ab omnibus censuris contractis post ingressum religionis, dummodo casus non sint reservati Episcopo aut reverendissimo domino Patriarchae, quorum notam apud se descriptam habebit, ut sciat limites suae potestatis tam quoad absolutionem a censuris, quam quoad dispensationem in irregularitate;

Reservandi sibi casus.

Decimoquinto, potest casus aliquos in toto Ordine sibi et abbatibus provinciarum aut monasteriorum reservare, a quibus deputati ad audiendas monachorum confessiones, nisi habitâ ab ipso aut abbatibus licentiâ, absolvere nequeant. Illos tamen debet in notâ expressos et in congregatione hegumenorum approbatos monachis significare;

Officia muniaque distribuendi.

Decimosexto, cum abbas generalis talenta hominibus nostri Ordinis donata cognoscere debeat, officia magistrorum, praedicatorum, confessariorum et alia huiusmodi per se distribuere potest, aut abbatibus provinciarum sive monasteriorum distribuenda committere. Ad hunc autem finem curet per abbates provinciarum et monasteriorum certior reddi de statu omnium monachorum bis saltem in anno: item de numero et qualitatibus monachorum. Etsi vero aliis inferioribus abbatibus suam facultatem communicet, poterit tamen approbare vel rescindere quod illi fecerint, et in omnibus quod videbitur constituere, et semper ei obedientiam ac reverentiam ab omnibus praestari oportebit;

Denique potest abbas generalis omnia et singula in toto ordine facere, quae abbates provinciarum et monasteriorum in suis provinciis et manasteriis; et insuper omnia illa quae ei per constitutiones reservantur.

Quid per eumdem praestandum.

III. Ut officio suo abbas generalis rite fungatur, debet:

Primo, statim atque electus sit, litteras ad omnia monasteria mittere, quibus monachos ad regulae constitutionumque observationem sedulo cohortetur.

Secundo, semel quolibet anno monasteria omnia, saltem viciniora, per se ipsum, remotiora vero per se vel per vicarium visitet, adiuncto ei uno ex monachis maxime idoneis, acceptoque prius ab illis iuramento de servandâ iustitiâ et secreto visitationis, quam postea subscriptione propriâ firmatam, sigilloque munitam, ad se transmittant vel personaliter accedentes exhibeant.

Tertio, habeat apud se omnia documenta quae ad ordinem spectant; catalogum itidem omnium monasteriorum cum suis redditibus et oneribus, et alterum personarum omnium quae in quovis monasterio versantur, ubi eorum nomina et qualitates scribantur, itaut omnia perspecta habeat, tuteque providere possit,

quae ad gloriam divinam pertinere iudicaverit.

Quarto, rescribere quidem ad abbatem, qui ordo tenendus sit in singulis negotiis rebusque dubiis in quovis monasterio, ad abbatem generalem spectat; sed executionem ordinariis officialibus demandabit. Intelligat itaque rebus universalibus sibi vacandum esse, quas solus ipse obire potest, ita tamen, ut de gravioribus particularibus certior fieri curet. Non solum autem ad res particulares, ut dictum est, ministris opus habet, sed etiam ad universales; quamobrem hegumenos frequenter consulat, eorumque congregationem in rebus magni momenti semper convocet. In eo vero monasterio, in quo residet, curabit habere apud se viros graves et instituti peritos, quibuscum conferre de rebus occurrentibus possit.

Quinto, a congregatione generali eligendum erit monasterium, in quo abbatis generalis et hegumenorum ordinaria sit residentia. Ab illo autem, nisi ex legitimâ causâ, abesse non poterit, nec residentiam in aliud monasterium transferre, inconsultâ congregatione hegumenorum. Nullius vero monasterii ordinarium regimen per seipsum exercebit abbas generalis, sed si contigerit ipsum in aliquo monasterio moram trahere quod abbate ordinario destitutum sit, illud per substitutum vicarium regere poterit usque ad novi abbatis electionem in congregatione hegumenorum vel generali faciendam. Et sicut ipse non debet abbates ordinarios a regimine monasteriorum impedire, aut in illo sese immiscere, ita abbates ordinarii debent reverentiam et obedientiam generali abbati in suis monasteriis commoranti exhibere, nihilque ipso inconsulto agere.

Sexto, ab omni fastu et pompâ abstineat, tam intra monasterii septâ quam extra, nec praeter unum aut duos socios secum habeat, cum e monasterio egreditur, nisi aliud necessitas suadeat.

Septimo, monachos in suis gravaminibus ad se recurrentes benigne excipiat et patienter audiat. Caveat tamen, ne inde ansam accipiant superiores contemnendi, sed potius curam omnem adhibeat, ut subditi superioribus amorem ac reverentiam exhibeant.

Octavo, si contingat aliquid a summo Pontifice sive a reverendissimo Patriarcha decerni circa monachos nostros, curet illud diligenter promulgari et observari. Utriusque etiam favorem et protectionem Ordini nostro conciliari studeat; quod idem praestet cum Episcopis locorum ordinariis, atque magistratibus laicis, in quorum ditione monasteria nostra sita sunt.

Cap. IV. — *De hegumenis.*

I. Hegumeni quatuor in congregatione generali eligendi sunt, qui abbatem generalem in gubernatione totius Ordinis adiuvent. **Hegumenorum quod sit officium.**

Ad hegumenorum vero auctoritatem pertinet:

Primo, ut in omni congregatione et extra congregationem primum locum post abbatem generalem teneant;

Secundo, in omnibus negotiis decidendis, ad suam et ad generalem congregationem devolutis, sententiam definitivam post abbatem generalem ferunt;

Tertio, unâ cum abbate generali omnes abbates tum provinciarum tum monasteriorum constituunt, et, si opus fuerit, destituunt, vel loco abbatum defunctorum alios substituunt: idem dicendum, si quis hegumenorum obierit; possunt enim eius loco alium eligere cum abbate generali;

Quarto, cum eodem abbate generali, aut eo e vivis erepto vel legitime impedito, soli possunt quintum hegumenum eligere, qui locum quarti teneat in eo casu, quo primus hegumenus, tamquam vicarius, abbate generali legitime impedito aut defuncto, toti Ordini praeesse debebit usque ad novi abbatis generalis electionem; quam, si expedire visum fuerit, possunt etiam differre, donec triennium expleatur, quo generalis congregatio convocanda erit. Sic etiam possunt vicarium hegumeni deputare, si contigerit illum ex legitimâ causâ ab officii sui executione impediri;

Quinto, possunt generalem congregationem convocare, quando abbas generalis in eos casus inciderit, ob quos de eius publica reprehensione, aut ab officii suspensione, aut etiam depositione agendum esset: modo tamen conveniant suffragia trium aliorum abbatum, quos in tali casu convocare debent, et tunc suffragia maiora praevalebunt;

Sexto, omnia et singula facere possunt, quae ipsis per constitutiones reservantur.

II. Curare debent hegumeni, ut cum abbate generali perfectam concordiam et

obedientiam servent; idque tum factis tum verbis ostendant, auctoritatem ipsius apud omnes non solum conservando, sed omnibus etiam, quibus poterunt, modis augendo. Ipsi vero inter se in sententiis ferendis consentiant, alterque alterum honore praeveniant. Si autem contigerit, aliquem eorum in congregatione singularis esse sententiae, nemo ab illo ullam aversionem habeat vel ostendat. Quae vero in congregatione proposita aut dicta sunt, nemo illorum revelet, aut aliis indicet, sub poenâ ad libitum congregationis hegumenorum. Quae demum definientur, ea per secretarium descripta, sigillisque abbatis generalis et uniuscuiusque hegumenorum, manusque eorum subscriptione firmata, cum opus esse iudicaverint, promulgabuntur. Exemplar autem eodem modo firmatum et subscriptum in archivio Ordinis conservabitur.

Eorum residentia.

III. Ordinaria hegumenorum residentia, quandocumque fieri potest, unâ cum abbate generali erit in monasterio per congregationem generalem deputando, a quo, inconsultâ congregatione hegumenorum, nemo illorum poterit abesse; neque ordinarium alicuius monasterii regimen exercere. Quod si contigerit quempiam eorum ex legitimâ causâ, in eâdem hegumenorum congregatione probandâ, ad monasterii regimen sive visitationem deputari, in quo officio ultra sex menses versari debeat, tunc vicarius ei ab eâdem hegumenorum congregatione substituendus erit, qui vices ipsius et auctoritatem gerat, ut scilicet numerus quatuor hegumenorum, abbati generali assistentium, nunquam minuatur.

Cap. V. — *De abbate provinciae.*

I. Abbas provinciae in congregatione hegumenorum eligatur ab abbate generali et a quatuor hegumenis, cuius auctoritas terminis suae provinciae includitur. Provinciae autem earumque abbatum residentia in congregatione generali designetur. Eiusdem congregationis arbitrio erit huiusmodi abbates instituere, ubi necessarii sunt, vel destituere, ubi illos supervacaneos esse iudicaverit.

Abbatis provinciae munus.

II. Singulis annis debet monasteria provinciae suae visitare per se ipsum, vel, si impedimentum legitimum occurrerit, per vicarium, ut supra de abbate generali dictum est. Et visitationis decreta, sigillo suo, manusque subscriptione firmata, ad abbatem generalem transmittere.

III. Bis quolibet anno ad eumdem abbatem generalem scribat de statu monasteriorum suae provinciae, deque numero et qualitate monachorum.

IV. Non potest esse abbas ordinarius illius monasterii, neque debet ingerere se in regimine immediato illius monasterii, ubi residet; sed illud liberum et absolutum proprio abbati relinquere, qui tamen in omnibus primum locum abbati provinciae deferat, nihilque magni momenti eo inconsulto suscipiat, et praecipienti pareat.

Quae sint eius facultates et quibus terminis circumscriptae.

V. Potest monachos de uno monasterio in aliud eiusdem suae provinciae ex causâ rationabili, prout in Domino expedire iudicaverit, pro residentiâ mittere vel transferre, etiam sine consensu abbatis utriusque monasterii, ita tamen ut de hac monachorum missione vel translatione litteras patentes suo sigillo manusque subscriptione munitas conficiat. Non potest autem monachos sibi subiectos ad monasteria diversae provinciae pro residentiâ mittere vel transferre, nisi de consensu abbatis generalis. Sed pro negotiis aut necessitatibus provinciae suae, vel alicuius monasterii sibi subiecti, potest monachos de suâ provinciâ ad aliam mittere cum litteris testimonialibus, in quibus causam significet, tempusque reversionis limitet.

VI. Monachos provinciae suae neque suspendere neque excommunicare potest, aut casum aliquem sibi in confessione reservare, sine abbatis generalis licentiâ; sed eos regere et iudicare debet ex praescripto regulae et constitutionum, in quibus dispensare nequit eodem abbate generali inconsulto.

Cap. VI. — *De abbate monasterii.*

I. Abbas monasterii eligitur in congregatione hegumenorum ab abbate generali et quatuor hegumenis, a quibus etiam non expleto triennio ob legitimam causam ab officio suspendi aut deponi poterit.

II. Antequam officio suo fungatur, litteras praefecturae ostendat monachis, easque in publico loco legi faciat. Et, si abbas provinciae in eodem monasterio versetur, illi eas praesentet, vel earum exemplar sigillo monasterii munitum ad illum mittat, si absens fuerit. Postquam vero litterae congregationis hegumenorum lectae fuerint, monachi omnes coram eo

genuflectant, eiusque tamquam abbatis benedictionem poscant. Ipse vero a praedecessore suo vel vicario eius monasterii sigillum et inventaria rerum omnium recipiat, praesente monasterii congregatione, et in cellam abbati destinatam secedat.

Abbatis monasterii munus.

III. Domestica ministeria statim distribuat, officiales eligens vel confirmans, quos in Domino idoneos iudicaverit (exceptis quibusdam, quorum electio ab abbatem generalem pertinet), et suas cuique regulas tradens. Ac primo vicarium suum constituat, deinde oeconomum seu procuratorem monasterii, mox alios officiales iuxta indigentiam et consuetudinem coenobii; eosque identidem visitet, et, prout in Domino visum fuerit convenire, vel in eisdem ministeriis detineat vel ab eis removeat: quod de reliquis officialibus intelligendum est, praeter vicarium et oeconomum; hos enim removere nequit, nisi ex consilio congregationis monachorum. Quia vero officia quaedam, ut bene fiant, experientiam requirunt, non facile mutari debebunt: et in hoc mutationis officialium negotio vitium inconstantiae omnino vitandum est.

IV. Non potest monachos de monasterio, cui praeest, in aliud transferre; sed, si necesse fuerit, consulat prius abbatem provinciae aut abbatem generalem. Pro negotiis vero monasterii sui potest monachum ad aliud monasterium mittere cum litteris testimonialibus congregationis monachorum, in quibus causam significet, et tempus reversionis definiat. Item non potest monachos monasterii sui suspendere vel excommunicare, vel casum aliquem in confessione sibi reservare, inconsulto abbate generali.

V. Semel saltem in anno visitet possessiones et bona monasterii, et quolibet mense ab oeconomo rationem accepti et expensi praesente vicario exigat, ut totius monasterii administrationis ratio ipsi constet, quam reddere debet unoquoque anno, semel quidem, abbati generali, bis autem, abbati provinciae. Ut vero nihil ex bonis monasterii depereat, debet infra sex menses suae praefecturae conficere inventarium authenticum omnium rerum, quae ad illud coenobium pertinent, tam mobilium quam immobilium: eiusque inventarii duo describantur exempla, quorum alterum maneat in archivio monasterii sub duabus clavibus in quo etiam reponantur omnes scripturae ad idem monasterium spectantes, alterum transmittatur ad abbatem provinciae vel ad abbatem generalem. Dictae autem claves sint altera penes ipsum abbatem aut eius vicarium, et altera apud oeconomum. Sub iisdem clavibus reponantur redditus monasterii, itaut inde ne possit extrahi et nihil magni momenti expendi sine abbatis seu vicarii et oeconomi notitiâ.

VI. Praeter congregationem monachorum, quae saltem unoquoque mense fieri debet, alternis hebdomadis cum suis consultoribus conveniat (nisi pro re natâ aliquid extraordinarie consultandum esset), deque occurrentibus negotiis cum illis agat, et quamquam, iis auditis, penes ipsum sit de singulis statuendi facultas, consultores tamen benigne audit, et praecipue eum, cui monitoris officium commissum est.

VII. Praecepta, edicta et litteras superiorum diligenter legat et exequatur. Habeatque librum in quo scribantur visitationes monasterii ab abbate generali aut provinciae factae et ordinationes illorum alicuius momenti: legat etiam eas, quas praedecessor suus adnotaverit; distinguat tamen perpetuas ab iis, quae ad tempus datae fuerunt. Institutum, quod in regimine monasterii tenere debet, cognoscat tum ex lectione regularum tam communium quam sui officii, et aliorum, qui sub eius curâ sunt, tum ex observatione consuetudinum receptarum et executione ordinationum superiorum, ac demum in rebus dubiis ex recursu ad superiores.

VIII. Sit sollicitus, ne vicarius, oeconomus et reliqui officiales suo desint officio. Item curet, ut ordo, pax, unio et conformitas servetur a monachis in cellâ, in choro, in refectorio, et ubicumque locorum. Quare per se ipsum vel per vicarium visitet chorum, officinas et monachorum cellas; portam monasterii claudi faciat horâ competenti, clavesque sibi vel vicario tradi: discursus et vagationes monachorum, et maxime iuniorum, compescat; iurgia et contentiones inter eos ortas componat, nec permittat in monasterio esse arma, vel instrumenta musica, aut libros vanos.

IX. Ordinarias tantum poenitentias delinquentibus imponere debet, quae in constitutionibus praescriptae sunt. Delegare autem poterit vicario ut eas ipse praescribat, vel legi in refectorio praecipiat.

x. In iis quae ad victum, vestitum, habitationem et alia necessaria pertinent, curet ut, quamvis sit in quo virtus et sui abnegatio probetur, non desit tamen quo sustentetur natura, habitâ ratione personarum secundum Deum. Aegrotorum habeatur cura magna tam in victus ratione quam in ceteris. Hospites tum saeculares tum religiosi benigne suscipiantur et pertractentur. Si cui particulari quidpiam ad potum vel cibum pertinens ab externo aliquo mittatur, id in communem usum accipiatur et dispensetur.

xi. Depositum pecuniae nullum prorsus admittat, aliarum vero rerum nonnisi cautissime; dummodo sine magnâ offensione id denegari non possit.

xii. Lites fugiendae, nec ullam, inconsulto abbate generali aut provinciae, vel, si absentes fuerint et urgeat necessitas, inconsultâ monachorum congregatione, intentet, aut intentatâ, respondeat.

xiii. Si faciendae sint expensae extraordinariae, vel fabrica magni momenti, vel monasterium aere alieno gravandum est, habitâ prius monachorum congregatione, eorum potiori parte annuente, rem ad abbatem generalem deferat.

xiv. Etsi proprium abbatis officium est monasterium sibi commissum diligenter gubernare, neque is propter aliud quidpiam huic muneri deesse debet, si quando tamen per officii sui occupationem licebit, concionari et confessiones audire poterit.

xv. Tam abbas quam omnes alii sacerdotes aliquando intra annum officium vel officia eorum, qui monasterio inserviunt, ad tempus aliquod obibunt ad exercitium religiosae humilitatis et mortificationis.

Cap. VII. — *De vicario.*

i. Vicarius eligitur ab abbate monasterii, eiusque officium tamdiu durat, quamdiu officium abbatis: nec ab eo removeri debet, nisi de consensu congregationis monachorum. Eius autem locus sit primus post abbatem, et post eos qui abbatis generalis vel hegumenorum officio functi sunt.

Vicarii munera.

ii. Munus praecipuum vicarii est abbatem iuvare in iis quae in genere vel in particulari ei commendabit; nec dispensandi aut mutandi aut quidquam faciendi, nisi ex eiusdem praescripto, facultatem habebit.

iii. Absente abbate omnia facere poterit, quae ipse abbas secundum regulam, constitutiones et consuetudines approbatas sui monasterii. Si vero aliquid extraordinarium acciderit, quod adeo urgeat ut commode abbas expectari nequeat, id expedire poterit vicarius, auditis consultoribus, statimque redeunti abbati referat. Praesente vero abbate, eâ tantum iurisdictione utetur, quae sibi fuerit commissa.

iv. Officiales visitet, quoties opus fuerit, observando quomodo suum quisque officium exequatur. Frequenter etiam adeat cellas et alia loca monasterii, ut domus munda sit, et omnia ubique decenter suis locis composita, ac praesertim in iis, quae ab externis videri solent. Noctibus singulis portas monasterii videat an bene clausae sint, et cellas monachorum visitet, ne quis extra cubiculum vagetur. Observet etiam crebro, num aliquid desit ex necessariis aut abundet monachis. Eorumque curam potissimum habeat, qui in corporis curâ minorem de se ipsis solicitudinem gerunt, rationemque de rebus omnibus monasterii, quas viderit aut executus fuerit, abbati, quoties opus fuerit, reddat et referat. Redigatque in memoriam, quae necessaria monasterio iudicabit, ut de emendis rebus ad victum et vestitum necessariis, et fratrum nimio aut exiguo labore, de sanitate et similibus.

v. Horis omnibus divinis nocturnis et diurnis atque sacrae liturgiae personaliter intersit, et observet an omnes adsint, et an die statuto ad confessionem et communionem accedant, aut missam celebrent. Item notet an constitutis horis in refectorio conveniant, aut e monasterio egrediantur, sive ad illud regrediantur, an e lecto surgant, aut cubitum eant. Defectus denique omnes, si quos in monasterio animadverterit, vel aliunde intellexerit, et quaecumque alia ad bonam gubernationem sibi occurrerint, abbati referat.

vi. Singulis hebdomadis disponat officia monasterii, tabulasque conficiat. Ministrorum chori et ecclesiae, horasque missarum inter sacerdotes distribuat; quam quidem tabulam, ab abbate approbatam, in loco patenti exponat, et in refectorio legendam curet. Ipse vero sibi hebdomadam tam in choro quam in missis canendis, sicut et reliquis fratribus, tribuat.

CAP. VIII. — *De oeconomo seu procuratore monasterii.*

Procuratoris officium.

I. Oeconomus sive procurator ab abbate monasterii constituitur: eiusque officium est res temporales monasterii curare et administrare, omniaque tempestive providere, quibus monachi indigent.

II. In primis igitur nosse debet bona omnia monasterii, tam mobilia quam immobilia, agros, vineas, prata, oliveta, greges ovium, et his similia: quorum inventarium penes se habebit, quaeque saepe cum socio visitare debebit, ne quid detrimenti ex ipsius negligentiâ capiant.

III. Proventus quoscumque monasterii et eleemosynas, quas ipsum abbas exigere iubebit, exigat et recipiat. Syngraphas vero solutionis, quando opus fuerit, ipse dabit subscriptas ab abbate, aut a se ex illius commissione. Utque id facilius assequatur, proventus omnes et tempora, quibus colligendi sunt, in peculiari libro scribat; et seorsim etiam quascumque res aut pecunias ex fructibus monasterii perceperit, addito a quibus et quando eae provenerint; eleemosynae autem alio in libro scribantur.

IV. Singulis mensibus dati et accepti rationem abbati reddat: debitaque et credita monasterii indicabit, quo ipse statum monasterii prorsus intelligat: nunquam vero oeconomus debita contrahat sine expressâ abbatis licentiâ. Vicissim singulis mensibus exigat rationem ab officialibus villarum, praediorum, pecorum et similium.

V. Pecunia, undecumque ea provenerit, si alicuius momenti fuerit, iudicio abbatis in arcâ reponatur ad id designatâ. Huius abbas clavem unam, et ipse oeconomus alteram diversam custodiat. In eâdem liber asservabitur, in quo scribetur pecuniae summa tam eius quae infertur, quam eius quae effertur. Si quando autem, cogente aliquâ necessitate, pecunia in arcam non inferretur, nihilominus accepti et expensi summa in eodem libro statim scribatur. Quotiescumque vero ex arcâ pecuniam accipiet, eius summam et diem in libro suarum rationum adscribat; in aliâ vero libri parte, expensi ratio constet.

VI. Diligenti curâ asservabit in archivio ad hoc designato instrumenta originalia, quibus constat de iure eorum quae a monasterio possidentur, chirographa, syngraphas, inventaria et alia huiusmodi; et archivii quidem clavem unam ipse habeat, abbas vero alteram diversam.

VII. Advertat, num ea quae a monasterio possidentur, reparatione indigeant, ut ad abbatem referat. Si quid autem vendendum videretur, eodem inconsulto ne faciat.

VIII. Curet, ut res omnes, praecipue diu duraturae, tempestive et quamopportune emantur, ne has non perinde bonas aut non aequo pretio cogatur comparare. Caveat etiam, ne, dum nimium pecuniae parcit, non bonas aut insalubres res emat. Videat autem num ea, quae empta sunt, illaesa conserventur; atque animadvertens aliqua non, ut oportet, conservari aut expendi, abbatem aut vicarium admoneat.

IX. Emptori pecunias ad quotidianos sumptus subministrabit, a quo singulis diebus expensarum exigat rationem ex codice; summam vero in librum suum ipse referet. Emptor vero, quid empturus sit, ab abbate seu eius vicario intelliget: resque emptas cellerario tradat, sive in cellario reponendas, sive coquo committendas.

X. Cum extraneis contra decentiam status monastici negotiari non praesumat.

XI. Curet ut saeculares, tam in monasterio quam in praediis eius servientes, honeste et christiane vivant: cogat, omnes in diebus festis et dominicis sacrae liturgiae et divinis officiis intersint, et in festis solemnioribus sacramenta confessionis et communionis frequentent; mercedem itidem debitam suo tempore iis persolvat; querelas eorum libenter audiat, casus vero nunquam sine abbate iudicet; neque eos insolitis poenis et oneribus aggravet, neque plus uni quam alteri eorum faveat. Quando vero aliquis eorum dimittendus sit, id faciat cum omni charitate, et cum plenâ eius satisfactione quoad debitum stipendium.

XII. Ita demum oeconomus rerum temporalium sollicitudinem gerat, ut a monasticae vitae perfectione animum non relaxet. Quare orationem, ieiunium, ceterasque religiosi instituti disciplinas, quoad fieri poterit, non secus atque reliqui monachi colere debebit: saeculares vero, quibuscum conversatur, verbo et exemplo aedificare studeat.

XIII. Sicut ad abbates monasteriorum pertinet res temporales sibi commissas per oeconomos curare, ita poterit abbas generalis, si id expedire cognoverit, con-

stituere oeconomum generalem, qui illum in conservandis bonis temporalibus totius Ordinis opportune adiuvet.

Cap. IX. — *De consultoribus.*

Tres sint consultores.

i. Abbas suos habeat consultores tres saltem monachos senes et in religiosâ perfectione exercitatos, quorum consilio et relatione adiutus, melius et facilius gubernare possit.

Quibus dotibus praediti.

ii. Qui huic muneri deputabuntur, sint amatores boni communis, illudque in omnibus consultationibus prae oculis habeant.

iii. Cum abbas illis auditis aliquid statuerit, iudicium suum illius iudicio submittent. Neque extra consultationem, aut quid statutum fuerit, sibi displicere, aut se in aliâ fuisse sententiâ significabunt; sed laudent potius abbatis consilium apud alios, atque tueantur. Quod si ob rei gravitatem ad abbatem generalem id esse deferendum iudicarent, re mature consideratâ et oratione praemissâ faciant.

iv. Si quid tamen in mentem venerit quod ad commune bonum vel alicuius personae particularis utilitatem pertineat, poterunt id abbati proponere.

v. Si quid circa victum, vestitum, labores et occupationes monachorum, aut circa gubernationem abbatis, moderandum, augendum vel mutandum censerent, illum praemissâ oratione admonendum curent, quod per admonitorem faciant.

vi. Si quis cum eis de difficultate aliquâ suâ aut perturbatione agat, ita eum suis monitis et consilio iuvare studeat, ut semper, quantum possint, existimationem abbatis tueantur.

vii. Ita suum munus exequantur, ut nullam gubernationis partem sibi assumant: atque ea submissione se gerant, ut ceteris obedientiae exemplum praebeant.

viii. Singuli consultores bis in anno ad abbatem generalem, aut provinciae, de statu monasterii, et si quid esset corrigendum aut mutandum eidem exponant, atque hae litterae, a seniore inter eos obsignatae, mittantur.

ix. In monasteriis frequentioribus poterit unus ex consultoribus designari ab ipso abbate, qui admonitoris nomen habebit: eiusque officium erit admonere abbatem de iis quae consultores ei dicenda iudicaverint. De aliis vero, quae sive ipsi in mentem venerint, sive ab aliis monachis suggerentur, non facile eum admonebit, sed de iis dumtaxat quae non levis momenti post orationem esse censuerit, sive ad officium abbatis pertinebunt; et quorum abbatem admonuerit, meminerit ea tacitus apud se servare.

Cap. X. — *De praedicatoribus.*

Ipsorum officium.

i. Eligantur ab abbate generali vel ab abbate provinciae in singulis monasteriis duo saltem graves et docti monachi, qui admittendos ad praedicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones, etiam ipsorum monachorum, ac magistros publicos, et promovendos ad quoscumque ordines, diligenter simul examinent, antequam probentur, et ad huiusmodi ministeria vel ordines admittantur.

ii. Qui ad praedicationis officium admissi sunt, debent primo sacram Scripturam semper prae manibus habere, legere, et, quoad fieri poterit, quotidie aliquid memoriae mandare. Legant etiam expositiones Patrum in utrumque Testamentum, vitas sanctorum, historiam ecclesiasticam, opera ascetica Patrum, conciones, homilias doctorum virorum, et alia similia, quibus evolvendis residuum temporis, quod ab officio divino aliisque spiritualibus et corporalibus exercitiis remanserit, impendant. Deinde nunquam sine praeparatione concionem faciant, sed illam prius scripturae commendent, et sedulo memoriae tradant.

iii. Extra monasterium nemini monachorum fas erit concionari aut docere, aut confessiones audire, sine expressâ Episcopi ordinarii licentiâ. Cum vero ad aliquod oppidum vocati fuerint, dabunt operam, ut primo Episcopi, chorepiscopi aut parochi benevolentiam sibi comparent, deinde caveant discursum per domos, sed in aedes alicuius pii et exemplaris ecclesiastici se recipiant, ibique paupertatem religiosam in cibo, potu et ceteris omnibus servent, modestiae et gravitati coniunctam.

iv. Media autem spiritualia, quibus iuxta nostrum institutum et abbatis beneplacitum uti poterunt, haec fere sunt: ministerium verbi Dei in praedicationibus privatisque exhortationibus et colloquiis; sacramentorum confessionis et eucharistiae administratio; exercitiorum spiritualium traditio; dissidentium reconciliatio; casuum conscientiae et sacrorum rituum ad ecclesiasticos privata explicatio; chri-

stianae doctrinae ad pueros aliosque rudes publica declaratio.

Cap. XI. — *De praefecto rerum spiritualium.*

i. In omnibus monasteriis designandus erit praefectus rerum spiritualium, cuius munus sit confessiones monachorum excipere, eorumque profectum in spiritu promovere.

ii. Cognitionem itaque instituti habeat et zelum boni progressus fratrum, quem procurare debet verbo et exemplo. Amabilem praeterea se eis exhibeat, ut ad eum omnes confugiant, confidenterque sua omnia detegant, et ab eo consolationem et auxilium sperent in Domino.

iii. Instruat monachos privatim secundum uniuscuiusque captum, praesertim ut puram intentionem divini servitii habeant, et familiaritatem cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis.

iv. Petat quem procedendi modum in orationem habeant, et an contra suos defectus examen particulare observent; et an contra inordinatos affectus propria remedia adhibeant, et in solidis virtutibus acquirendis, praesertim obedientiâ, amore Dei et proximi, quibus utantur mediis, et de poenitentiis et aliis pietatis exercitationibus.

v. Versatum eum oportet esse in lectione librorum spiritualium, et unicuique decernat tempus et modum cum fructu eos legendi.

vi. Peculiarem curam habeat consolandi afflictos et tepidos exhortandi, remedia pro cuiusque necessitate adhibendo, qualia sunt frequentius confessionis et eucharistiae sacramenta obire, plus temporis orationi impendere, plus aliquid poenitentiae assumere, libros aliquos spirituales legere, et similia. Praecipuam vero curam adhibeat circa monachos laicos, novos praesertim et infirmiores, ut quieti sint, et sorte Marthae contenti; dirigatque eos ubi opus fuerit. Praeter eos vero, quos satis instructos abbas iudicaverit, cum unoquoque agere de his ultra mensem non differat. Saepe vero consideret, quem fructum bonorum operum ex oratione et meditatione et ex reliquis rebus spiritualibus colligant, ut in dies magis in Domino proficiant.

vii. In his omnibus videat, ne ordo unicuique praescriptus impediatur, nisi cum abbas aliter iudicaverit.

viii. Curam habeat novitiorum, si qui in monasterio fuerint, nisi ab abbate aliunde prospectum, et erga eos observare studeat quae iuxta regulas magistri novitiorum observari commode poterunt.

ix. Confessiones monachorum audiet; et, si abbas iudicaverit, eidem alium vel alios adiungere poterit; non autem plures quam quatuor, et quidem in frequentioribus monasteriis tantum.

Cap. XII. — *De praefecto ecclesiae.*

i. Praefectus ecclesiae ab abbate constituitur, cuius officium est res ecclesiae et chori custodire et curare, ut divina officia suo tempore decenter ac debite fiant. Ipsius officium.

ii. In primis habebit inventarium rerum omnium ad ecclesiam et chorum spectantium, tam in libris quam in sacris vestibus et vasis, aliisque; cuius inventarii duo exempla erunt, alterum penes ipsum, alterum in archivio monasterii, in quo scripturae et instrumenta asservantur. Et quando novus ecclesiae praefectus instituitur, coram abbate et oeconomo rationem rerum omnium iuxta inventarium exiget a praedecessore.

iii. Librum etiam habeat dati et accepti pro ecclesiae expensis, ut rationem abbati unoquoque mense reddere possit.

iv. Eleemosynas quocumque modo obvenientes, et pecunias pro manutentione ecclesiae collectas, apud oeconomum deponat, ut in arcâ reponantur, cuius clavem unam habeat abbas, alteram ipse oeconomus. Quae vero pro missis celebrandis oblatae fuerint, diligenter describat in tabellâ sacristiae, ut missae dicantur secundum intentionem benefactorum; et notetur in libro, quo die et a quo sacerdote earumdem oneri fuerit satisfactum.

v. Satagat, ut necessaria ad divinum cultum non desint, ut altaria sint munda et bene praeparata, atque ut vasa sacra, ornamenta, libri et cetera omnia in suis locis apte reponantur et conserventur. Panni omnes linei semper mundi serventur et separatim corporalia et purificatoria laventur. Saepe etiam res pretiosiores visitet, ne aut laedantur aut amittantur: templi, paramentorum, librorum instaurationes curet, sicut ab abbate fuerit praescriptum. Nihil vero eorum extrahere e monasterio, aut cuipiam alteri ecclesiae vel monasterio, etiam nostrae Congregationis, commodare poterit sine congregationis monachorum licentiâ.

vi. Det operam, ut nullo modo lumen desit ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum, neque interdiu neque noctu, ubi illud asservari contigerit. Oleum sanctum, ut oportet, asservatum, singulis annis renovandum curet: et sanctorum reliquias in vasculo ad id deputato decenter custodiat. Si quando autem devotionis causâ ostendendae erunt, duo cerei accendantur.

vii. Curet, ut hostiae mundae sint, et in vase decenti repositae: item vinum, quod ad sacrificium paratur, sit bonum et merum, eoque ipso die haustum: similiter et aqua et ampullae sint mundae et thuribula identidem a fuligine extergat.

viii. Qualibet hebdomadâ catalogum conficiat, quo dies festi ac ieiuniorum proximae hebdomadae describantur, et horae missarum inter sacerdotes distribuantur: vices quoque hebdomadariorum ministrorumque tam in divinis officiis quam in missâ solemni celebranda notentur. Eum porro catalogum, ab abbate seu eius vicario approbatum, in loco patenti affigat, aut in refectorio recitandum curet in prandio sabbati. Det autem operam, ne plura simul sacra inchoëntur, sed commode omnia suis spatiis distinguantur: curamque gerat missarum perpetuarum, quae pro benefactoribus annuatim celebrandae sunt, easque referat in tabellam, quae appendenda erit in sacristiâ, ubi et in aliâ tabellâ notari debent casus superioribus reservati et indulgentiae, si quae sunt concessae.

ix. Ante missas et psalmodiam chori, signa ipse pulsabit: quod etiam faciet, cum primum quis ex fratribus vitâ functus fuerit, ut omnes eius animam commendent: lumina tam in choro quam in dormitorio fratrum accendet.

x. Per se vel per alium, ab abbate designatum, promovendos ad sacerdotium instrui curet, et videat an omnes observent statutas caeremonias. Si quem defectum animadverterit, ad abbatem referat, vel ipse emendet. Notet etiam qualibet die nomina sacerdotum celebrantium, ut id abbati aut vicario referat.

xi. Externos sacerdotes ad sacrum faciendum non admittat, nisi intelligat eos a legitimis superioribus habere facultatem; cuius testes Ordinarii litteras cum ii exhibuerint, humanissime illos excipiet, et distinctis etiam pro uniuscuiusque dignitate paramentis indui curet. Saeculares quoque ad ecclesiam nostram adventantes benigne tractet.

xii. Habeat sibi subiectum aedituum monachum, maxime in frequentioribus monasteriis, cui vices suas in rebus minoris momenti committet, dum ipse in gravioribus occupatur.

Cap. XIII. — *De praefecto bibliothecae.*

i. In maioribus monasteriis designandus erit monachus sacerdos, qui librorum curam habeat.

ii. Omnium itaque librorum monasterii catalogum describat; utque libri unius monasterii ab aliis distinguantur, in primo cuiusvis libri folio haec verba notet: *Hic liber est monasterii N. Ordinis Sancti Antonii Congregationis Montis Libani.* Ipsius munia.

iii. Nullum librum ex bibliothecâ cuipiam monachorum dabit sine abbatis licentiâ, neque externo cuiquam sine licentiâ congregationis monachorum; et advertat, ne quis librum, etiam cum licentiâ, se inscio accipiat. Fratres autem, quibus librum aliquem tradet, propriâ manu scribant in codice, quo die et quem librum acceperint; cumque illum restituerint, notam deleant, aut e regione restitutio eius notetur. Quod si externis librum ex licentiâ, ut supra, dederit, ipse bibliothecarius in codice notabit diem, personam et tempus, quo liber sit restituendus.

iv. Monachos ad bibliothecam non admittat sine licentiâ; multo minus externos.

v. Abbatem moneat, si quos libros pro monasterio necesse sit comparare. Nullum autem librum donare, vendere, alienare vel oppignorare poterit sine expressâ congregationis monachorum licentiâ.

vi. Curet ut bibliotheca munda sit et composita, quam semel in hebdomadâ verret, et ex libris pulverem excutiet. Caveat etiam, ne libri humiditate aut aliâ re laedantur.

vii. Semel in anno librorum rationem dabit abbati iuxta inventarium bibliothecae: quod et praestabit, cum alter in eius locum succedet.

Cap. XIV. — *De socio et sigillo abbatis generalis, hegumenorum et abbatis provinciae, atque coenobiarchae.*

i. Abbas generalis, hegumeni et abbates provinciae ac monasterii, deligant sibi

ex monachis professis socium, qui secretarii munus geret, ipsosque in litteris scribendis adiuvet, exeuntesque e monasterio comitetur.

ii. Unusquisque ex dictis abbatibus et hegumenis sigillum proprium habeat, quod in cellâ suâ diligenter custodiat, cum imagine, si fieri potest, Sancti Patris Antonii magni, aut emblemate Montis Libani, et cum inscriptione officii, quo unusquisque fungitur: videlicet sigillum abbatis generalis Ordinis Sancti Antonii Congregationis Montis Libani; sigillum primi vel secundi vel tertii vel quarti hegumeni Ordinis Sancti Antonii Congregationis Montis Libani; sigillum provinciae N. Ordinis Sancti Antonii Congregatinis Montis Libani; sigillum monasterii nostri Ordinis Sancti Antonii Congregationis Montis Libani; idque duplex fit, alterum maius, cuius usus erit in rebus magni momenti, et alterum minus, quo in rebus communibus utentur.

iii. Nullus monachus litteras suas alio sigillo firmabit, quam abbatis monasterii.

iv. Ad officium socii et secretarii electus, quaecumque audierit, legerit aut scripserit, debet profundo silentio celare: nec nisi urgente necessitate a communibus monasterii officiis vacare.

Cap. XV. — *De infirmario.*

Munia infirmarii.

i. In singulis monasteriis constituendus erit infirmarius, vir pius et patiens, qui curam habebit infirmorum; quorum aegritudo simul atque ei indicata fuerit, si censuerit rem esse alicuius momenti, abbatem aut vicarium admoneat.

ii. Studeat, ut, quae aegrotanti danda sunt, ea et opportune emantur, et bona sint et bene praeparata ministrentur.

iii. Curet, ut aegrotorum cubicula sint valde munda et lecti concinne sternantur.

iv. Aegrotum consolari et exhilarare studeat verbis spiritualibus et laetis. Habeat etiam libros, quorum lectione aegroti recreari et iuvari in spiritu possint.

v. Quaecumque aegrotantium usui necessaria esse iudicabit, habere curet et in loco convenienti custodire.

vi. A medico praescripta exacte servet, dies aegrotationis et horam febris advertat, tum ut medicum et superiorem admoneat, tum ut cibum tempestive praebeat.

vii. Si morbus sit contagiosus, supellex separari debet, ne cuiquam noceat.

viii. Convalescentes e lecto surgere non permittat priusquam id medicus concesserit.

ix. Patientiae et charitatis erga aegrotos meminerit; quare curabit, ne debita ministeria aegrotis desint.

x. Morbo ingravescente, abbatem moneat, ut aegrotus, antequam iudicii usu privetur, omnia sacramenta accipiat. Quod si aegrotus diu, licet sine periculo decumbat, curet ut octavo quoque die communicet, nisi aliqua ratio, iudicio abbatis, impediat.

xi. Instante mortis articulo, sive proximo periculo, abbatem admoneat ut orationibus omnium fratrum valde peculiaribus infirmum iuvari faciat; atque eo magis quo morti propinquiorem viderit, et ut morienti quo plures poterunt ex fratribus adsint, qui convenientibus illi articulo auxiliis moribundum iuvent. Et cum primum vitâ functus fuerit, praefectum ecclesiae seu aedituum admoneat, ut consuetum signum pulset.

xii. Provideat, ut mortuorum fratrum corpora ad sepulturam praeparentur, et ut spatio unius diei naturalis decenter super terram teneantur.

xiii. Non infirmis tantum prosit, ut dictum est, sed sanorum etiam curam gerat in iis quae ad sanitatem conservandam spectant. Quare eius munus est observare, num quis ex nimiâ fatigatione corporis aut spiritus plus aequo laboret, vel aliâ de causâ morbi periculo se exponat; et si in cibis, aëre, frigore, aut alia quapiam in re aliquid probabili ratione animadvertat, quod communi omnium vel alicuius saluti obesse possit, abbatem admoneat.

Cap. XVI. — *De ianitore.*

Ipsius enumerantur officia.

i. Monasterium perpetuo sit clausum, clavisque in portâ ne relinquatur, ac propterea ianitor ab abbate constituatur monachus mansuetus, humilis, patiens et sedulus, qui ianuae custodiendae semper assistat, eamque nemini monachorum aperiat, nisi socium et exeundi licentiam obtinuerit. Nullus autem e monasterio egrediatur, nisi cum socio, licentiâque petitâ ac impetratâ et benedictione acceptâ ab abbate seu eius vicario, aut in horum absentiâ ab antiquiore ex professis.

ii. Vocantibus et monasterii ianuam pulsantibus, cito adsit et respondeat; non tamen prius portam aperiat, quam per fe-

nestram videat qualitatem personae advenientis; quae si eius conditionis fuerit, ut paucis verbis expediatur, quin porta aperiatur, id faciat cum omni humanitate; si vero fuerit persona gravis aut religiosa, portam aperiat, interroget quid velit, ad locum honestum ad id destinatum intromittat, et sine morâ significet abbati.

III. Neminem monachorum sine facultate abbatis ad ianuam vocet, nec, nisi urgente necessitate, ianitor licentiam pro illo vocando ab abbate petat, aut abbas illam det, cum tempus est divini officii in choro, prandii, coenae, silentii aut congregationis. Nec facile idem abbas licentiam dabit introducendi saeculares in claustra monasterii, et multo minus in dormitorium fratrum, nisi sint magni viri aut praelati.

IV. Monasterii portas ante noctem claudat ianitor. Exinde vero eas nullius causâ aperiat inconsulto abbate; et antequam cubitum eat, claves eidem tradens, si quis foris maneat, illi renunciabit. Abbas vero aut vicarius quandoque de nocte eas observent.

V. Litteras omnes et schedulas et quaecumque alia domesticis mittuntur, abbati reddat ut ea videat; et ad eos ad quos diriguntur, si velit, transmittat. Caveat etiam ne alicuius domestici litteras, aut quid simile, externis det iniussu abbatis.

VI. Nihil custodiendum a quopiam externo recipiat, abbate inconsulto.

VII. Si pauperes ad ianuam eleemosynae causâ accedere contingat, cum iisdem benigne se habeat, et sedulo quaerat quid eis erogari possit iuxta abbatis arbitrium.

VIII. Mulieres, si quando ad ostium accedant, paucis verbis dimittat; aut si pluribus opus esse videretur, in ecclesiam, si extra monasterii claustrum sit, ad aedituum eas mittat, ubi ipsis responderi poterit, aut aedituum seu abbatem vocet, ut earum negotia expediant, prout res postulaverit.

IX. Si quis eleemosynam ad ianuam dabit, eam oeconomo statim tradet.

X. Loca portae vicina munda servet et, ut iuxta ianuam omnes submissâ voce loquantur, curet.

XI. Ut ianitor ad portam sollicitus assistere possit, primo post persolutas matutinas horas sacrificio intersit. Cum autem cibum sumit, aut in aliquo ministerio intra vel extra monasterium occupatur, alius ab abbate seu vicario ad custodiam portae destinetur.

Cap. XVII. — *De custode vestium.*

I. Servare debet omnem supellectilem sive lineam sive laneam, et quidquid ad indumenta et, ubi opus fuerit, etiam ad calceamenta attinet; quae diligenti curâ, ut res pauperum Christi, custodiet in loco ad id designato. Quid agere debeat.

II. Inventarium rerum, quas ipse custodit, si alicuius momenti sint, in libro habeat: et seorsim scribat quae de novo fiant, ut abbati sui muneris rationem reddere queat.

III. Vestes ordine dispositas servet, ne corrumpantur videat, et resarciendas etiam curet. Quas vero non amplius usui fratrum futuras iudicabit, eas abbati ostendat, ut ille de iis statuat.

IV. Quae singuli novitii ad monasteria attulerint, ea alicubi separatim asservet, donec professionem emittant.

V. Singulis mensibus cellas visitabit, ut ex abbatis arbitrio, si quid eis desit, suppleri possit. Si quid etiam superfluum invenerit, vestes duplices, instrumenta itineris, et similia, in vestiariâ officinâ custodiantur.

VI. Inspiciat etiam, quinam vestibus indigeant, ut abbati referat; eo vero inconsulto nihil cuipiam dabit.

VII. Linei panni lotori, sive externus ille sit sive domesticus, scripto numero dentur et accipiantur.

VIII. Tunicae singulorum, quae staturae induentium convenire debent, signis particularibus internoscantur, ne eas permisceri contingat.

IX. Sabbati vespere linea munda per omnes cellas distribuat; dominicâ vero die mane ex eisdem cellis immunda colligat, et an omnia, quae dederat, recipiat, animadvertat.

Cap. XVIII. — *De cellerario.*

I. Custodiendis in monasterii cellario victualibus abbate cellerarius deputetur vir sobrius et non prodigus; idemque curam habeat omnium eorum, quae ad cibum et potum spectant, singula in locis suis reposita et clausâ servans. Ad quid deputetur.

II. In rebus distribuendis iussum abbatis sequatur; et quamvis communiter aequalitatem inter omnes servare debet, ha-

beat tamen infirmorum, convalescentium, eorumque qui laboriosiora opera exercent, rationem, prout ei fuerit ab abbate praescriptum, sine cuius arbitrio neque ientaculum neque aliud quidpiam ulli concedet.

III. Antequam penitus absumantur victualia quae in monasterio reconduntur, abbatem admoneat, ut tempestive per oeconomum providere possit.

IV. Curet munditiem tam cellarii quam refectorii, eorumque omnium quae eius usibus serviunt, utque mensae rebus necessariis paratae sint, cum refectionis signum dabitur.

V. Catalogum habeat rerum, quae ad cellarium et ad refectorium pertinent; alterum etiam eorum, quae per hebdomadas aut menses debebit fratribus ministrare tam in cibo quam in potu; tertium denique eorum, qui mensae ministraturi sunt.

VI. Quae ex mensâ supersunt, colliget, atque coquo tradet, qui illa conservabit memor paupertatis, ut et domesticis et externis pauperibus usui esse possint iuxta praescriptum abbatis.

Cap. XIX. — *De coquo.*

Munditiem servet. I. In iis omnibus, quae ad suum munus pertinent, munditiem servet ipse, et ab aliis servandam curet, detque operam ut omnia recte et opportune parentur, ea praesertim quae ad aegrotos pertinent.

II. Semihorâ, aut saltem quartâ horae parte, antequam in mensâ sit sedendum, praeparati omnes cibi esse debent.

III. Circa qualitatem et quantitatem, ordinem ab abbate praescriptum sequatur.

IV. Coquere aut aliud quidpiam pro aliquo particulari parare, infirmario tantum excepto, neminem sinat, neque ipse faciet sine abbatis facultate.

V. Scriptum in codice habeat catalogum rerum, quarum est usus in coquinâ, quas ipse servare debet.

VI. Diligentiam in rebus, quas consumit, adhibebit, ne quid non necessarium insumatur contra paupertatem religiosam.

VII. Si quem adiutorem haberet, satagat, ut cum verbo et exemplo aedificet, praesertim novitios.

Cap. XX. — *De hebdomadario chori et mensae.*

Per turnum deputandi. I. Praefectus ecclesiae singulis hebdomadis duos catalogos faciet, quorum primo per turnum sacerdotum notetur hebdomadarius chori, altero per turnum monachorum omnium, qui legere norunt, notetur hebdomadarius mensae.

II. Officium hebdomadarii chori est divinum officium et missam cantare; officium autem hebdomadarii mensae est libros ad mensam legere: ab utroque officio eximitur abbas monasterii.

III. Hebdomadarius chori primus ingrediatur chorum, et ultimus inde exeat; curetque, ne in officio divino tam in choro quam ad altare errores aliquos admittat, sed antea praevideat omnia officia, orationes, lectiones et his similia; nec memoriae suae confidat, sed omnia ex codice, quoad fieri poterit, recitet. In dexterâ chori parte abbas eiusque vicarius praesidebit; in sinistrâ hebdomadarius, qui praesente abbate neque officium inchoabit, neque absolutionem dicet; eo autem absente totum officium inchoabit et terminabit, etiam praesente abbatis vicario.

IV. Hebdomadarius mensae libros pro lectione ante mensam apertos habeat; et quando legit, attendat in quo emendetur ab abbate aut vicario; et emendatus, assurgat cum humilitate, et repetat prout emendatus fuerit. Ad signum abbatis aut vicarii, finiet lectionem. Libri autem qui legentur sunt: Sacra Scriptura, vitae sanctorum, historia ecclesiastica et opera ascetica, quae ab abbate assignari debent, servato ordine, ut primum legantur aliquot versiculi ex Scripturâ, deinde succedat lectio ex vitis sanctorum, aut ex historiâ ecclesiasticâ, et concludatur lectione alicuius tractatus ascetici.

PARS QUARTA

Cap. I. — *De congregatione generali.*

I. Congregatio generalis de triennio in triennium celebretur, nisi forte ob aliquam urgentem necessitatem esset anticipandum tempus, aut prorogandum ex decreto congregationis hegumenorum, quod debet opportune toti Ordini significari. Casus autem, ob quos congregatio generalis prorogari vel anticipari potest, sunt: primo, mors abbatis generalis, aut eius ad altiorem dignitatem promotio, aut quando de eiusdem depositione, suspensione, vel publicâ reprehensione agendum sit, ut dictum est supra, part. III., cap. IV., num. II. Deinde, publica rerum regionumque per- Congregatio generalis quolibet celebranda triennio.

turbatio ob pestem vel bellum, aut propter persecutionem infidelium vel haereticorum et schismaticorum, aut communem totius Ordinis vel principalium potiorumque monasteriorum necessitatem, quae iudicio congregationis hegumenorum urgens visa fuerit; in quo nihilominus casu significandum id erit abbatibus monasteriorum.

Mortuo abbate ad hegumenos spectat congreg. generalis indictio.

II. Penes abbatem generalem est congregationem indicere, eique praesidere usque ad successoris electionem. Si vero ipse mortuus fuerit, aut promotus, aut de ipsius causâ consultandum sit, tunc ad hegumenos spectabit illam indicere, eique praesidere usque ad novi abbatis generalis electionem, aut veteris probatam innocentiam, servatâ semper vicarii generalis inter hegumenos praeeminentiâ, ut dictum est alibi. Vivente tamen abbate generali, etiam quando de ipsius causâ agendum est, in litteris, in quibus ab hegumenis congregatio indicetur, nomen eiusdem abbatis praeponatur nominibus hegumenorum.

De indictione congreg. generalis.

III. Duobus saltem mensibus ante diem, quo celebranda erit congregatio, indicatur per encyclicas epistolas ab abbate generali et hegumenis subscriptas et ad omnia nostri Ordinis monasteria missas. Si quod vero monasterium longius distet, tot mensibus ante indicenda erit, quot sufficere videbuntur iudicio hegumenorum. Dies autem congregationi celebrandae destinari solita, est decima novembris, qua Ordinis nostri Congregatio instituta fuit.

Qui sint vocandi ad congregationem.

IV. Ad congregationem generalem vocandi erunt, eique interesse et in eâ vocem habere poterunt, praeter abbatem generalem et quatuor hegumenos eorumque vicarios (si qui antea electi fuerant), abbates omnes tam provinciarum quam monasteriorum, et cum unoquoque abbate socius a congregatione monachorum illius monasterii electus: quotquot praeterea officio abbatis generalis vel hegumenorum functi sunt, modo non fuerint ob defectus aliquos depositi: iis autem unumquodque monasterium de necessario viatico providebit tam in eundo quam in redeundo: ob quem finem a primoribus tum ecclesiasticis tum saecularibus illius provinciae abbates eleemosynam colligant et eam secum deferant.

Legitime impediti alium suâ vice mittent.

V. Si quis abbas vel officio abbatis generalis aut hegumeni defunctus, ob legitimum impedimentum, a congregatione monachorum probandum, per se ipsum adesse nequiverit, mittat monachum idoneum, qui vices suas in congregatione generali suppleat, habeatque locum in congregatione tamquam absentis procurator. Qui vero propter contumaciam vel inanes causas adesse neglexerit, cognitâ et declaratâ eius causâ in congregatione generali, excommunicetur, et monachi ab eius obedientiâ absolvantur: socii autem abbatum, qui in congregatione monachorum electi fuerint, neminem possunt sibi substituere, nec suae electioni renunciare.

Qui vocem in congreg. habere nequeant.

VI. Nemo in congregatione generali vocem habeat, nisi sex annos in Ordine compleverit, inchoando ab annis probationis, et nisi triginta annos aetatis saltem inchoatos habeat. Item nemo in monasterium, ad celebrandam congregationem destinatum, intret nisi tribus diebus antequam inchoanda sit congregatio, exceptis iis qui ex longinquâ regione per mare veniunt. Qui ad congregationem venerint sine licentiâ, per totum tempus, quo congregatio durabit, detineantur in loco poenitentiae: congregatione autem terminatâ, decernat de eis congregatio hegumenorum. Si quis vero querelas habeat ad congregationem deferendas, mittat eas cum abbate vel eius socio, propriâ manu subscriptas.

Quae ab abbatibus afferenda sint.

VII. Unusquisque abbas ad congregationem veniens, aut vicarium suum mittens, debet afferre secum vel cum vicario mittere: I. Sigillum monasterii; II. Catalogum, in quo descriptus sit numerus monachorum vivorum et quot defuncti sunt post ultimam congregationem et quot recepti; III. Rationem dati et accepti toto regiminis sui tempore. Socius vero abbatis debet secum afferre: I. Litteras monachorum de suâ deputatione; II. Querelas eorumdem, si quae erunt.

De oeconomo congreg. generalis.

VIII. Abbas generalis, vel, eo absente, hegumeni, opportuno tempore provideant de rebus ad celebrandam congregationem necessariis. Quare I. Abbatem monasterii, in quo congregatio celebranda est, vel, eo absente, monachum alium, constituant, qui oeconomi congregationis generalis nomen gerat; curetque, ut locus congregationi opportunus praeparetur, utque adsint victualia lecti et quaecumque ad receptionem monachorum hospitum necessaria sunt; II. Deputent duos saltem confessarios cum facultatibus opportunis, necnon unum scribam congregationis, qui

suffragia notabit et litteras ad congregationem directas coram omnibus leget; unum praeterea aedituum, qui curam habebit sacelli, ubi congregatio fiet, et unum ianitorem, qui portas congregationis observabit. Hi vero omnes, praeter abbatem supradictum, idest, confessarii, scriba, aedituus et ianitor, debent esse ex eorum numero, qui suffragia non habent in congregatione. Reliqua autem coenobii ministeria tam in ecclesiâ quam in choro et refectorio per eiusdem coenobii monachos diligenter obeantur, ne congregationis praetextu quidquam ex regulari disciplinâ omittatur.

De suffragiorum cognitoribus.

IX. Cum dies assignata advenerit, non obstante cuiuscumque absentiâ, congregatio incipiatur. Cognitores autem suffragiorum sunt: I. Abbas generalis; II. Quatuor hegumeni; III. Duo ex monachis Congregationis a communitate vocalium electi, in quorum tamen electione neque abbas generalis neque hegumeni vocem habebunt.

De tempore durationis congregationis generalis.

X. Congregatio generalis per septem dies durabit. Singulis autem diebus, post cantata divina officia et celebratam sacram liturgiam, scrutinium fiet, cui praemittitur sermo paraeneticus ab abbate generali, aut alio quopiam, ad conventum monachorum per semihoram.

Quid eo agendum sit tempore.

XI. In primo triduo, Ordinis statum examinent, seduloque explorent, si quid supplendum aut resecandum sit. Singulisque permittitur, quodcumque apud se statuerint suggerere abbati generali aut hegumenis, qui monachorum suggestiones in commentarium relatas coram congregatione recitabunt. Interim hegumeni iussu abbatis generalis a monasteriorum abbatibus statum et rationes exigant singulorum monasteriorum, easque in tabularium totius Ordinis referendas, eidem generali abbati exhibeant. Quartâ die proceditur ad electionem abbatis generalis et hegumenorum, ut infra; si autem non ob electionem superiorum, sed ob aliam causam coacta fuerit congregatio, de illâ tractabitur. Tribus postremis diebus monachorum causae finiantur, eorumque postulatis satisfiat, et si quid contra regulam, constitutiones, vel consuetudines Ordinis peccatum est, corrigatur.

XII. Septimo die, postquam congregatio terminata est, dato signo a generali abbate, aperiatur porta, itaut etiam non vocales adesse possint et audire. Tum a scribâ congregationis legatur: I. Tabula novorum officialium, a totâ congregatione sive ab abbate generali et hegumenis electorum, necnon monachorum ad monasteria, quae idem abbas generalis designaverit, mittendorum; II. Constitutiones, si quae fuerint a congregatione sancitae; III. Recitentur nomina monachorum omnium ab ultimâ congregatione defunctorum, ut pro iis omnibus una missa solemnis celebretur; IV. Recenseantur etiam nomina insigniorum benefactorum, simulque omnes moneantur, ut pro iis sacerdotes quidem unam missam celebrent, laici vero dicant quinquaginta *Pater noster* et *Ave Maria;* V. Abbas generalis faciat absolutionem generalem, et sic congregationem dimittat.

XIII. Dimissâ congregatione generali, unâ cum hegumenis faciat congregationem hegumenorum; et primo quidem eligantur abbates provinciarum et monasteriorum, singulisque patentes litterae tradantur, ut ad officia sua abeant.

XIV. Forma litterarum congregationis monachorum, cum mittunt ad congregationem generalem, unâ cum abbate monasterii seu provinciae, socium ab ipsis electum:

Reverendissimi patres, notum facimus vobis, congregationem nostram habitam in monasterio N., die N., mense N., anno N., communi consilio elegisse reverendissimum patrem N., ut, nomine totius monasterii vel provinciae, unâ cum nostro abbate ad congregationem generalem accedat. Quocirca tradimus ei potestatem agendi pro nobis in congregatione generali omnia et singula, quae facere possemus si praesentes essemus, ratum gratumque habituri quidquid in eâdem congregatione factum fuerit. Datum in monasterio N., anno N., mense N. Sigilum ✝ monasterii. Et subscribent omnes iuxta ordinem suum.

XV. Forma litterarum abbatis provinciae vel monasterii, cum mittit vicarium vel procuratorem ad congregationem generalem:

Reverendissimi patres, notum facio vobis, me, ob causam N. impeditum, elegisse reverendum patrem N., ut tamquam meus vicarius et procurator ad congregationem generalem accedat, eique sigillum et rationes officii mei tradidisse, necnon facultatem in congregatione generali omnia et singula agendi, quae ego facere possem

si praesens essem, ratum gratumque habiturus quidquid in eâdem congregatione factum fuerit. Datum in monasterio N., anno N., mense N., die N. Sigillum ✝ officii. *N. abbas provinciae vel monasterii N.*

Cap. II. — *De electione abbatis generalis, et hegumenorum.*

I. Ante electionem legantur constitutiones de requisitis eligendorum, deque eorum officio.

Requisita, ut quis in abbatem generalem aut hegumen. eligi queat.

II. Nemo potest in abbatem generalem aut hegumenum eligi, nisi compleverit annum aetatis trigesimum, et annum in nostro Ordine octavum quidem abbas generalis, sextum vero hegumenus.

Forma electionis.

III. Electio nullo modo fiat per absentium, sed praesentium dumtaxat suffragia; eaque secreta sint, non publicatis eligentium nominibus.

IV. In loco pro electione deputato, aedituus aram maximam, ubi venerabile Eucharistiae sacramentum in ciborio conditum prostabit, solemniori, quam in primo triduo congregationis, ritu instruat. Super altari ante ciborium alta crux collocetur, sex hinc inde accensis candelis. A dextris crucis evangeliorum codex pretioso velo coopertus; a sinistris vero imago sive reliquiae sancti patris nostri Antonii, et codex regulae cum constitutionibus; infra altare ad latus dexterum ponatur mensa, iuxta quam assidebit scriba seu secretarius, qui, datâ servandi secreti fide, solus ex patribus non vocalibus in congregationem introducetur: super mensam vas seu arcula collocetur, in quam ab electoribus schedulae mittendae erunt: sic autem fabricetur, ut demissae e superiori orificio schedulae dilabi aut extrahi nequeant, donec, functione peractâ, legitime a cognitoribus suffragiorum referetur: alterum praeterea vas intra cancellos altaris praeparetur aquâ oppletum, in quod schedulae praedictae statim proiiciantur.

V. Habeatur sermo paraeneticus ad electores per semihoram de eligendo digniori abbate generali, dignioribusque hegumenis: deque votorum renovatione praemittendâ ab omnibus.

VI. Absolutâ paraenesi, abbas generalis, et quatuor hegumeni hinc inde ad dexteram laevamque ipsius, ante portem mediam in genua procident: et post (1) hos, provinciarum monasteriorumque abbates: deinde reliqui monachi secundum antiquitatem propriae professionis: postremo scriba, seu secretarius et aedituus, et ad portam ianitor.

VII. Sequatur votorum renovatio, abbate generali et hegumenis praeeuntibus, deinde reliquis simul prosequentibus, de verbo ad verbum et cum pausâ, ut supra, part. II., cap. XI.

VIII. Abbas generalis, absolutâ votorum renovatione, B. Virginis Mariae litanias cum cantu inchoabit: quibus finitis, fratres admoneat, ut praemisso contritionis actu intentionem pariter rectam habere studeant, simulque omnes dominicam orationem recitent, et SS. Trinitatis opem, necnon Deiparae et sancti Antonii intercessionem implorent: mox assurgit ipse, et fratribus in genua adhuc provolutis generalem absolutionem pronunciat: post universi e templo egressi, ad ferenda suffragia accedant, si alibi electio facienda est; si vero in eodem templo, aedituo foras egresso, porta clauditur, quam ianitor ab exteriori parte observabit.

IX. Antequam ad novi abbatis generalis electionem procedatur, debet is, cuius officium expirat, sigillum et officium in manibus hegumenorum resignare ac deponere, in haec verba:

De resignatione officiorum.

Reverendi patres, in manibus vestris resigno ac depono officium abbatis generalis, quod mihi indigno congregatio generalis commisit; simulque veniam peto de omnibus culpis a me in eo commissis.

Hoc idem facere debet unusquisque hegumenus coram electo abbate generali, cum ad successoris sui electionem procedendum est, dicens:

Reverendissime pater, in manibus vestris resigno ac depono officium hegumeni, quod mihi indigno commissum est, simulque veniam peto de omnibus culpis a me in eo commissis.

Factâ tamen resignatione, in suo loco et ordine tamdiu stabit, donec successor declaretur.

Si per obitum aut promotionem abbatis generalis, aut aliquod legitimum eius impedimentum, electus fuerit vicarius generalis, hic etiam ante electionem novi abbatis generalis resignabit officium in haec verba:

---

(1) Male edit. Main. legit *pone* pro *post*.

Reverendi patres, in manibus vestris resigno et depono officium vicarii generalis, quod mihi indigno commissum est, etc. Idem dicendum de vicario hegumeni.

Suffragiorum ordo.

x. Suffragiorum ordo est: primus abbas generalis, ad mensam accedens, suum suffragium in schedulâ scribat, nomine tantum electi expresso, hoc modo: *Eligo reverendum patrem N. in abbatem generalem nostri ordinis.* Tum schedulam propriis manibus complicet, atque in praeparatam arcam iniiciat. Sequantur ordinatim singuli hegumeni; postea abbates provinciarum et monasteriorum; postremo reliqui patres vocales, habitâ semper ratione antiquitatis professionis.

Si quis patrum indigeat operâ scribae, hic suggestum ab illo nomen scribat in schedulâ, eamque plicatam ipsi reddat, in praedictam arcam ab eodem propriâ manu statim demittendam.

xi. Post lata suffragia, in locum suum unusquisque regrediatur; loca autem extra cancellos altaris disposita erunt. Tum vero abbas generalis solus cum quatuor hegumenis et duobus a patrum coetu ad cognoscenda suffragia electis sanctuarium ingressus, schedulas ex arcâ extrahat, mox numeret, et si patrum numerum superent, aut minime aequent, electio non constabit, nec aperiendae erunt schedulae, sed continuo in vas aquâ oppletum immittantur et nova electio fiat. Si vero suffragiorum numerus bene constet, tunc abbas generalis singulas schedulas coram hegumenis et duobus suffragiorum cognitoribus aperiat, nomenque electi altiori voce pronunciet, ut monachi in templo stantes audiant, et illud a secretario in chartâ notetur.

De scrutinio.

xii. Si pars suffragiorum supra dimidium vocalium maior convenire in electione reperiatur, ea censetur facta; sin autem in duas personas suffragia dividantur, his a ferendo suffragio exclusis, iteretur scrutinium. Si rursus aequalis pro utroque suffragiorum numerus constiterit, praeferendus prior tempore professionis; sin autem professionis tempore aequales fuerint, aetas attendenda et senior iuniori praeeligatur.

xiii. Si vero suffragia in diversas personas distrahantur, itaut in neminem maior congregationis pars conveniat, secundo ac tertio scrutinium repetatur. Quod si etiam tunc nemo habeat maiorem suffragiorum partem, contingat autem duos vel tres habere plura suffragia, itaut singuli quartam saltem partem suffragiorum obtineant, per abbatem generalem promulgentur his verbis:

Reverendus pater N. N. et reverendus pater N. N. habent plura suffragia quam reliqui; ex his igitur potestis unum eligere in abbatem generalem totius ordinis.

Tum, illis qui (1) nominati sunt exclusis, vocales reliqui ad electionem modo supradicto procedant, unum ex nominatis eligentes, in quem maior pars suffragiorum convenerit.

Publicatio electi.

xiv. Finito scrutinio, electus abbas generalis promulgetur a suo praedecessore, vel, si ipse in officio confirmatus fuerit, a primo hegumenorum, his verbis:

Reverendi patres. Factâ suffragiorum collatione, invenimus maiorem partem congregationis nostrae convenire in electione reverendi patris N. N. Ideo nomine totius congregationis nostrae, et potestate per vos omnes mihi concessâ, pronuncio et declaro reverendum patrem N. N. electum fuisse, et esse nostrum omnium totiusque Ordinis nostri abbatem generalem.

xv. Factâ electionis proclamatione, primus hegumenus aut dignior inter vocales intonat psalmum xix. reliquis alternatim prosequentibus, *Exaudiat te Dominus in die tribulationis; protegat te nomen Dei Iacob,* etc.

Interea hegumeni ducunt electum ad sedem, ad cornu sinistrum altaris paratam, qui osculatur primum altare, deinde sedet. Tum a digniori traditur ei liber regulae et constitutionum, ac sigillum officii; qui, retinens sigillum, tradit uni ex vocalibus, ut legat, caput iii. partis iii., quod est de praeeminentiâ et officio abbatis generalis. Interim fratres singuli, iuxta ordinem suum, ad eum accedentes, genibus flexis manus eius osculantur. Ipse vero tamdiu in loco suo sedebit, donec hegumeni quatuor eligantur, nec e sede suâ recedit, nisi cum suffragium proprium scripturus est et in arcam missurus, et suffragia monachorum, ut supra, cogniturus, electumque proclamaturus; quo statim proclamato, ad sedem suam redibit.

xvi. Si electus absens fuerit, postquam proclamata est illius electio, cantatur psalmum xix., ut supra; quo finito, statim

(1) Edit. Main. notat: videtur deesse *non*, vero fallitur.

proceditur ad electionem hegumenorum, quorum primus vices abbatis generalis geret, donec abbas ipse generalis aderit. Quod si adesse possit, antequam congregatio generalis absolvatur, tunc enthronismus eius modo supradicto fiat.

XVII. Neque abbati generali neque hegumenis fas est electionem suam recusare, aut officium abdicare. Si vero contigerit eos ex legitimâ causâ ab officii executione impediri, in congregatione hegumenorum potest vicarius eis substitui, ut dictum est part. III., cap. IV.

De sequentibus electionem.

XVIII. Absolutâ abbatis generalis electione, continuo ad electionem quatuor hegumenorum iuxta praedictum ordinem procedent, etiamsi electus generalis absens fuerit.

Primum hegumenus in manibus abbatis generalis, vel, eo absente, in manibus dignioris ex vocalibus resignet sigillum et officium, ut supra; mox suffragia feruntur, et si duo vel tres plura suffragia habere reperiuntur, itaut quartam saltem partem singuli obtineant, abbas generalis, recens electus, vel, eo absente, dignior ex vocalibus (exclusis iis qui nominantur) dicat ad coetum monachorum:

Reverendi patres, N. N. et N. N. habent plura suffragia quam reliqui; ex his igitur potestis eligere unum in hegumenum.

Finito scrutinio, electus hegumenus promulgatur ab abbate generali, aut, eo absente, a digniori ex vocalibus, in haec verba:

Reverendi patres. Factâ suffragiorum collatione, invenimus maiorem partem congregationis nostrae convenire in electione reverendi patris N. Ideo nomine totius congregationis nostrae et potestate a vobis mihi concessâ, pronuncio et declaro reverendum patrem N. electum fuisse et esse hegumenum.

Addat in fine *primum, secundum, tertium* vel *quartum*, iuxta uniuscuiusque hegumeni locum.

Hegumenus electus abbati generali genuflectat, eiusque manum deosculatus, ad dexteram ipsius vel sinistram iuxta ordinem suum stabit. Abbas vero generalis illum ad osculum admittet, eique sigillum officii tradet. Tum fratres iuxta ordinem suum, factâ prius altari, deinde abbati generali et hegumenis antea electis, aut in officio confirmatis, reverentiâ, coram hegumeno recens electo genuflectentes, manum eius osculantur. Hegumeni vero antea, ut supra, electi, collegam suum post ipsos electum ad pacis osculum admittant; si hegumenus sacerdos non fuerit, solâ pacis apprecatione, omissâ genuflexione, honorabitur.

XIX. Penes congregationem generalem est abbatem generalem confirmare, vel novum eligere: hegumenorum pariter potestatem prorogare aut abrogare, sive quosdam confirmare, et alios de novo eligere. Nam, omnes simul eodemque tempore mutare, minus expedire videtur, ut nimirum novus hegumenus a veterano rudimenta novi officii capiat. Si vero, attentis circumstantiis, secus agendum electoribus in Domino visum fuerit, ad omnium etiam hegumenorum depositionem tuto procedent.

XX. Secretarius congregationis, tam generalis abbatis, quam hegumenorum, electionem in acta referat, quae, subscriptionibus omnium vocalium firmata, in archivio asserventur.

Acta in archivio observanda.

Absolutâ quatuor hegumenorum electione, divinae maiestati gratiae agendae sunt. Quocirca abbas generalis cum hegumenis et omnibus patribus vocalibus ante portam mediam altaris procidat in genua, primus ipse, deinde quatuor hegumeni, mox reliqui iuxta ordinem suum. Tum incipiat psalmum CXLVIII., reliquis hunc et duos sequentes psalmos alternatim canentibus:

Laudate Dominum de coelis: laudate eum in excelsis, etc.

Quibus finitis, assurgens abbas generalis, stansque in portâ mediâ, conversus ad altare, fratribus genuflexis, sequentem precationem recitabit:

Gratias agimus tibi, Deus noster, Trinitas sanctissima, Pater et Fili et Spiritus Sancte; quoniam, sicut ad tuum nos peculiarem famulatum assumpsisti, atque in sanctis tabernaculis tuis collocasti, fratresque in spiritu coniunctos effecisti et constituisti in monte Sion, qui est religiosus status, ponens pacem fines suos, muroque circumdatus obedientiae, castitatis et voluntariae paupertatis, quo spectaculum fieremus angelis et hominibus, ita hodie gratiâ tuâ innovasti vinculum, quo iungimur dilectioni tuae, nosque in hierarchias et choros in similitudinem angelorum distinxisti ad officia ministerii tui in paradiso domus tuae, quem plantasti nobis, et in quo nos collocasti, ut ex eodem fructus vitae perfectae collige-

res, nosque illum operaremur, beneplacitum tuum perficientes et divinae voluntati tuae obsequentes; et nunc, Domine Deus, tuere nos et custodi vineam istam, quam plantasti dexterâ tuâ, et domum tuam aedifica, quam virtute tuâ fundasti; quia nisi tu, Domine, aedificaveris domum, frustra vigilant qui custodiunt eam. Da, Domine, assistricem sedium tuarum sapientiam iis, quos ad ministerium domus tuae elegisti. Benefac nobis et corda nostra sanctifica, mentesque nostras in obsequio confirma, intercedentibus sanctâ Dei genitrice Virgine Mariâ et beatissimo patre nostro sancto Antonio magno, et omnibus sanctis.

Fratres: *Amen.*

Deinde abbas generalis, factâ altari reverentiâ, ad eos adhuc genuflexos conversus, facit absolutionem generalem in haec verba:

Deus misereatur vestri et dimittat debita vestra, et tribuat vobis absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum. In nomine † Patris et † Filii et † Spiritus Sancti.

Fratres: *Amen.* Et surgant, eiusque manum ordinatim osculantur, et ad suas singuli cellas secedunt.

Cap. III. — *De congregatione hegumenorum et electione abbatum provinciae vel monasterii.*

Tempus congregationis hegumenorum.

I. Congregatio hegumenorum de semestri in semestrem ab abbate generali et quatuor hegumenis celebretur, et quoties de rebus agendum est aut valde urgentibus aut potestatem eiusdem congregationis exigentibus.

A quo indicenda.

II. Penes abbatem generalem est illam indicere eique praesidere. Si vero ipse mortuus fuerit aut promotus, aut de ipsius causâ et reatu consultandum sit, tunc ad omnes simul hegumenos spectabit illam indicere, et prior in ordine praesidebit tamquam vicarius abbatis generalis, ut supra dictum est.

Quoto tempore durare debeat.

III. Per septem dies ea durabit; singulis autem diebus, praemissâ oratione dominicâ et litaniis beatissimae Virginis coram altari ab aedituo parato, ianitore portam observante et secretario ad mensam assidente, necnon duobus monachis suffragiorum cognitoribus, suffragia ferent, ut supra dictum est de congregatione generali. Porro secretarius, aedituus, ianitor et duo suffragiorum cognitores ab abbate generali et hegumenis praeeligendi sunt. Antequam vero prima congregatio inchoëtur, sermo paraeneticus fiat ab idoneo monacho, quem abbas generalis designaverit.

De electione abbatum provinciar. et monasteriorum.

IV. Si post congregationem generalem eligendi sint abbates provinciarum et monasteriorum, primo congregationis die, sedentibus in ordine suo abbate generali et hegumenis, accedunt abbates quorum officium expirat, vel eorum vicarii, unus post alium, et genuflexi sigillum et officium in manibus abbatis generalis et hegumenorum resignant et deponunt in haec verba:

Reverendissimi patres. In manibus vestris resigno et depono officium abbatis provinciae N. vel *monasterii N., quod mihi indigno commissum fuit; simulque veniam peto de omnibus culpis a me in eo commissis.*

Si vicarius fuerit aut procurator, dicat:

Reverendissimi patres. Nomine ac vice reverendi patris N. in manibus vestris resigno et depono officium abbatis provinciae N. vel *monasterii N., quod ipsi commissum fuit; simulque veniam peto de omnibus culpis ab ipso in eodem officio commissis.*

Factâ resignatione, unusquisque extra congregationem recedet, et clauso ostio, legat secretarius coram abbate generali et hegumenis excessus vel defectus, si quos dicti abbates in suo officio commiserint, oblatas adversus eos subditorum monachorum accusationes et similia, quae in ultimo triduo congregationis generalis examinata sunt et in acta relata, ut cap. I. huius partis, num. XI., dictum est. Mox generalis et hegumeni de iis deliberent; et si quid in regulam, constitutiones, consuetudines vel monachos peccasse deprehensi fuerint, vocentur singillatim et introducantur ad congregationem, ibique reprehendantur et dignâ malefactis poenitentiâ mulctentur: alias omnes simul introducantur, et genuflexi benedicantur ab abbate generali et absolvantur iis verbis:

Deus misereatur vestri, etc., ut capite superiori circa finem.

Tum extra congregationem dimittantur, et abbas generalis cum hegumenis per suffragia secreta eligat abbates provinciarum et monasteriorum eodem modo, quo supra de electione generalis et hegumenorum dictum est.

Suffragium in schedulâ scribatur sic: *Eligo reverendum patrem N. in abbatem provinciae N.* vel *monasterii N.*

De extrahendis suffragiis.

Extrahuntur autem suffragia a duobus monachis eorum cognitoribus, et scribuntur in cartâ a secretario; et unus ex illis duobus, professione antiquior, nomen electi altiori voce pronunciat, ut generalis et hegumeni audiant; et qui plura suffragia habuerit, ille abbas erit, quem proinde generalis proclamabit in haec verba:

Nomine congregationis nostrae pronuncio et declaro reverendum patrem N. abbatem provinciae vel *monasterii N.*

Finito scrutinio, omnes electi abbates, qui in eo monasterio praesentes fuerint, vocantur a congregatione; et cum introducti fuerint, genua flectunt coram abbate generali et hegumenis, manumque eorum deosculantur, et invicem ab his ad osculum pacis admittuntur. Abbas autem generalis tradat unicuique eorum sigillum officii sui, deinde omnibus praeter hegumenos genuflexis impertitur benedictionem, dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater ✝ et Filius ✝ et Spiritus ✝ Sanctus.

Fratres, *Amen;* et procedunt unusquisque ad cellam suam.

Abbas generalis et hegumeni tradunt singulis patentes litteras tenoris sequentis:

Venerabilibus fratribus Ordinis Sancti patris nostri Antonii, Congregationis de Monte Libano, provinciae N. vel *monasterii N., salutem in Domino et benedictionem. — Notum facimus vobis, fratres, congregationem hegumenorum habitam die N., mense N., anno N., communi consilio elegisse reverendum patrem N. in abbatem vestrum proprium et peculiarem, qui carne et spiritu vos gubernet iuxta nostras consuetudines, constitutiones et regulam. Quocirca mandamus vobis in virtute sanctae obedientiae ut eidem secundum nostrae Libaniticae Congregationis regulam pareatis, eumque abbatem seu patrem nostrum appelletis, ipsique veluti legitimo praeposito vestro debitam obedientiam, honorem atque reverentiam exhibeatis. Si quis illi subesse noluerit, noverit se suorum votorum transgressorem fore. Benedictio sit super obedientes. — Datum in monasterio N., die N., mense N., anno N. Congregatio hegumenorum.*

Sigillum ✝ generalis et hegumenorum.

Cum dictae litterae ad monasterium venerint, unus ex fratribus, reliquis audientibus, in ecclesiâ vel in refectorio, abbate electo praesente, illas legat: finitâque lectione, continuo abbati electo vel confirmato omnes genuflectant, abbas vero iis benedicat, dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater ✝ et Filius ✝ et Spiritus ✝ Sanctus.

Et respondent *Amen;* et surgunt, eiusque manum osculantur. Abbas suae electionis patentes litteras apud se custodiat: cumque statuto tempore exauctoratus vel confirmatus fuerit, abbati generali illas restituet. Secretarius autem monasterii eas de verbo ad verbum describat, et in archivio reponat. Sequentibus sex diebus in congregatione hegumenorum de rebus, ad universum Ordinem spectantibus, agetur.

v. Si vero congregatio hegumenorum non post congregationem generalem, sed praestitutis temporibus suis fiat, primo die de gravioribus negotiis agendum erit, postmodum reliqua definiantur.

vi. Terminatâ congregatione, describi curent a secretario acta omnia, electiones officialium et constitutiones, si quae factae fuerint, sigilloque et propriâ generalis atque hegumenorum subscriptione firmentur, et in archivio reponantur. Quae vero monachis significanda sunt, ea per encyclicas litteras, a generali et hegumenis subscriptas, significentur. Exemplum autem litterarum omnium, quae nomine congregationis huius mittentur, a secretario eiusdem congregationis descriptum maneat in libro registrorum, qui in congregatione generali tradatur novo abbati generali et novis hegumenis, in archivio reponendus.

Cap. IV. — *De congregatione provinciae et monasteriorum.*

i. Congregatio provinciae unoquoque anno per triduum celebretur ab abbate provinciae et abbatibus monasteriorum subiectorum; congregatio vero monasteriorum sit quolibet mense per unum diem ab abbate monasterii et monachis omnibus professis. Primam autem indicet abbas provinciae, alteram abbas monasterii; et illa quidem uno saltem mense ante constitutum diem significari dedebit, haec vero tribus ante diebus.

Congregatio provinciae quolibet anno cogenda.

ii. Quo mense facienda erit congregatio provinciae, praemittenda est opportu-

no tempore congregatio uniuscuiusque monasterii, ut in promptu habeat abbas, si quid ad eam congregationem referendum sit. Similiter quo anno celebrabitur congregatio generalis, opportune praemittatur congregatio provinciae.

Qui debeant interesse.

III. Congregationi provinciae, praeter abbates monasteriorum, intererit socius abbatis uniuscuiusque monasterii a congregatione monachorum eligendus. Eius autem electio fieri debet tribus saltem diebus, antequam ad congregationem provinciae procedatur, ut sufficiens tempus habeat ad sumendum informationem de statu monasterii deque querelis et causis monachorum. Idem dicendum de socii Abbatum ad congregationem generalem discessu. Omnia autem, quae socius congregationi generali vel provinciali, nomine monachorum praesentabit, debent esse sub sigillo monasterii clausa et ab iis subscripta.

IV. In utrâque congregatione idem ordo servetur, de quo supra in congregatione hegumenorum dictum est num. III. et VI. Secretarius autem, aedituus et ianitor ab abbate eligantur; duo vero suffragiorum cognitores a monachis ad congregationem convocatis.

De quibus agendum rebus.

V. Agendum porro erit; primo de rebus spiritualibus ad profectum monachorum spectantibus, inquirendumque in mores uniuscuiusque, si quid contra regulam, constitutiones et consuetudines peccetur; secundo de regimine superiorum et subiectorum obedientiâ; tertio de temporalibus monasteriorum rebus.

VI. Abbate ad congregationem generalem eunte, aut vicarium mittente, adhuc celebretur congregatio monachorum de mense in mensem, cui ipse abbas vel eius vicarius praeerit. Non tamen celebrari poterit congregatio provinciae, nisi de anno in annum, et ipso abbate praesente.

VII. Si abbas monasterii decesserit, vicarius mortem eius tam abbati provinciae, quam abbati generali statim significabit; et interim monasterium administrabit usque ad novi abbatis electionem et adventum. Quod si vicarius in illo monasterio non fuerit, tunc antiquior professione vicarius erit, et, inter aequales professione, antiquior aetate praeferatur, et sacerdos non sacerdoti. Mortuo autem abbate provinciae, abbas illius monasterii, in quo residere solet, ad abbatem generalem litteras scribat. Nemo tamen in eius officio se immiscebit, donec abbas generalis in congregatione hegumenorum de successore aut vicario decreverit.

CAP. V. — *De congregatione hebdomadali.*

I. In qualibet hebdomadâ per omnia monasteria feriâ sextâ, aut aliâ die non impeditâ, debet fieri congregatio omnium monachorum.

II. Sedentibus omnibus, et novitiis, si qui erunt, stantibus, abbas seu vicarius aliquid ex libris spiritualibus legat, vel legi faciat ad monachos.

III. Deinde (novitiis (1) foras dimissis) idem abbas seu vicarius faciat brevem exhortationem contra defectus in monasterio occurrentes, nullam tamen personam nominando.

IV. Absolutâ exhortatione, abbas stans, reliquis genuflexis, dicat:

Deus misereatur nostri, et dimittat debita nostra, et tribuat nobis absolutionem et veniam omnium peccatorum nostrorum. In nomine ✝ Patris et ✝ Filii et Spiritus ✝ Sancti.

Fratres, *Amen;* et surgunt, eiusque manum deosculantur, et ad suas unusquisque cellas abeunt.

CAP. VI. — *De electione in communi.*

Quibus non committenda officia.

I. Ab electione tam activâ quam passivâ in quolibet officio Ordinis nostri, donec cum eo fuerit dispensatum, specialiter arcetur omnis excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, non professus, et qui non subest nostrae congregationi, etiamsi fuerit monachus professus Ordinis sancti patris nostri Antonii; item, qui ab Ordine nostro apostataverit, et qui ab illo ad alium Ordinem, etiam cum licentiâ superiorum, transivit, nec postea ad nostrum rediit; item, qui habet impedimentum naturale, ut fatuus, delirus, lunaticus; item, qui est notorie infamis ob publicum delictum, ut est homicidium, fornicatio, furtum, periurium, ebrietas; item subornator, qui prece, pretio, minis vel quocumque alio modo induxerit eos, qui in electione vocem activam habent, ut se ipsum vel monachum aliquem determinatum eligant, singulatim eum nominando; item,

(1) Edit. Main. legit *noritii.*

qui per se ipsum vel alium procurat sibi dignitatem aliquam extra Ordinem; item qui publice et scandalose Romano Pontifici, aut Patriarchae vel Ordinario loci detraxerit, aut eorum canonicas sanctiones contempserit; denique, qui monachum notorie indignum sciens et prudens aliquando elegerit.

In impedimentis, a quibus petenda dispensatio.

II. In iis impedimentis, quae ex iure canonico proveniunt, dispensatio petenda est a legitimo superiore, qualis est sanctissimus Romanus Pontifex, reverendissimus dominus Patriarcha et ordinarius loci Episcopus, respective. In aliis vero, quae ex nostris constitutionibus inducuntur, abbas generalis dispensare poterit, vel, eo absente, congregatio generalis.

III. Nemo eliget, aut eligere poterit in abbatem generalem, aut hegumenum, sive in abbatem provinciae, aut monasterii, nisi triginta annos saltem inchoatos aetatis habeat; et nisi sex annos in congregatione nostrâ compleverit, includendo annos probationis.

IV. In congregationibus hegumenorum provinciae et monasterii, ii tantum vocem activam habent, quorum mentio ibi fit. Vocem vero passivam in congregatione generali et hegumenorum habere possunt omnes monachi professi; in congregatione vero provinciae et monasteriorum, ii tantum monachi qui sunt illius provinciae et monasterii.

V. Nemo potest habere plures voces activas, etiamsi habeat plura in Ordine officia; sed unusquisque unam tantum vocem habeat.

VI. Omnis electio fiat per suffragia secreta.

VII. Ante electionem legantur constitutiones de officio eligendorum et de electione.

VIII. Si suffragia fuerint aequalia, aut in diversas personas ita distrahantur ut in nullum maior pars conveniat, id fiat quod supra cap. II., num. XII. et XIII. dictum est.

CAP. VII. — *De visitatione.*

I. Abbas generalis semel saltem in triennio visitet omnia monasteria Ordinis, et abbas provinciae semel quolibet anno monasteria sibi subiecta, ut dictum est p. III., cap. III., num. III. et cap. V., num. II.

Abbates legitime impediti vicarium visitatorem debent eligere.

II. Si legitime fuerint impediti, substituent vicarium visitatorem, cui tempus et auctoritatem per suas litteras definiant, eique socium seu secretarium adiungent. Nulli autem vicario visitatori credatur, nisi litteras suae delegationis antea exhibuerit coram monachis in congregatione convocatis in eo monasterio quod visitandum erit; eam vero monachorum congregationem abbas convocabit statim atque ei exhibitae fuerint litterae abbatis generalis, aut hegumenorum, aut abbatis provinciae. Si autem abbas fuerit absens, aut obedire noluerit, tunc ipse vicarius visitator eam convocabit.

FORMA LITTERARUM VICARII VISITATORIS.

Venerabilibus fratribus Ordinis sancti patris nostri Antonii Congregationis de Monte Libano, provinciae N., vel *monasterii N., salutem in Domino et benedictionem.*

Notum facimus vobis, fratres, nos elegisse reverendum patrem N. in vicarium nostrum, eique vices nostras commisisse, ut visitet vos et vestrum monasterium in temporalibus et spiritualibus, et inquirat in omnia ad vos dictumque monasterium spectantia, iuxta nostras consuetudines, constitutiones et regulam, cum facultate decernendi, quae decernenda esse urgens necessitas compulerit, alia vero ad nos deferendi; non tamen alium in locum suum substituendi, nec visitationem in quolibet monasterio ultra triduum prorogandi. Quocirca mandamus vobis in virtute sanctae obedientiae, ut reverendissimum patrem N. tamquam vicarium visitatorem a nobis deputatum recipiatis, eique debitam reverentiam et obedientiam iuxta commissum ipsi officium exhibeatis. Si quis illi contradicere ausus fuerit, noverit, se suorum votorum transgressorem fore. Benedictio sit super obedientes. Datum in monasterio N., die N., mense N., anno N.

Abbas generalis, vel *hegumeni,* vel *abbas provinciae N.* — Loco ✝ sigilli.

III. Lectis in congregatione litteris, statim omnes genuflectent, excepto vicario visitatore; deinde surgentes deducunt illum in ecclesiam a dextris abbatis monasterii procedentem.

Qua methodo facienda visitatio.

Si abbas generalis aut abbas provinciae personaliter ad visitandum monasterium veniret, convocatâ ab abbate loci monachorum congregatione, significabit breviter ut praeparent se ad reddendam rationem, quam sequenti die exigere incipiet; deinde procedet unâ cum abbate monasterii et monachis ad ecclesiam, ut supra.

IV. Ante aram maximam omnibus ordinatim genuflexis, abbas seu vicarius visitator, item genuflexus, ad portam mediam orabit aliquantulum: deinde intonabit psalmum CXLVIII. *Laudate Dominum de coelis, etc.*, quem unâ cum duobus sequentibus psalmis monachi alternatim canent; et dicto *Gloria Patri*, surgit abbas seu vicarius visitator, et factâ ad altare reverentiâ, conversus ad monachos genuflexos facit absolutionem, dicens:

Deus misereatur vestri, et dimittat debita vestra et tribuat vobis absolutionem et veniam omnium peccatorum vestrorum. In nomine Patris † et Filii † et Spiritus Sancti.

Fratres: *Amen;* et surgunt, eiusque manum ordinatim osculantur, et abeunt in cellas suas.

V. Visitator primum locum tenebit cum socio suo, qui secretarii munus geret, etiam ante abbatem monasterii. Cum autem officio suo functus fuerit, ipse et socius locum iuxta dignitatem suam vel antiquitatem professionis habebit.

VI. Primo visitationis die, cantatis divinis officiis, ac terminatâ per abbatem loci aut eius vicarium sacrâ liturgiâ, antequam detur a celebrante benedictio, omnibus monachis ordinatim genuflexis, visitator diligenter visitabit totam ecclesiam: ac primum aram maximam, ubi repositum est sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, deinde reliqua, si quae erunt, altaria, an omnia munda sint, et decenter ornata et composita: qua visitatione absolutâ, reversus ad portam mediam, et factâ altari reverentiâ, dat benedictionem, dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater † et Filius † et Spiritus † Sanctus.

Fratres: *Amen.*

Visitator prosequitur hanc admonitionem: *Auctoritate Dei totiusque ordinis nostri, praecipio vobis in virtute sanctae obedientiae, ut, cum unusquisque vestrum de omnibus et singulis personis ac rebus, ad hoc monasterium spectantibus, interrogatus fuerit, debeat, secundum conscientiam, pure et veraciter revelare, secluso omni odio, favore et affectu: nec ullus vestrum extra monasterium discedere praesumat sine expressâ nostrâ licentiâ.*

Tum surgunt fratres et vadunt in cellas suas. Visitator, depositâ stolâ, in sacristiam vadit cum socio, abbate monasterii et praefecto ecclesiae, seu sacristâ, eamque diligenter visitat, considerando an munda et composita sint vasa sacra, vestes, libri et omnia utensilia.

Deinde procedit visitator cum socio et abbate loci ad cellam ipsius abbatis, qui primo offert visitatori scripta nomina et officia singulorum monachorum et personarum etiam saecularium, qui monasterio inserviunt; secundo, librum regulae et constitutionum Ordinis; tertio, librum secretorum quae alii visitatores ei monasterio reliquerunt; quarto, libros proventuum et expensarum monasterii et ecclesiae. Quibus peractis, visitator ad cellam sibi destinatam, per ipsum abbatem loci, aut monachum ab eo designatum, advocabit singulos monachos et inquisitionem inchoabit a iunioribus et desinet in ipsum abbatem, qui de singulis ipsi reddet rationem. Quae autem a singulis monachis referuntur, per socium et secretarium visitationis in cartâ notabuntur, in quorum fine unusquisque nomen suum subscribat, vel, si scribere nescierit, ipse secretarius eius nomen subscribat de ipsius mandato.

VII. Postridie visitator cum secretario lustrabit, primo cellas omnium fratrum; secundo, alias monasterii mansiones, ut scholam, bibliothecam, hospitium, infirmariam, vestiariam, cellarium, coquinam et refectorium, praesentibus abbate loci eoque monacho qui cellae illius curam habebit.

VIII. Tertio et postremo die, convocatâ totius monasterii congregatione in locum ad id paratum, visitator brevem adhortationem faciet ad procurandam regulae et constitutionum observantiam, et legi faciat per secretarium monita relicta monasterio, moneatque omnes et singulos, ut se ad poenitentiam negligentiarum faciendam disponant: tum, genuflexis omnibus coram visitatore, culpas suas dicant ordinatim, incipiendo ab abbate loci usque ad iuniorem monachum, et veniam petant a visitatore, qui singulis cum discretione et charitate poenam iniungat salutarem: mox faciat absolutionem dicens:

Deus misereatur vestri, etc., ut supra n. IV., atque ita cum osculo pacis dimittat congregationem.

IX. Si ipse generalis aut abbas provinciae visitationem facit, utatur auctoritate suâ in correctione abbatis et monachorum.

Si vero fuerit vicarius, ad substituentem omnia referat; non tamen abbatem loci deponere, aut ab officio suspendere Vicarii visitatoris quae sint facultates.

poterit, nisi specialem facultatem habuerit a congregatione hegumenorum. Quod si necessitas requirat ut monachum de illo monasterio in aliud transferat, id auctoritate suâ facere poterit, si generalis fuerit aut abbas provinciae; si vero delegatus fuerit, consentiente abbate loci, in quo est, et abbate monasterii, ad quod transferendus est monachus, id faciet; illis autem dissentientibus, rem ad delegantem referet.

De quibus visitator debeat inquirere.

x. Haec fere sunt, de quibus visitator inquirere debet:

An singuli debitam abbati obedientiam exhibeant;

An abbas officio suo erga omnes aequaliter utatur;

An inter omnes et singulos pax et concordia servetur;

An sit aliquis proprietarius in monasterio, vel scandalosus, ebriosus, otiosus, assuetus iurare vel turpia loqui, notatus de suspectâ familiaritate intra vel extra monasterium, cum scandalo alium non alloquens, rixosus, contumeliosus;

An ab omnibus observetur regula et constitutiones quoad divinum officium, confessionem, communionem, orationem mentalem, ieiunium, refectorium, silentium, aliaque communitatis officia, et quomodo ritus et caeremoniae ecclesiasticae observentur;

An aliquid desit, vel superfluum sit in victu, potu, vestitu; et quomodo tractentur ab abbate tam monachi sani quam infirmi et hospites;

Quomodo monachi iuniores instruantur, et qui sint mores saecularium qui sunt in monasterio coenobii.

xi. Acta omnia a secretario excepta sigilloque munita in archivium Ordinis inferat, et si vicarius sive delegatus fuerit, ad abbatem generalem vel provinciae referat.

xii. Omnem operam adhibeat, ut pacem et concordiam in monasterio relinquat.

PARS QUINTA

Cap. I. — *De processu iudiciali.*

Cum monachorum causae a superioribus eorum iudicandae sint, communis ordo iudiciorum servetur.

i. Iudex secretarium praesentem habeat, ab ipso aut a maiori superiore eligendum, qui examini adsit et dicta examinandorum excipiat et sententiam scribat.

ii. Iudicium introducendum erit vel per accusationem vel per denunciationem vel per diffamationem.

In omnibus iudiciis examinandae accusatoris qualitates.

Si per accusationem processus inchoëtur, certus esse debet accusator, et capita accusationis porrectae suâ manu subscribat. Ante omnia autem examinandus accusator, an sit integrae famae, an moveatur aliquo odio, aut alio pravo affectu; an quae proponit, habeant aliqua adminicula vel indicia veritatis, puta, quia accusatus aliâs in eodem genere peccati deliquerit, aut alio modo eius fama et existimatio laboret. Haec autem exactius observanda sunt, quando accusatio procedit contra abbates: isti enim falsis delationibus et querelis maxime obnoxii sunt; et rursus cum regiminis columina (1) sint, non facile neque ex levibus delationibus in periculum existimationis et famae vocandi sunt.

Si per denunciationem procedatur, denunciator similiter certus sit, et subscribere se debet denunciationis capitibus, sicut accusator, etsi ipse non teneatur processum prosequi et obiectae (2) probare.

Si autem per diffamationem procedatur, examinandum primo, an fama aut diffamatio a probis et honestis viris ortum habeat, eaque diffamatio non semel sed saepius ad aures superiorum pervenerit.

De testium examine.

iii. Post accusationem seu denunciationem seu diffamationem, iudex ad testium examinationem deveniat, a quibus exhibito de veritate dicenda iuramento, vel facto iis de veritate dicenda in virtute sanctae obedientiae praecepto: primo, si sint extranei, generaliter interrogabit super eorum qualitatibus; deinde super praedictis capitibus accusationis; annotetque diem, mensem ac annum, quo singuli testes fuerint examinati et quaecumque deposuerint; demum curabit ut iidem testes manu propriâ subscribant suas depositiones; et, si ipsi litteras ignorant, apponant suâ manu figuram crucis, et alius ex ipsorum mandato subscribat eorumdem nomina, annotando se illorum iussu subscripsisse.

iv. His peractis, iudex accusatum seu denunciatum vel diffamatum citabit, eumque examinabit super praedictis, non semel, sed bis, vel ter, cum intervallo tamen, ut, si contradictoria dixerit, possit

(1) Videtur legendum *columnae*.

(2) Potius lege *obiecta*.

ex suâ confessione redargui; et, si opus fuerit, ad reum convincendum eumque ad veritatem dicendam inducendum, poterunt coram eo produci testes, qui ipsum convincant.

Reo communicandae testium depositiones.

v. Finito examine, dandum erit ipsi reo exemplar depositionum testium examinatorum sine eorum nominibus, cum termino competenti ad faciendas suas defensiones; et, si delicta sibi obiecta non diluat, eaque sint probata sufficienter vel per rei confessionem, aut per testes reus fuerit convictus, poterit, praeviâ citatione, ad sententiam deveniri, et reus in poenâ eius delicto debitâ condemnari. Si vero diluerit legitime, erit absolvendus aut declarandus innocens. Si autem de eius innocentiâ non plene constiterit, debet absolvi nihilominus, appositâ clausulâ *ex hactenus deductis,* quia innocentia rei non fuit plene probata.

vi. Si abbas generalis aut hegumeni vel abbas provinciae commiserint alicui ut causam examinet et iudicium ferat, is debet, primo, terminos facultatis suae non excedere, sed intra eos se continere: nimirum, si examen tantummodo ipsi commissum fuerit, non debet sententiam ferre; secundo, confectum ut supra processum iudicialem, propriâque manu subscriptum et sigillo monasterii signatum, transmittat ad superiorem.

vii. Monachi omnes curare debent: primo, ut delinquentem caritative moneant iuxta sanctum Evangelium, antequam accusetur vel denuncietur; secundo, ut, quantum fieri potest, evitent formam iudicii, multoque magis exceptiones, quae dari solent vel possunt contra solemnitatem iuris in processu facto et sententiâ latâ; nam institutum monasticum, quod assumpsêre, docet eos non contendere iudicio, sed propriae voluntati renunciare, poenitentiam agere et pro Domino pati.

Voce activâ et passivâ privati in testes non admittendi.

viii. Non debet in re levi vel ex merâ suspicione fieri accusatio aut denunciatio; sed in delicto gravi et certo vel quasi certo. Item ab accusatione excluduntur ebriosi, detractores, iracundi, aut similibus vitiis laborantes, qui, prius frequenter moniti, emendati non fuerint: et qui voce activâ et passiva privati sunt, iidem non debent a iudice ad testimonium admitti, bene tamen ad informationem. Quande vero ex processu constiterit innocentia accusati, debet a iudice accusator in poenâ talionis condemnari.

ix. Si delictum, de quo quis accusatur aut denunciatur vel inquiratur, non fuerit publicum, curare debet iudex ne illud evulget, sed secretum servet, quantum fieri potest.

x. Qui poenitentiam sponte facere recusaverit, compelli poterit per censuras. Quod si istas proterve spreverit, acriora remedia adhibeantur; semper tamen habito respectu circumstantiae loci, temporis et personae.

Cap. II. — *De culpis et poenis.*

Cum constitutiones nostri Ordinis non obligent ad culpam, nisi propter contemptum et scandalum, sed solum obligent ad poenam transgressoribus infligendam, ideo dicendum nunc est de poenis quae ad correptionem culparum imponuntur.

Lenitas a superioribus adhibenda.

i. In primis superiores intelligant, sibi cum fratribus agendum in spiritu lenitatis, nec, nisi causâ attente perspectâ, ad acriora remedia esse progrediendum. Quare plerumque praemittenda erit admonitio charitativa seu per se seu per alios, itaut subditus doceatur emendationem delictorum a superiore quaeri, non delinquentium ruinam.

ii. Intelligant pariter subditi, eâdem piâ animi praeparatione sibi suscipienda esse ista caritatis remedia, cum qua a superiore illa applicari iustum est credere, cum magno scilicet desiderio proprii profectus et emendationis; neque dandum locum diabolo suggerenti futiles querelas adversus superiores, aut secum ipsis, aut, quod omnino cavendum est, cum aliis, praesertim externis, etiamsi contingat poenitentias iniungi insontibus ex falsâ, ut aliquando accidere necesse est, delatione et errore.

iii. Praeterea superiores frequenter recogitent, se de suis subditis rationem Deo reddituros; ac proinde diligenter serioque caveant, ne ex propriâ indulgentiâ et remissione regularis disciplina laxetur: dum nimirum subditi, impunitatem sibi ex superioris conniventia pollicentes, quodlibet audere paulatim assuescant. Quamobrem caute circumspecteque attendant, ne quis contra constitutiones abusus quovis praetexu inducatur; noverintque ex parvis transgressionibus magnam quandoque ruinam disciplinae regulari imminere; idque si ipsorum vitio contingat, gravissimae ipsos noxae reos fore.

IV. In poenis iniungendis superiores haec praecipue observent:

Quae observanda in poenis iniungendis.

Primum, ut, auctâ gravitate culpae ex gravitate circumstantiarum, poena pariter augeatur; et in iis quidem monasteriis, in quibus est frequentior monachorum numerus, ad mensam communem, ex schedulâ a superiore vel eius vicario scribendâ, legatur culpa et poena, indicato etiam nomine delinquentis ad communem aedificationem, nisi forte ipse reus eodem in loco ex suâ devotione velit se ipsum simili modo accusare. Quod etiam superior, cum id expedire in Domino iudicaverit, iniungere poterit.

Secundum, ut poena gravior et gravissima nonnisi cum maturiori consilio patrum seniorum ab abbate infligatur; eaque in scriptis et postquam de culpâ constiterit per confessionem rei vel per competentia testimonia; et, si id rei gravitas exposcat, abbatis etiam generalis sententia rogetur.

Tertium, ut fratribus provectae aetatis, quoad aliquas poenas aetati minime convenientes, abbas ita dispenset, ut alias simul magis congruentes iniungat. In graviori vero et gravissimâ culpâ taxatam in constitutionibus poenam nullatenus mutet, nisi causa commutandi sit legitime probata coram abbate generali.

Quartum, ut abbas, dum alicuius culpam redarguit, aut poenam ei iniungit, caveat summopere, ne id ex irâ aut odio aut vehementi animi perturbatione faciat; multoque minus, ne iniuriosis verbis, aut contumeliis, sive imprecationibus reum excipiat. Quod si id fecerit, a seniore monasterii moneatur semel, bis et tertio; sique emendatus non fuerit, ad abbatem generalem deferatur, qui ei debitam culpae poenam omnino iniungat.

De contumacibus.

V. Si quis ex fratribus iniunctam sibi poenitentiam ex proterviâ aut aliâ animi perturbatione subire detrectaverit, in cellâ includi reum iubeat abbas; et postea mittat ad eum seniores patres, qui illum moneant ad poenitentiam et inducant ad obedientiam: quam si fecerit, bene erit, si autem adhuc in contumaciâ perseveraverit, triduo illum includi in cellâ iubebit, et pane tantum et aquâ vesci, idque, cum culpâ, ob quam poena iniungitur, non sit gravior aut gravissima; nam in eo casu augenda erit poenitentia iuxta qualitatem delicti, quemadmodum infra dicetur cap. XIV. num. I.

VI. Cum culpae aliae sint leves, aliae graves, graviores et gravissimae, debet abbas poenitentias iuxta culparum qualitatem iniungere, ut infra praescribitur. Poenas vero commutare, et pro gravibus leves iniungere, aut vice versâ pro levibus graves imponere, non poterit sine consilio et congregatione monachorum. Quae autem hic taxatae non sunt poenae, cum consilio eorumdem monachorum in Domino taxabit.

CAP. III. — *De levi culpâ et poenâ.*

Levium culparum non est numerus: ex his autem, quae hîc apponuntur, de ceteris iudicari pronum erit.

Culpa levis quae sit.

Levis culpa est:

I. Si quis ad inchoationem officii, vel congregationis, vel collationis spiritualis non adfuerit;

II. Si quis aliquid dixerit vel fecerit, unde fratres offendantur;

III. Si quis quidpiam utensilium ex desidiâ fregerit, aut perdiderit, vel cibi potusve aliquid effuderit;

IV. Si quis communi refectioni non interfuerit;

V. Si quis constitutis horis silentium fregerit;

VI. Si quis pro victu, aut vestimentis, vel aliâ re murmuraverit;

VII. Si quis eorum, qui communibus officiis deputati sunt, munus suum in re aliquâ neglexerit;

VIII. Si quis potum vel cibum sine licentiâ sumpserit;

IX. Si officio in tabulâ assignato defuerit;

X. Si quis in caeremoniis missae, divinorumque officiorum, minus decenter se gesserit, aut aliquid omiserit, vel de suo addiderit;

XI. Si quis oculos vagos ad vanitatem direxerit;

XII. Si quis strepitum in cellâ vel monasterio aut ecclesiâ sonitumque fecerit.

Quae pena iniungenda.

Quicumque in praefatos et similes defectus inciderit, et de illis proclamatus fuerit, vel ipse se sponte proclamaverit, vel aliunde hoc ipsum constiterit, abbas iniungat peccanti unum psalmum, vel aliquot orationes dominicas, vel psalmos seu genuflexiones in refectorio aut in ecclesiâ, iuxta modum quo excessit et qualitatem personae.

CAP. IV. — *De gravi culpâ et poenâ.*

Quae sint culpae graves.

Gravem culpam censemus:

I. Si quis frater cum fratre vel externo, intus vel foris, rixas habuerit; si quis fratri vel saeculari contumeliam dixerit vel minas et maledicta in eosdem protulerit;

II. Si quis inter fratres discordiam, dicta unius alteri referendo vel alio modo, seminaverit;

III. Si quis iurare, mentiri, turpia vel scurrilia dicere, ad risum alios ineptis garritionibus provocare, silentium frangere, cum offensione praesertim fraternâ, in consuetudinem duxerit;

IV. Si quis cum feminis aut pueris colloquendo, attentis circumstantiis loci, temporis et personarum, suspicionem aliquam vitii ingesserit, aut ingerere potuisse iure praesumptus fuerit;

V. Si quis dormierit sine tunicâ et cucullo;

VI. Si quis exiverit sine socio assignato, aut illum mutaverit, aut extra monasterium reliquerit, vel solus sine licentiâ iverit, vel horâ, qua in monasterium redire debet, non redierit;

VII. Si quis ex cellâ egrediatur, et per monasterium vagetur tempore dormitionis;

VIII. Si quis medicinam sumpserit, aut sanguinis minutionem fecerit, sine licentiâ;

IX. Si quis culpam praeteritam fratri, pro qua satisfecit, improperaverit;

X. Si quis ieiunium ab Ordine praescriptum fregerit;

XI. Si quis missam, confessionem, communionem aut officium divinum in choro sine licentiâ omiserit.

Et quae poenae iniungendae.

Pro supradictis et similibus culpis iniungantur ieiunium et strictum silentium per aliquod tempus, genuflexiones et prostrationes tempore refectionis communis aut in ecclesiâ, psalmi etiam et orationes aliquot dominicae, secundum discretionem abbatis.

CAP. V. — *De graviori culpâ et poenâ.*

Gravior culpa est:

I. Si quis ieiunia Ecclesiae violaverit;

Quae culpae graviores.

II. Si quis peccatum mortale manifeste commiserit contra praecepta Dei vel Ecclesiae, praeter casus infra recensendos, cum de gravissimâ culpâ sermo erit;

III. Si quis, sciens et volens, sententiam excommunicationis aut suspensionis incurrerit a iure vel ab homine latam, tam a praelato ecclesiastico quam a superiore religioso; exceptis item casibus, in quibus ob gravissimam culpam excommunicatio vel suspensio infligitur;

IV. Si quis, sciens se esse excommunicatum aut suspensum, ut supra, celebraverit vel in suis ordinibus ministraverit;

V. Si quis calumniam in fratres struxerit, sive in iudicio sive privatim;

VI. Si quis per fas aut nefas procuraverit ut ipse vel alter eximatur a potestate superioris tam monasterii quam provinciae, aut abbatis generalis;

VII. Si quis per contumaciam vel manifestam rebellionem inobediens suo superiori fuerit, vel cum eo intus aut foris contenderit;

VIII. Si quis secreta congregationum generalis, hegumenorum, provinciae et monasteriorum aliis monachis sive professis sive novitiis, vel etiam externis, temere revelaverit;

IX. Si quis decretis congregationum antedictarum sese opposuerit, aut superiori praecipienti aliquid in virtute sanctae obedientiae contradixerit;

X. Si quis praelato ecclesiastico aut principi saeculari, in eis quae ad illos spectant, inobediens et contumax extiterit.

Et quae pro illis infligendae poenae.

Pro huiusmodi et similibus culpis iniungantur ieiunia: item assignetur ultimus locus; prostratio ante fores templi vel refectorii vel chori, dum fratres intrant; seiunctio aut sequestratio a fratribus, itaut nullus fratrum audeat se illi coniungere vel aliquod ei mittere, nec vocetur ad aliquod officium in ecclesiâ vel in choro; mensa ponetur eidem sequestrata, ne cum aliis commisceatur; demum privatio vocis activae et passivae in strictâ formâ ad aliquot annos iniungatur. Ex praedictis autem poenis superior, cum consilio seniorum patrum, plura vel pauciora, longius vel brevius, iuxta culpam poenitenti imponat.

CAP. VI — *De gravissimâ culpâ et poenâ.*

Gravissima culpa est:

Quae culpa gravissima.

I. Si quis haeresim aut schisma contra unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam secutus fuerit, aut a fide christianâ defecerit;

II. Si ab Ordine nostro post professionem apostataverit, dimisso vel retento habitu;

III. Si quis proprietarius fuerit in pecuniâ, libris, vestibus, aut re aliâ magni momenti, tam recipiendo, quam dando, vel alienando;

IV. Si quis graviter fratrem vel extraneum quemcumque percusserit et leviter étiam superiorem, idque irato animo;

V. Si quis sigillum confessionis fregerit;

VI. Si quis litteras nomine abbatis generalis, hegumenorum, abbatis provinciae vel monasterii, aut monachi alicuius vel monachorum confixerit, sive eas sigillo officii aut dignitatis vel personae firmaverit, sive non: item qui litteras, ad abbatem generalem aut hegumenos directas, interceperit aut aperuerit et legerit;

VII. Si quis veneficium, incantationem, sortilegium, necromantiam, aut quamcumque aliam diaboli invocationem exercuerit;

VIII. Si quis publicum scandalum vel infamiam gravem Ordini fecerit per manifestum lapsum carnis cuiuscumque speciei sit;

IX. Si quis maligne conspirationem in superiorem suum machinatus fuerit;

X. Si quis machinationes et schismata ad destructionem vel divisionem Ordinis attentaverit;

XI. Si quis a superiorum sententiâ ad tribunalia saecularia appellare aut confugere ausus fuerit: quod si ab abbate gravari se praetenderit, ad abbatem generalem aut congregationem hegumenorum, vel ad congregationem generalem recurrat; et si adhuc ab his praetenderit se gravari, recurrere poterit ad Patriarcham aut Romanum Pontificem;

XII. Si quis ordinem aliquem ecclesiasticum sine superiorum licentiâ ab Episcopo acceperit, aut sine licentiâ Episcopi ordinarii ausus fuerit ad saeculares concionari, eorum confessiones audire, a casibus Ordinario reservatis, sciens et volens, illos absolvere, aut sacramenta baptismi, extremae unctionis vel matrimonii administrare: uno verbo, ministeria parochi obire.

Et quibus purganda poenis.

Pro talibus criminibus, cum consilio patrum seniorum, praeter poenas gravioris culpae, reus privetur cucullo et coronâ, et in cellam tamquam in carcerem detrudatur, ab omnium fratrum consortio seiunctus ad aliquos menses. Ne tamen huiusmodi poenitens propter impatientiam suam in desperationem praeceps ruat, mittat ad eum quandoque superior patres seniores, qui illum blandis verbis commoneant ad poenitentiam et provocent ad patientiam, foveant per consolationem et inducant ad emendationem. Recogitet autem abbas, qualem Deo sit ipse redditurus rationem, si forte suâ impatientiâ et imprudenti severitate fratrem perdat, pro quo Christus mortuus est; memineritque sanctum patrem nostrum Antonium sollicitum fuisse dicere: « fratrem, in aquas lapsum, erigendum esse, non ad naufragium impellendum ».

CAP. VII. — *De culpis et poenis superiorum.*

I. Quaecumque de levi, gravi, graviori et gravissimâ culpâ et poenâ dicta sunt, ea de superioribus respective intelligantur; itaut delinquentem abbatem monasterii abbas generalis puniat, hunc congregatio generalis; idque intelligendum (1) de poenis suspensionis ab officio, depositionis et privationis vocis, loci et coronae, de quibus infra sermo erit.

Levis abbatis culpa.

II. Levis culpa abbatis est, si cellas monachorum et officinas per se vel per vicarium visitare neglexerit; si ad divinum officium et ad communem refectionem sine causâ aliquoties non venerit; si e monasterio sine necessitate exierit; si caeremonias ecclesiasticas minus decenter exercuerit; si quid dixerit vel fecerit, ut fratres offendantur; si in cibo, potu et vestimentis fratres cum indebitâ parsimoniâ tractaverit; si erga aliquem fratrem plus favoris vel asperitatis exhibuerit; si quid poculentorum vel esculentorum, in re tamen parvi momenti, extraneis dederit sine causâ legitimâ. Pro huiusmodi defectibus ab abbate maiore corripiatur, et psalmi vel aliquot orationes dominicae seu genuflexiones ei iniungantur.

Gravis culpa est: si fratri vel externo verba iniuriosa dixerit, maledicta et imprecationes pronunciaverit; si discordias inter fratres seminaverit; si iurare, mentiri, turpia vel scurrilia dicere, frequenter deprehensus fuerit; si saecularium domos sine necessitate frequentaverit; si cum feminis aut pueris colloquendo, attentis circumstantiis, suspicionem aliquam vitii ingesserit; si dormierit sine tunicâ

(1) Edit. Main. legit *intelligendam*.

et cucullo; si medicinam sine licentiâ medici sumpserit; si culpam praeteritam, pro qua satisfactum sit, alicui exprobaverit; si sine socio extra monasterium iverit; si ieiunium ab ordine praescriptum fregerit; si missam, divinum officium in choro sine causâ omiserit; si absque eorum culpâ officiales ab officiis maligne removerit. Pro huiusmodi culpis iniungatur ieiunium per aliquot dies, item psalmi aliquot et orationes dominicae et genuflexiones.

Gravior.

Gravior culpa est: si peccatum mortale manifeste commiserit contra praeceptum Dei vel Ecclesiae, praeter casus infra recensendos, cum de gravissimâ culpa sermo erit; si, sciens et volens, sententiam excommunicationis aut suspensionis incurrerit; si, sciens se esse excommunicatum vel suspensum, celebraverit vel in suis ordinibus ministraverit; si rationem dati et accepti in libro describere neglexerit; si quem novitium admiserit non praevio examine; si nomina novitiorum et professorum non descripserit; si abbati generali aut abbati provinciae de statu sui monasterii aut provinciae non scripserit, ut supra suo loco dictum est; si monachum de suo monasterio in aliud sine causâ et sine congregatione monachorum miserit; si calumniam in fratres struxerit; si procuraverit, ut ipse vel alter eximatur a potestate superiori, aut in officio confirmetur; si per contumaciam vel manifestam rebellionem inobediens superiori fuerit, vel cum eo contenderit; si secreta congregationum revelaverit; si decretis congregationum, vel abbatis generalis, sese opposuerit; si superiori praecipienti aliquid in virtute sanctae obedientiae non obedierit; si quid parvi momenti in virtute sanctae obedientiae fratribus praecipere consueverit; si praelato ecclesiastico aut principi saeculari, in eis quae ad illos spectant, contradicere culpabiliter ac temere praesumpserit; si fratribus, propriae conscientiae rationem iuxta morem reddentibus, secretum non servaverit. Pro similibus culpis iniungatur ieiunium per plures dies: item psalmi plures et orationes dominicae et genuflexiones, aut demum ab officio suspendatur vel removeatur, ex consilio congregationis hegumenorum.

Gravissima.

Gravissimâ culpa est: si haereticus aut schismaticus fuerit, aut a christianâ religione defecerit; si ab Ordine nostro apostataverit; si graviter fratrem vel extraneum percusserit, et leviter etiam superiorem; si absque superioris licentiâ fabricam magni momenti praeceperit; si munus a fratre acceperit, ut ei officium aliquod committat; si bona mobilia aut immobilia monasterii sine congregatione monachorum, aut abbatis generalis, aut eorum, ad quos spectat, licentiâ, alienaverit; si monachum propriâ auctoritate e monasterio eiecerit sine licentiâ abbatis generalis; si, sciens et volens, novitium impedimentum aliquod habentem admiserit, nec facultatem habuerit, vel a legitimo superiore obtinuerit; si sigillum confessionis fregerit; si litteras nomine abbatis generalis, vel hegumenorum vel congregationis generalis confinxerit, aut nomine monachorum; si litteras ad superiores directas interceperit, vel aperuerit et legerit; si veneficium, incantationem, sortilegium, necromantiam, aut alias huiusmodi diabolicas artes exercuerit; si legitime convictus fuerit peccatum carnis admisisse; si conspirationem in abbatem generalem molitus fuerit; si machinationes et schismata ad destructionem vel divisionem ordinis attentaverit; si a superiorum sententiâ ad tribunal saecularium appellaverit; si sine licentiâ abbatis generalis ordinem aliquem ecclesiasticum acceperit, aut sine licentiâ Episcopi ordinarii ausus fuerit concionari ad saeculares, eorum confessiones audire, aut reliqua facere quae facultatem Ordinarii requirunt. Pro talibus criminibus ex consilio congregationis hegumenorum, praeter poenas gravioris culpae, reus in cellam ad aliquot menses tamquam in carcerem detrudatur. Praeterea voce activâ et passivâ per quinquennium privetur. Si vero apostata fuerit vel homicida, aut proprietarius, eam poenam subeat quae infra describetur. Eamdem apostatarum poenam luent, qui a sanctâ catholicâ fide ad haeresim vel schisma vel infidelium sectam defecerint.

Cap. VIII. — *De percussoribus.*

Poenae contra percussores.

1. Si quis fratrum vel abbatum animo irato percussionem alicui comminatus fuerit, poenam gravioris culpae per hebdomadam sustinere cogatur; si vero aliquem fratrem aut extraneum manu percusserit, eamdem poenam luat per quindecim dies, nisi gravis laesio fuerit; si vero percus-

serit ligno aut lapide vel aliâ re sine gravi laesione, per mensem eidem graviori poenae subiaceat.

II. Propter gravem autem laesionem fratris vel extranei, sive manu sive quacumque aliâ re percussio fuerit, vel levem etiam laesionem superiori factam, percussor poenam gravissimae culpae per duos menses sustineat, et utrâque voce per triennium careat, a solo abbate generali absolvendus.

III. Si vulnus lethale inferatur, mors tamen non sequatur, eamdem poenam gravissimae culpae per sex menses absque ullâ dispensatione sustineat et per quinquennium voce careat; si autem (quod Deus avertat) usque ad homicidium aliquis prolaberetur, talis omnino sine ullâ dispensatione puniatur poenis gravissimae culpae per decennium et utrâque voce perpetuo careat.

IV. Tantum vero praedictis poenis addatur, quantum abbati de consilio patrum seniorum visum fuerit expedire, attentâ qualitate personae percutientis, percussae, percussionis et scandali magnitudine.

V. Frequentans hoc vitium etiam levi percussione, ad nullum officium eligibilis censeatur.

VI. Percussores superiorum, praeter expressas poenas, voce utrâque perpetuo careant cum suis complicibus et fautoribus.

Cap. IX. — *De proprietariis.*

Contra proprietarios.

I. Qui cibum, potum aut alia parvi momenti sine licentiâ superioris receperit, primâ vice caritative moneatur a superiore; pro secundâ gravius reprehendatur, deinceps vero poenâ graviori puniatur pro arbitrio abbatis.

II. Si pecuniam aut aliquam rem magni momenti sine licentiâ a quocumque habuerit vel alienaverit, non debet a confessario absolvi, nisi prius ipse poenitens illud superiori praesentaverit, aut alienatum, si possibile fuerit, recuperaverit. Deinde, si peccatum proprietatis publicum fuerit, aut a superiore per indicia vel testes deprehensum, proprietarius, praeter privationem vocis activae et passivae, per mensem gravioris culpae poenam luat, quae augeri et minui poterit iuxta qualitatem delicti et quantitatem materiae. Debet autem a congregatione generali determinari quantitas materiae sufficientis ad culpam gravem proprietatis, ut dicatur res magni momenti quae recipitur vel alienatur et propter quam incurritur in casum reservatum et in poenam graviorem, atque eadem notificari.

III. Si post mortem proprietarius quis inventus fuerit sive subditus sive abbas, nec in infirmitate peccatum suum confessus fuerit, deque eo doluerit, sacrificium aut aliqud officium pro ipsius animâ non fiet et sepulturâ ecclesiasticâ privetur; idque cum consilio patrum seniorum, nisi forsan ex tali poenâ scandalum saecularibus generaretur.

IV. Surripientes aliquid tam ex monasterio quam ex cellâ fratrum, et ab externis, praeter infamiam, duplicatâ poenâ proprietariorum puniantur.

V. Qui non revelat pecunias, aut bona mobilia seu immobilia acquisita a se vel ab aliis fratribus, inter proprietarios recensetur et poenâ proprietariorum plectetur. Eamdem culpam et poenam incurret abbas, qui bona monasterii in loco abscondito ponit, sine duorum saltem fratrum notitiâ.

Cap. X. — *De apostatis.*

Contra apostatas.

I. Monachus quicumque, si post professionem habitum sponte dimiserit, aut retento habitu, sed inconsulto superiore, monasterium deseruerit, cum magnâ caritate et prudentiâ a superiore requiratur, qui proinde per se vel per alios omnem operam impendat, ut ovem errantem ad ovile quamprimum reducat. Redeuntem cum omni caritate et paterni amoris significatione recipiat; et antequam ad poenas poenitenti iniungendas procedat, eumdem doceat per se vel per aliquem ex patribus senioribus, non eas imponi ad ipsius poenitentis destructionem, sed ad aedificationem et salutem. Cum autem ad suscipiendam correptionem illius animum bene praeparatum fuisse compererit, sequentes poenitentias eidem iniungat cum consilio patrum seniorum:

Primo, ad praelationem per quinquennium inhabilis fiat et voce tum activâ tum passivâ privetur, et primo anno ultimum locum teneat; et per mensem integrum coronâ et cucullo privetur, si habitum dimisisset; secus, si eum retinuisset. Si vero laicus aut clericus in minoribus ordinibus constitutus esset, per quinquennium novissimus sedeat, et voce activâ et passivâ privetur, perque mensem cucullo privetur si habitum dimisisset;

Secundo, per aliquot menses in cellam includatur, et ieiunet in pane et aquâ;

Tertio, per unam hebdomadam, postquam e cellâ egressus et ad consortium fratrum admissus fuerit, sequestratum locum habeat in ecclesiâ, in choro et in mensâ.

II. Si secundo vel tertio apostataverit, poenae suprapositae ei multiplicentur ex consilio patrum seniorum; quod si cum scandalo, relicto Ordine, inhoneste vixerit, aut diutius extra Ordinem permanserit, poena illi augeatur iuxta qualitatem scandali, delictorum et morae diuturnitatem. De quo vero non constat quod habitum dimiserit, aut ex Ordine fugerit, sed tantum vagus intra vel extra provinciam, praetextu adeundi superiorem, in habitu circumierit, is poenas gravioris culpae sustineat iuxta moram vagationis et qualitatem delictorum; ita tamen ut superior prudenter prospiciat, quid, attento praesenti statu poenitentis, in Domino expediat, adhibito etiam seniorum patrum consilio, ne remedia, quae in salutem infirmorum fratrum excogitata sunt, in eorum ruinam et exitium vertantur.

III. Apostata ab ordine monastico, vel fugitivus, sive monachus fuerit sive abbas, a nullo absolvi potest, nec in monasterium recipi, praeterquam ab abbate generali; ad quem proinde remittendus erit reus, vel saltem scribendum. Cum autem abbas generalis facultatem suam abbati monasterii commiserit, tunc, convocatâ monachorum congregatione, genuflexus reus humiliter culpam suam dicat, et abbas intonat psalmum LI. *Miserere mei Deus,* quem fratres alternatim prosequuntur, dictoque *Gloria Patri,* abbas illum absolvit, dicens:

Deus misereatur tui et dimittat debita tua, et ego, auctoritate ipsius et reverendissimi patris nostri abbatis generalis, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam propter apostasiam vel *fugam ex Ordine incurristi, et restituo te communioni et unioni fidelium et participationi sanctorum Ecclesiae sacramentorum. In nomine † Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

Sed si fuerit abbas generalis, dicat:

Deus misereatur tui et dimittat debita tua et ego, auctoritate ipsius, absolvo te, etc.

Tunc iniungat ei poenitentiam, ut supra.

IV. Tempus apostasiae vel fugae non computatur monacho inter annos monachatûs.

V. Idem dicendum est de apostasiâ a fide christianâ vel catholicâ ad haeresim, schisma, aut infidelium sectam, quod dictum est de apostasiâ a professione monasticâ. Ab eo tamen casu absolvi nequit, nisi ab Ordinario competente.

CAP. XI. — *De excommunicatione.*

Solus abbas generalis potest poenam excommunicationis infligere monachis; id tamen raro admodum fiat, et ex urgentissimâ necessitate: et primo quidem ex consilio et deliberatione congregationis hegumenorum; secundo, ob unam ex culpis gravissimis, quae supra cap. VI. et VII. recensentur; tertio, post factum canonice processum et praemissâ trinâ monitione canonicâ cum certis intervallis, utpote unius vel plurium dierum, aut etiam horarum, si periculum sit in morâ; quarto, affigenda erit sententia excommunicationis cellae eius, qui excommunicatur, aut legenda in congregatione monachorum, sive excommunicatus praesens sive absens fuerit; quinto, vulgandum erit eius nomen omnibus illius monasterii et provinciae monachis, ut ab omnibus devitetur.

A quo, quibus de causis, et quomodo infligenda excommunicatio.

Sententia vero excommunicationis concipietur in hunc modum:

Ego N. abbas generalis, habitâ hegumenorum N. N. N. N. congregatione, per hanc sententiam, quam in scriptis pronuncio, auctoritate Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et exigente contumaciâ fratris N. N. ob tale delictum (quod debet omnino exprimi) *ipsum excommunico et pro excommunicato haberi declaro; et tamdiu ipsum vitandum denuncio, donec adimpleverit quod mandatur.*

Si abbas monasterii vel visitator ex commissione abbatis generalis sententiam excommunicationis pronunciet, dicat:

Ego N. abbas monasterii N., vel *visitator monasterii* aut *provinciae N., specialiter ab abbate generali et hegumenis deputatus, per hanc sententiam, quam in scriptis pronuncio, etc.*

Cum erit absolvendus, utatur abbas formulâ, quae supra descripta est cap. X.

Omnis excommunicatus quacumque excommunicatione, sive a canone sive ab homine, tam a praelato ecclesiastico quam ab abbate generali, non ingrediatur ec-

clesiam vel chorum; neque ad communem cum fratribus mensam admittatur, neque officio ullo aut dignitate fungatur in monasterio, neque vocem activam aut passivam habeat in electionibus; quinimo, quamdiu sic steterit, ab omnibus evitetur, donec resipiscat et a legitimo superiore absolvatur, postquam id, quod praeceptum est, adimpleverit.

Cap. XII. — *De privatione vocis, loci, cuculli et coronae.*

Explicatio huiusmodi privationum.

i. Qui privatur voce passivâ, per hoc redditur inhabilis ad maiora officia in nostro Ordine; minora tamen potest exercere, ut sunt infirmarii, ianitoris, coqui et similia. Privatus autem voce activâ non potest suffragium ferre in aliquâ electione aut congregatione: neque potest fieri accusator aut testis adversus fratrem. Potest tamen assumi secreto pro aliquâ informatione rei necessariae. Privatus voce omnimodâ, nullum fratrem poterit alloqui, nisi prius a superiore licentiâ petitâ pro aliquâ re necessariâ.

ii. Nullus abbas audeat fratrem privare voce, nisi in casibus suprapositis; idque abhibito consilio et consensu patrum seniorum.

iii. Privatus loco, ultimum locum occupet in choro, ecclesiâ et refectorio: sacerdos quidem inter sacerdotes, diaconus inter diaconos, et sic deinceps.

iv. Qui poenâ erit maiori dignus, quam sit privatio loci aut vocis, propter suam protervíam et gravissimam culpam, poterit cucullo et coronâ privari, et ad obsequia infima in monasterio destinari, ut dictum est supra, cap. v., vi., vii., viii. et x.

Cap. XIII. — *De suspensione et depositione ab officio.*

De suspensione.

i. Abbas, qui suspenditur ab officio, per hoc inhabilis redditur ad illud exercendum et insuper utrâque voce carebit. Si vero proterve officium exercuerit, procedi debet ad depositionem, et inhabilis redditur per quinquennium ad omne officium, et utrâque voce carebit.

De depositione.

ii. Qui deponitur ab officio, per hoc privatur non solum eo officio, quod statim alteri committi debet, sed etiam voce activâ et passivâ per annum carebit.

Hegumenus a solo abbate generali suspendi vel deponi potest.

iii. Solus abbas generalis cum congregatione hegumenorum suspendere potest aut deponere hegumenum et abbatem provinciae ac monasterii. Abbatem vero generalem suspendere ac deponere non potest nisi congregatio generalis.

iv. Qui, praeter abbatem generalem, hegumenos et abbates provinciae vel monasteriorum ab officio suspenduntur vel deponuntur, non idcirco voce privabuntur, nisi in culpam graviorem et gravissimam incidissent.

v. Nemo ex abbatibus suspendi aut deponi debet, nisi ob culpam, de qua supra.

Praemittenda ad abbatem generál. suspendendum.

vi. Si acciderit aliquod ex peccatis (avertat id Deus) quae sufficiunt ad abbatem generalem ab officio suspendendum vel privandum, simul atque per testimonia sufficientia, vel ipsius confessionem, aut facti notorietatem constiterint, quatuor hegumeni unâ congregati, rem, donec veritas elucescat, secretam tenentes, congregationem generalem abbatum provinciarum et monasteriorum, litteris omnium subscriptione signatis, convocabunt, ut dictum est supra, parte iii., cap. iv., n. ii.

Si vero res divulgata et manifesta esset, non expectatâ hegumenorum convocatione abbates locorum et provinciarum alii alios vocando conveniant. Et primum audiantur accusatores, deinde reus, nisi res notoria esset. Reo foras dimisso, primus hegumenorum cum antiquiore abbate et cum secretario, ad hanc causam electo, de toto negotio scrutinium faciet. Et primo quaeretur, an constet de peccato quod obiicitur; secundo, an huiusmodi sit ut propter illud ab officio suspendi aut deponi debeat; et idem suffragia promulget, quae, ut sufficiant, duas tertias partes excedent; et tunc statim de alio eligendo agatur, et, si fieri potest, non prius inde egrediantur, quam electionem perfecerint. In qua re duo animadvertenda sunt: primum, ut, si defectus ad suspensionem aut depositionem sufficientes non deprehendantur, aliis de rebus agatur, propter quas convocata congregatio videatur, et, quod ad abbatem generalem attinet, dissimuletur, imo vero nullo tempore divulgari debet, et sic, cum abbates convocantur, praemonendi sunt de secreto; secundum, si constitutum fuerit illum ab officio suspendere aut deponere, tunc etiam cum eodem abbate generali secreto agendum est, ut ipsemet se officio abdicet; ut, cum hoc promulgatum fuerit, peccatum et officii propter peccatum privatio occultetur.

Si autem defectus non fuerit eiusmodi, ut privandus officio suo sit, sed tantum

corrigendus videretur, quinque eligentur, quibus cura iniungatur considerandi, quae correctio ei conveniat, et ipse omnino obedire congregationi generali teneatur.

Crimina, ob quae abbas generalis suspendi vel deponi ab officio potest.

Crimina, ob quae abbas generalis suspendi vel deponi ab officio potest, sunt haec: si haereticus fuerit, aut schismaticus, aut a Christi fide ad sectam infidelium defecerit; si ab Ordine nostro apostataverit; si graviter fratrem vel extraneum percusserit, aut homicidium commiserit; si fabricam magni momenti praeceperit, aut bona religionis alienaverit, aut novum monasterium acceperit vel fundaverit, aut vetus deseri iusserit, inconsultâ congregatione hegumenorum; si novitium contra constitutiones Ordinis receperit habentem impedimenta, a quibus ipse dispensandi non habet facultatem; si sigillum confessionis fregerit; si litteras, ad congregationem generalem vel hegumenorum directas interceperit et occultaverit aut aperuerit legeritque; si veneficium, sortilegium et quid simile exercuerit; si peccatum carnis admiserit; si munera a fratre acceperit, ut ei officium aliquod daret; si muneribus, dolo, vi, aut arte qualibet officium sibi ipsi aut aliis dari aut confirmari procuraverit; si machinationes et schismata ad destructionem vel divisionem Ordinis fecerit; si a sententiâ congregationis generalis aut hegumenorum ad tribunal saecularium appellaverit vel confugerit; si Romano Pontifici aut Patriarchae contumaciter rebellis fuerit, aut fratres impulerit, ut eis rebelles sint et inobedientes; si sine licentiâ Ordinarii ea sacramenta administraverit, quae expressam licentiam requirunt.

Si vero infirmo corpore et adversâ valetudine fuerit, itaut regimini vacare non possit, non debet deponi, sed ei a congregatione hegumenorum vicarius substituatur, donec commissi regiminis triennium compleatur.

VII. Si quis hegumenorum in unum ex supra enumeratis criminibus inciderit, debet ab abbate generali et reliquis hegumenis deponi.

Cap. XIV. - *De poenâ eiectionis ex Ordine.*

Quae praemittenda, antequam quis ex Ordine eiciatur.

I. Qui unum vel plures ex gravioribus vel gravissimis criminibus, a cap. v. ad cap. XIII. supra descriptis, commiserit, saepeque monitus non resipuerit; et qui poenitentiam pro illis non acceptaverit, sex mensium spatio in ieiunio probetur, et ad tres menses ab omnium consortio segregetur. Idque praeter privationem vocis activae et passivae, aut etiam loci, coronae et cuculli, quam subire debebit iuxta qualitatem culpae gravioris aut gravissimae.

Si vero unum ex infrascriptis gravissimis criminibus commiserit, atque semel, iterum ac tertio admonitus et correctus, ad idem crimen redierit, post tertiam admonitionem, ne alios contagione pestiferâ perdat, eiici tandem poterit, servatis servandis; non aliter tamen, quam ab abbate generali de consilio et assensu quatuor hegumenorum; deque eius eiectione certior fiat reverendissimus dominus Patriarcha ab eodem abbate generali.

II. Eiectus, extra Ordinem degens, sit perpetuo suspensus ab executione ordinum.

III. Quia vero sumus in medio nationis pravae, ne forte eiectus ad haereticos vel infideles accedat, debebit abbas generalis rem antea cum Patriarcha tractare, hominemque in manus eius consignare, ut pro suâ prudentiâ et arbitrio de eo disponat.

Ob quae crimina eiici monachus potest.

IV. Crimina, ob quae monachus ex ordine eiici potest, postquam, admonitus et correctus, non resipuerit, idest ter ea commiserit, terque de iis non resipuerit, quamvis ter admonitus et correctus, sunt haec: si a sanctâ catholicâ Ecclesiâ ad haereticos, schismaticos vel infideles defecerit; si ab Ordine nostro apostataverit; si fratrem vel extraneum graviter percusserit aut occiderit; si fornicatus fuerit; si rem magni momenti furatus fuerit a monasterio vel a saecularibus; si, sciens et volens, cellam, monasterium, templum aut quid simile incenderit; si sigillum confessionis fregerit; si veneficia, incantationes et cetera huiusmodi exercuerit; si in iudicio periurus fuerit; si ab obedientiâ Romani Pontificis aut Patriarchae proterve rebellaverit; si sine licentiâ Ordinarii, sciens et volens, ea sacramenta administraverit, quae expressam licentiam requirunt; si machinationes et schismata fecerit ad destructionem vel divisionem Ordinis; si a sententiâ abbatis generalis aut congregationis generalis vel hegumenorum ad infideles (1) procuraverit; si ad infideles confugerit ut procurent sibi vel aliis ali-

(1) Videtur deesse *appellare*.

quod officium vel dignitatem in Ordine aut extra Ordinem.

Penes congregationem hegumenorum erit iudicare poenamque eiectionis infligere etiam ei monacho, qui non in idem ex supra dictis criminibus ter incidit, sed tria diversa vel plura ex iis crimina commisit.

Omnia vero in charitate facienda.

v. Atque hoc loco rursus superiores admoneantur, ne suâ socordiâ aut vitiosâ severitate fratres suos ad hunc miserabilem saltum de monasterio ad saeculum, de saeculo in infernum adigant; sed, cum vix ullum ingenium sit adeo pertinax et ferox, quod, aspirante Dei gratiâ, mansuetudine et lenitate superiorum vinci, tractuque temporis ad bonam frugem revocari non possit, ut superiores ad hoc extremum remedium devenire non cogantur, discant ab Apostolo, omnia sua in charitate esse facienda. Charitas autem patiens est, benigna est; charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, sed congaudet veritati. Quamobrem, antequam ad eiectionis poenam progrediantur, praemittenda erunt omnia alia remedia a sanctis patribus praescripta; adeout, si fieri potest, communi omnium et privatae singulorum fratrum aedificationi et saluti prospiciatur.

CAP. ULTIMUM. — *Monita generalia pro observatione constitutionum.*

Particulares constitutiones si opus sit fieri, a quibus faciendae.

I. Ut defectibus in Ordinem sensim irrepentibus occurratur, et religiosa perfectio conservetur vel etiam augeatur, possunt aliquae novae constitutiones pro toto Ordine praesentibus addi, quae eamdem vim ac robur habeant, sive nonnullae ex iis mutari vel abrogari; dummodo regula, quae in prioris partis capitibus duodeviginti continetur, intacta maneat, idque non aliter fiat, nisi in congregatione generali. Insuper pro bono particularium monasteriorum possunt ab abbate generali aut congregatione hegumenorum, vel a visitatoribus a generali vel hegumenorum congregatione deputatis, aliquae particulares constitutiones fieri, quae tamen generalibus hisce constitutionibus expresse non adversentur, sed iis, quantum fieri potest, accommodentur.

Explicatio regulae ad solum abbatem pertinet.

II. Explicatio constitutionum et regulae pertinet ad solum abbatem generalem cum consilio hegumenorum; isque erit genuinus earum sensus, in quem maior pars congregationis hegumenorum consenserit.

III. Omnes abbates tenebuntur habere in quolibet monasterio duo saltem exemplaria regulae et constitutionum, tam generalium quam particularium, si quae sunt proprii monasterii; illasque in publicâ mensâ aut congregatione faciant legi fratribus, sub poenâ suspensionis ab officio, quolibet mense, die determinandâ per congregationem generalem. Idque intelligitur de primâ, secundâ et quintâ parte; nam tertia et quarta pars constitutionum legi debent semel in anno, die item per congregationem generalem determinandâ.

IV. Et quia per vigilantiam aut socordiam superiorum ut plurimum profectus aut defectus monachorum in Ordine constant, idcirco omnes superiores in Domino monentur, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso. Ac propterea omni studio invigilent, ut quae ex disciplinâ sancti patris nostri Antonii et ex regulis sanctorum patrum nostrorum Pachomii et Basilii aliorumque sanctorum in hoc codice collecta sunt, quaeque maxime circa vota Ordinis, chorum, orationem mentalem, ieiunium, aliaque spiritualia exercitia praescribuntur, omnia et singula adamussim observentur; intelligantque super his, veluti fundamentis, totius monastici instituti aedificium construendum et ampliandum esse.

Ut vero omnia ordinate peragantur, monachus quisque officii sui regulas seu constitutiones in tabulâ vel codice scriptas apud se habeat, eaque diligenter perlegat et observare satagat.

Ad laudem et gloriam Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et ad honorem sanctissimae Virginis Deiparae Mariae, et sancti patris nostri Antonii, omniumque Sanctorum. Amen.


INDICES

HUIUS QUINTI VOLUMINIS

INDEX

ROMANORUM PONTIFICUM QUORUM ACTA
IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

Gregorius PP. XVI. . . . . *pag.* 5.



INDEX INITIALIS

GREGORIUS PP. XVI.

Accepimus *pag.* 131.
Accepimus benevolo 151.
Accepimus literas 304.
Acceptis 134.
Ad augendam fidelium 40.
Ad apostolicae potestatis 243.
Ad caeteras animi 220.
Ad faciliorem 23.
Ad supremi apostolatus 186.
Ad supremum 88.
Ad supremum totius 294.
Ad universi 369.
Aeterno rerum 91.
Afflictas in Tunquino 229.
Allatae nobis. 26.
Anno iam 150.
Apostolatus officium 5.
Apostolatus officium 16.
Apostolatus officium 25.
Apostolatus officium 35.
Apostolatus officium 45.
Apostolatus officium 71.
Apostolatus officium 179.
Apostolatus officium 193.
Apostolatus officium 198.
Apostolatus officium 226.
Apostolatus officium 228.
Apostolatus officium 292.
Apostolatus officium 310.
Apostolatus officium 329.
Apostolatus officium 341.
Apostolatus officium 362.
Apostolatus officium 364.
Apostolicam sollicitudinem 233.
Apostolici ministerii 156.
Apostolici ministerii munus 158.
Apostolici ministerii 299.
Apostolici muneris 161.
Apostolici nostri 62.
Benedicentes Domino 30.
Benedictus Deus 102.
Beneficentissime 235.
Binas nuper 291.
Caritatis viscera 76.
Charitas illa 56.
Catholicae Ecclesiae 167.
Certiores facti 249.
Commissi nobis 135.
Commissum 122.
Coelestem agricolam 140.
Cum ad augendam 254.
Cum ad iurgia 256.
Cum ad ecclesiastica 214.
Cum amaritudine 227.
Cum Christifidelibus 215.
Cum de infelici 106.
Cum Ecclesia 29.
Cum ex pastoralis 194.
Cum ex recta religiosar. familiarum 298.
Cum ex testimoniis 258.
Cum graves 257.
Cum gravissimis 296.
Cum in sublimi 127.
Cum monachorum 352.
Cum nobis 161.
Cum nobis vel 118.
Cum nobis innotuerit 216.
Cum nos 62.
Cum nos electionem 350.
Cum nos electionem 309.
Cum nos hodie 259.
Cum nos hodie 289.
Cum novus 296.
Cum novus ac 297.
Cum ob 199.
Cum sicut 13.
Cum per obitum 217.
Cum per similes 254.
Cum per similes nostras 255.
Cum per similes apostolicas 255.

Cum per similes nostras apost. 300.
Cum per similes apostol. 342.
Cum ven. frater 48.
Cum ven. frater 190.
Cum ven. frater 209.
Cuncta provide 207.
Decet Rom. Pont. 344.
De Conchinchinae 265.
De universi Dom. gregis 298.
De universi 301.
De universi Dom. gregis 211.
Divina disponente 315.
Divino penitus 162.
Dominici gregis 11.
Dominico gregi 184.
Dominici gregis 212.
Dominici gregis 301.
Dudum nos 282.
Dum acerbissimas 148.
Ea semper 120.
Ecclesiae universae 331.
Epistola vestra 169.
Ex debito pastoralis 98.
Ex debito pastoralis 203.
Ex debito pastoralis 293.
Ex debito pastoralis officii 342.
Ex debito pastoralis officii 359.
Ex debito pastoralis officii 360.
Ex debito 20.
Ex debito pastoralis 203.
Ex debito 203.
Ex debito 205.
Ex debito 311.
Ex debito 332.
Ex debito 361.
Ex literis quas 274.
Ex literis tuis 303.
Ex literis fraternitatis 305.
È lungo tempo 283.
Etsi dubium 47.
Etsi praeceptum 92.
Ex munere pastoralis 108.
Ex munere 119.
Ex munere 168.
Ex munere 172.
Ex munere 182.
Ex munere 212.
Ex munere 291.
Ex pastoralis 221.
Ex pastoralis 222.
Ex pastoralis ministerii 182.
Ex pastoralis officii 363.
Ex sublimi Petri 311.
Exponendum 82.
Exponendum 357.
Exponi nobis 20.
Gratissimae nobis 321.
Gravissimum munus 152.
Gratum nobis 90.
In apostolicae sedis 222.
In amplissimo 246.
Ineffabili Dei providentia 110.
Incedendis ad 84.
In eminenti Beati 100.
In consistorio a nobis 317.
In hac suprema 41.
In sublimi 77.
In sublimi 79.
In sublimi Principis 84.
In supremo 73.
In supremo 173.
In suprema militantis 319.
In suprema 351.
In supremo episcopatus 269.
In supremo 223.
Inter gravissimas 31.
Inter praeclara 89.
Inter sacras virgines 85.
Inter multiplices 285.
Inter praecipuas 121.
Inter praecipuas 147.
Inter praecipuas 333.
Ineundae nobis 182.
La moltiplicità 165.
Latissimi terrarum 95.
Libenter semper 210.
Licet indubia 356.
Literis pridie 65.
Literas in tempore 86.
Literas tuas 90.
Literas accepimus 160.
Literas quas 173.
Literas tuas datas 286.
Magno animi 10.
Maximas inter 70.
Maximas inter gravissimasque 99.
Melchitarum 130.
Mirari vos arbitramur 49.
Monachorum 357.
Multa praeclare R. P. 195.
Muneris apostolici 248.
Non sine magno 30.
Non sine iucunda 266.
Non sine gravi 366.
Nuncium ad te 316.
Onerosa pastoralis 191.
Onerosa pastoralis officii cura 345.
Pastorale officium 9.
Pastorale officium nobis 23.
Pastorale officium 46.
Pastorale officium 47.
Pastorale officium 69.
Pastorale officium 157.
Pastorale officium 227.

Pastorale officium 250.
Pastorale officium 257.
Pastorale officium 264.
Pastorale officium 319.
Pastorale officium 204.
Pastorale officium 213.
Pastorale officium 343.
Pastorale officium nobis 227.
Pastoralis muneris 361.
Pastoralis officii 351.
Pastoralis officii impellente 74.
Pastoralis officii 102.
Pastoralis officii 105.
Pastoralis ministerii 154.
Pastoris aeterni 295.
Paterna sollicitudo 116.
Paterna qua 55.
Permulta 206.
Per similes nostras 330.
Perlatum ad nos 277.
Perlatae dudum 96.
Perlatae dudum ad 121.
Pietatem ac religionem 80.
Pietatem tuam 171.
Piorum hominum 18.
Plurima inter 302.
Plures accepimus 258.
Probe nostis 250.
Pontificii muneris ratio 268.
Quanta laetitia 353.
Quamvis per similes 284.
Quas Ecclesia Catholica 232.
Quae olim a 327.
Quas vestro 272.
Quae nuncia 219.
Quo cor nostrum 256.
Quod olim 321.
Quum per dimissionem 6.
Quum ob peculiares 15.
Quum dilectae 27.
Quum nostris literis 34.
Quum ven. frater 22.
Quum dilectus 263.
Quum ad componenda 328.
Quum ex apostolici 340.
Quum mandurensis 365.
Romanae Ecclesiae 36.
Romanam Ecclesiam 159.
Rediens istinc 164.
Religionis propagandae 180.
Romanorum indulgentia 187.
Romani Pontificis 260.
Romani Pontificis quam 287.
Romani Pontificis 305.
Sedium episcopalium 7.
Singulari, ut nosti 183.
Singulari divinae 200.
Singulari nos 338.
Sollicitudo ecclesiarum 14.
Sollicitudo omnium 136.
Studium paternae 154.
Summi consilii 19.
Summis saepe 28.
Summo iugiter 42.
Ubi primum 238.
Ubi universalis 241.
Universi Dominici gregis 107.
Universi Dominici 178.
Universi Dominici 189.
Universi Dominici 189.
Universi Dominici 190.
Universi Dom. gregis salus 215.
Universi Dominici 267.
Universi Dominici 271.
Universi Dominici 276.
Universi Dominici 283.
Universi Dom. gregis curam 318.
Universo Dominico gregi 355.
Volentes nos 18.
Volentes nos sacrae 61.



INDEX RUBRICARUM

GREGORIUS PP. XVI.

CONSTITUTIO I. Franciscum Xaverium a S. Anna, munus missionarii apostolici exercentem apud Vic. Apost. Bombay, Episcopum Amaten. elegit. *pág.* 5.
II. Episcopum Amaten. Vic. Ap. provinciae Serrae Malabarium constituit. 6.
III. Erectio ecclesiae cathedralis Galviensis, eiusque subiectio iuri metropolitico Archiepiscopi Tuamensis. 7.
IV. Deputat visitatorem apostolicum, qui nomine S. Sedis gubernium assumat ecclesiae et dioecesis Naxiensis. 9.
V. Deputat visitatorem apostolicum Ecclesiae Smyrnensis. 10.
VI. Deputat visitatorem apostolicum, ut in regionibus Mexicanis regularium omnium disciplina reintegrari possit. Ibid.
VII. Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui interfuerint missae Conceptionis celebrandae in conventu Sancti Didaci civitatis Sanctae Fidei de Bogota in America. 13.
VIII. Confirmat praedecessorum constitutiones quibus cautum habetur, ne quid iuris quisque sibi asserat ex titulis quomodocumque eidem tributis in literis, constitutionibus, aliisque actibus nomine S. Sedis expeditis. 14.
IX. Insulae Mauritii, loco Eduardi Bedae Slater, Iacobum Bramston visitatorem ap., iuxta modum, eligit. 15.
X. Episcopalem ecclesiam Galviensem providet in persona Gregorii Browne. 16.
XI. Deputat visitatorem apostolicum pro inquisitione status coenobii et collegii fratrum minorum Sancti Francisci Reformatorum in Sancto Petro in Montorio urbis. 18.
XII. Privilegia concessa sodalitati Sancti Dominici civitatis Fluminis Ianuarii in Brasiliae regno confirmat. Ibid.
XIII. Confirmat decretum a sacra Congregatione de Propaganda Fide editum super iurisdictione Episcopi Arathensis in partibus infidelium. 19.
XIV. Erigit Vicariatum Apostolicum in regno Coreae. 20.
XV. Vicarium Apost. Concincinae et Campodiae concedit eligere coadiutorem cum futura successione et episcopali charactere ab ipso insignitum. Ibid.
XVI. Vicario Apost. Siamensi concedit coadiutorem eligere cum futura successione, eumque Episcopum consecrare. 21.
XVII. Erectio Vicariatus Apostolici in regno Coreano. 22.
XVIII. Unio dioecesium Uraniensis et Subsylvaniensis Basileensi apud Helvetios. 23.
XIX. Aloysium Lastaria ep. eligit eccl. Zacinthien. et Cephalonien. canonice perpetuo unitarum. 25.
XX. Imminutio festorum in dioecesibus Hildesiensi et Osnaburgensi. 26.
XXI. Archiepiscopum Dublinensem visitatorem Apost. constituit monasterii S. Mariae de Cabra Ordinis S. Dominici, prope Dublinum. 27.
XXII. De Archiepiscopo Hierapolitano Maronitarum R. P. D. Paulo Arutin ad montem Libanum vocando, et de regimine illius ecclesiae interea alia ratione procurando. 28.
XXIII. Cessatio administrationis dioecesis Graeco-Melchitarum Hierapolis Archiepiscopo Fergulensi collatae, et electio novi Archiepiscopi Hierapolitani Graeco-Melchitae in personam venerabilis fratris Ignatii Patriarchae Antiocheni Melchitarum. 29.
XXIV. Patriarchae Syrorum R. P. D. Petro Giarve commendat, ut ad montem Libanum revertatur, et in monasterio Sancti Ephrem resideat. Ibid.
XXV. Praecationem *Rosarii Perpetui* ap-

probat et recitantibus indulgentias concedit. 30.
XXVI. Reformatio consuetudinum in exercitio religionis catholicae pro Armenis catholicis urbis Constantinopolitanae. 31.
XXVII. Paulum Hilarium Contrezy Vicarium Apostolicum Siamensem iuxta modum eligit. 34.
XXVIII. Ecclesiae Babylonensi Latinae Dominicum Marcellinum in Episcopum praeficit. 35.
XXIX. Armenis Romae degentibus ecclesiam Sancti Blasii Basilicae Vaticanae filialem cum adnexis concedit, pro hospitio erigendo sub dependentia S. C. de P. F., cuius Praefectus eorum Armenorum Protector et Secretar. Primicerius etc. 36.
XXX. Concedit indulgentias assequendas ab eis, qui visitaverint aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Recollectorum nuncupatorum dioecesis S. Fidei de Bogota in Indiis. 40.
XXXI. Deputatio visitatoris apostolici dioecesis Smyrnensis. 41.
XXXII. Praemissis Ecclesiae legibus et praxi circa matrimonia mixta, deplorat errores et conatus eorum qui haec matrimonia defendunt; ad illosque evertendos, laudato primum Episcoporum obsequio erga Sedem Apostolicam, ab iis inculcandum fidelibus et clero, docet: 1. extra ecclesiam, uti sunt haeretici cum quibus contrahuntur ea coniugia, non dari salutem: 2. matrimonia illa esse omnino illicita, aut saltem non sine dispensatione et consuetis conditionibus iniri posse: 3. dispensatione et conditionibus non praemissis, parochos in Bavariâ nec praesentiam praestare iis matrimoniis, nec proclamationes facere posse: 4. tandem nulla haberi debere, adeoque impedienda, coniugia, cum una ex partibus viventem habeat coniugem alterius matrimonii, nisi matrimonium hoc nullum fuisse ecclesiastico iudicio constiterit. 42.
XXXIII. Theodorum Giud coptici ritus Episcopum ecclesiae Halyen eligit. 45.
XXXIV. Episcopum Halyen coptum catholicae Coptorum nationis Vic. Apost. eligit. 46.
XXXV. Erigit Vicariatum Apost. Madraspatanum in Indiis Occidentalibus. Ibid.
XXXVI. Respondet gratulationibus et obsequio Patriarchae Maronitarum nomine totius nationis novo Pontifici praestitis, eumque certiorem reddit, Collegium Maronitarum Romae nondum restitui posse, alumnos tamen, ad quos mittendos eum solicitat, instituendos fore in Collegio Urbano. 47.
XXXVII. Vicario Apost. Tunquini Occidentalis facultatem concedit coadiutorem cum futura successione eligendi. 48.
XXXVIII. Sanctissimi Domini nostri Gregorii divina provid. Papae XVI. Epistola Encyclica *Divina vos* ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos. 49.
XXXIX. Confirmatio privilegiorum et indultorum iam concessorum congregationi Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum. 55.
XL. Deputatio visitatoris apostolici pro curanda catholicae religionis procuratione et conservatione in dioecesibus Peruvianis. 56.
XLI. Deputatio visitatoris coenobii et collegii fratrum minorum Sancti Francisci Reformatorum in Sancto Petro in Montorio Urbis. 61.
XLII. Deputatio visitatoris apostolici collegii a Sancto Antonio in Urbe fratrum Minorum S. Francisci Conventualium. 62.
XLIII. Reintegratio dioecesis Modrusiensis cum suis privilegiis. Ibid.
XLIV. Facultas sumendi reliquias corporis S. Augustini doctoris et Episcopi, data Episcopo Papiensi cum legibus servandis pro aperienda arca marmorea, in qua corporis reliquiae asservantur. 64.
XLV. Episcopo Antifellensi et Bombain. Vicario Apostolico committit interim Vicarii Apost. Madraspatani munus. 69.
XLVI. Erigit sedem episcopalem in civitate Detroit Americae Septemtrionalis, quae comprehendat provincias Michigan et Nost-West, ab Archiepiscopo Baltimorensi iure metropolitico dependentem. 70.
XLVII. Confirmat nominationem ab Imperatore Austriae factam pro ecclesia Archiepiscopali Leopolien. armeni ritus. 71.
XLVIII. Deputatio legati apostolici extraordinarii apud totius Haitarum reipublicae praesidem, ut cum eo ecclesiastica negotia componat. 73.

XLIX. Peracta Visitatione Apostolicâ Coenobii et Collegii missionum S. Petri in Montorio, ex mente Visitatoris Apostolici statuit: 1. Coenobium et Collegium subiiciendum esse immediate ministro generali Ordinis, dependenter tamen a sacra Congregatione; 2. removendum esse ab eo studium philosophiae; 3. servandam in eo esse vitam communem perfectam; 4. instaurandam esse observantiam Brevis *Crediti nobis* Clementis IX. 74.

L. Privilegia concessa sororibus Caritatis nuncupatis a Sancto Vincentio a Paulo. 76.

LI. Deputatio delegati Sedis Apostolicae ad obeunda negocia ecclesiarum orientalium. 77.

LII. Descripta extensione missionum Congregationi SS. Cordis Iesu et Mariae in Oceania commissarum, Vicarium Apostolicum ad eas regendas constituit charactere episcopali decorandum, cui subsint etiam Praefecti Apostolici earumdem missionum, et munus illud confert Stephano Rouchouze presbytero eiusdem Congregationis. 78.

LIII. Honores et privilegia tributa sodalitio seu confraternitati tertii ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo civitatis Sancti Salvatoris in Brasilia. 80.

LIV. Imminutio festorum in dioecesi de Buenos Ayres in Indiis Occident. 82.

LV. Erectio in sodalitatem tertii Ordinis Sancti Francisci de Paula confraternitatis erectae in ecclesia beatae Mariae Virginis Bonae Mortis oppidi S. Salvatoris dioecesis Fluminis Ianuarii. 84.

LVI. In patrocinium suum recipit monasterium Ord. S. Benedicti Connington in Anglia; S. R. E. Card. Weld visitatorem monasterii constituit, suspensa ceterorum iurisdictione etc. Ibid.

LVII. Mittit ad Archiepiscopum Primatem Constantinopolitanum Armenorum responsiones S. Congregationis auctoritate pontificiâ confirmatas ad dubia ab eo proposita, dilatâ responsione quoad Ritualem librum, eique animos addit ad difficultates, quibus in ministerio sacro premitur, divinâ ope imploratâ superandas. 86.

LVIII. Privilegia concessa confraternitati beatae Mariae Virginis de Mercede in templo Deiparae Puerperae dicato civitatis Fluminis Ianuarii. 87.

LIX. Confirmat constitutiones instituti sororum Caritatis Dublini. 89.

LX. Plaudet laboribus a Praefecto et Missionariis Congreg. Gallicanae SS. Cordium Iesu et Mariae in Insulis Sandwichianis exantlatis, eos hortatur ad pergendum, et Praefecto nunciat, concessisse per S. Congregationem facultates requisitas. 90.

LXI. Patriarchae Armenorum Ciliciae de rebus eius ecclesiam respicientibus respondet. Ibid.

LXII. Imminutio festorum in dioec. Novae Granatae in America Meridionali. 91.

LXIII. Imminutio festorum in variis dioecesibus Americae Meridionalis. 92.

LXIV. Aucto in Tunetanâ missione fidelium numero, illuc mittit Visitatorem Apostolicum fr. Angelum de Planella Ord. Min. Capuccinorum, ut inquirat, non solum an numerus missionariorum sit augendus, sed etiam an missionariis novae praescribendae sint regulae, quas si ipse ferat, statim illi observare teneantur, donec S. Congregatio de iis aliter iudicaverit. 94.

LXV. Vicarium Ap. Calcuttae constituit immediate a S. Sede dependentem, cui gubernium committit Calcuttae eiusque politicae praefecturae, exceptis regionibus subiectis Vic. Ap. Thibetis Avae et Pegu, nulla habita ratione de goano patronatu. 95.

LXVI. Episcoporum Concilii II. provincialis Baltimorensis, qui eius acta et decreta miserant, zelum et obsequium erga Sedem Apostolicam laudibus effert, eosque ad maiora semper incrementa ecclesiis suis afferenda excitat. 96.

LXVII. Confirmat erectionem vicariatus apostolici Madraspatani. 98.

LXVIII. Erigit episcopatum Vincennopolitanum in India in foederatis Americae septemtrionalis provinciis Archiep. Balthimorensis suffraganeum. 99.

LXIX. Dismembratio quatuor paroeciarum ab episcopatu Emeritensi, et unio atque incorporatio perpetua earumdem dioecesi Sanctae Fidei de Bogota in territorio Novae Granatae Americae Meridionalis. Ibid.

LXX. Constitutio Vicariatus Apostolici Novae Hollandiae. 102.

LXXI. Circumscriptio dioecesum in provinciis foederatis Americae Septemtrionalis. Ibid.

LXXII. Constituit Delegatum Apostolicum in novo Graeciae regno. 105.

LXXIII. Praesidi Haitarum Reipublicae nunciat commisisse Episcopo Carolopolitano spiritualem curam totius insulae Haitanae, cum extraordinariis facultatibus; rogat ut removeantur impedimenta ex quibusdam legibus posita libero exercitio ecclesiasticae iurisdictionis etc. Ibid.

LXXIV. Collatio muneris legati pro insula Sancti Dominici facta Episcopo Carolopolitano. 107.

LXXV. Erectio Vicariatus Apostolici in regno Sardhanae principis Ioannae Sombre Begum principatum comprehendentis in Indiis Orientalibus. 108.

LXXVI. Erectio cathedralis ecclesiae in civitate Sancti Ioannis de Cuyo in America Meridionali. 110.

LXXVII. Collegium Illyricum Lauretanum cum suis privilegiis restituit et Soc. Iesu regimini committit. 116.

LXXVIII. Confirmatio et ampliatio privilegiorum congregationis oratorii Sancti Philippi Nerii in civitate de Pasto dioecesis Quitensis. 118.

LXXIX. Erigit Vicariatum Apostolicum in insula Ceylan in Indiis Orientalibus, et vic. sedem constituit in urbe Columbi. 119.

LXXX. Revocatio literarum apostolicarum Urbani VIII., quibus ob gravia temporum adiuncta concesserat, ut seminariorum seu collegiorum Hiberniae extra Hiberniam existentium alumni sine literis dimissoriis propriorum Ordinariorum possent ad sacros Ordines promoveri. 120.

LXXXI. Encyclica ad Archiepiscopum Baltimorensem et Episcopos eius suffraganeos, de synodi secundae Baltimorensis provincialis celebratione. 121.

LXXXII. Deputatio visitatoris apost. in patriarchatu Chaldaeorum. Ibid.

LXXXIII. Cum universo Helvetiae clero conqueritur de conventu Badensi a quibusdam laicis habito contra Ecclesiae constitutionem, et errores in eo ab eis adfirmatos damnat. 122.

LXXXIV. Deputatio visitatoris apostolici omnium religiosorum ordinum extantium in nova Granata. 127.

LXXXV. Damnatio synodi Antiochenae Graecorum Melchitarum Carcaphae anno millesimo octingentesimo sexto habitae, et proscriptio libri, in quo eiusdem acta et decreta typis impressa continentur. 130.

LXXXVI. Confirmat literas *Inter sacras virgines* quibus monasterium monialium in Cannington sub S. Sedis patrocinio posuit. 131.

LXXXVII. Archiepiscopo Primati Armeno Constant. scribit super exortis controversiis de literis S. C. de P. F. 134.

LXXXVIII. Confirmat institutionem Vicarii Ap. Calcuttae anno anteriori decretam; eiusque iurisdictionem super ecclesias FF. Ordinis S. Augustini inter limites vicariatus existentes declarat iuxta decretum S. Cong.; derogat constitutioni Pauli V. regiones illas iurisdictioni Episcopi Meliaporensi subiicienti, et ad Vic. Apost. pertinere decernit, qui immediate a Sede Apost. pendeat titulo Vic. Apost. Bengalensis, loci solus Ordinarius. 135.

LXXXIX. Dismembratio paroeciarum a dioecesi de Quito et earum unio dioecesi Popayanensi in America Meridionali. 136.

XC. Erectio novae cathedralis ecclesiae Pampelonensis in America. 140.

XCI. Visitatorem Apost. delegat ad Chaldaeos, per S. Congr. in eo munere gerendo instruendum. 147.

XCII. Damnatio operum Georgii Hermes Germani. 148.

XCIII. Electionem Maximi Mazlum Arch. Myrorum in Patriarcham Antiochenum Graeco-Melchitarum confirmat. 150.

XCIV. Aversionem probans sibi manifestatam ab Episcopo Basileensi consilii Solodurensis et gubernii Bernensis ab articulis conventus Badensis a Sede Apostolicâ damnatis, improbat facultatem ab eodem Episcopo datam parocho Filisbacensi proclamandi absque stolâ matrimonia mixta, licet pars acatholica alteri coniugi sit alligata, etsi ab eo divisa. 151.

XCV. Ad revocandum ad pristinum institutum Collegium Missionum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantiâ in conventu S. Bartholomaei in Insula Tiberis existens, Visitatorem Apostolicum deputat Carolum Mariam S. R. E. Cardinalem Pedicini. 152.

XCVI. Cum Vicarius Apost. Coreae in hoc regnum ingredi non posset, addit Vicariatui Coreano regnum Lieu Kieu, ubi Vicarius residere possit, et utrique regno ministerium suum exhibere. 154.

XCVII. Occasionem dissidiorum inter Armenos Constantinopolitanos exortorum post decreta a Sede Apostolicâ (anno MDCCCXXXII.) lata circa ritus ibi servandos, eosdem Armenos, iudicatâ ratione eorumdem decretorum, hortatur ut in unitate spiritus concordes, eisdem decretis se conforment, insuper etiam proprio Archiepiscopo Primati subiiciantur. 154.

XCVIII. Separat a dioecesi Quebecensi districtum Marianopolitanum in inferiori Canada, et in novam erigit dioecesim ab Apostolicâ Sede immediate dependentem, cum sede in urbe Marianopolit., assignatis ecclesiâ Cathedrali et clero qui novo Episcopo subiici debeat, et datâ eidem Episcopo facultate Capitulum Cathedrale constituendi. 156.

XCIX. Vicarius Apostol. charactere episcopali insignitum Ioannem Baptistam Pompellier Congregationis Marianae Lugdunensis in eâ Oceaniae parte constituit quae eiusdem Congregationis curae commissa est, et cuius terminos describit. 157.

C. Ad missiones Capuccinorum in Mari Aegeo, Asiâ Minori et Constantinopoli rectius dirigendas, earum Visitatorem deputat Iosephum Angelum Fazio eiusdem Ordinis electum Episcopum Tipasitanum in part. infid. datâ ei potestate regulas etiam in iisdem missionibus statuendi, quae vim habeant donec a S. Congregat. secus decernatur. 158.

CI. Collegium Hibernorum Urbis ex Ginnasiano domicilio transfert ad domum et templum S. Agathae in Suburra, utriusque usum eidem Collegio tribuens, salvo tamen iure S. R. E. Cardinalis Diaconi Titularis pro tempore, ac servatis Collegio privilegiis iam concessis. 159.

CII. Gaudet de novâ ad Ecclesiae unitatem accessione quingentorum schismaticorum ex oppido Lugos sibi ab Episcopo Csanadiensi relatâ, praeter illam plurium millium quae biennio ante contigerat, eiusdemque Episcopi et per eum cleri ipsius zelum excitat ad nova Ecclesiae incrementa verbo ac praesertim exemplo provehenda. 160.

CIII. In Orâ Coromandalicâ Vicariatum Apostolicum erigit, qui complectatur regiones curae presbyterorum Seminarii Parisiensis missionum ad Exteros concreditas. 161.

CIV. Visitatorem monasterii S. Clarae ord. S. F. prope Dublinum instituit. 161.

CV. Ex mente Visitatoris Apostolici collegium missionum S. Bartholomaei in Insulâ Tiberinâ S. Francisci Observantium separat a provincia Romana ac subiicit immediate ministro generali; iubet insuper ut ex collegio amoveatur quamprimum prilosophiae studium et inducatur vita communis; statuit quae esse debeat collegii dependentia a S. Congregatione; praecipit tandem ut in ceteris servetur Clementis XI. constitutio. 162.

CVI. Praesidi Reipublicae Haitarum mittenti Delegatum Apostolicum cum articulis conventis ad ordinandum regimen ecclesiasticum in iis regionibus respondet, illos confirmari non posse, nisi antea removeantur impedimenta quae oriuntur ex legibus civilibus, et cautum sit tum de auctoritate ecclesiastica exercenda, tum de clero instituendo et sustentando. Rursus itaque Delegatum Apostolicum in eum mittit sperans collatis simul consiliis omnia ad rectam normam conformatum iri. 164.

CVII. Cardinali pro-Datario tradit regulas sequendas super petitiones dispensationum matrimonialium. 165.

CVIII. Vicariatum constituit in Indiis pro populis degentibus ad orientem montium Gates et a flumine Chavery ad promontorium Comorinum; ipsos vero eximit a iurisdictione Arch. Goani et aliorum Episcoporum, quam confert Vic. Apost. Societatis Iesu. 167.

CIX. Erigit Vicariatum Apostolicum in insulâ Ceylan, sublatâ cuicumque Ordinario in eam insulam iurisdictione; Vicarium autem Apostolicum insigniri charactere episcopali, et a Sede Apostolicâ tantum pendere decernit. 168.

CX. Fratribus Ordinis S. Augustini Calcuttae renuentibus se Vic. Ap. subiicere, ac Lusitanum Episcopum poscentibus, exponit rationes quibus ductus fuit Vicariatum Apost. erigere in territorio a Meliaporensi dioecesi distracto; eos paterne hortatur ne schismati iam incepto a Vic. Meliaporensi adhaereant etc. 169.

CXI. Superiorum literarum exemplar mittit ad Vicarium Capitularem dioecesis Goanae, eumque excitat ad retrahendos fratres Ordinis S. Augustini et

Vicarium Meliaporensem ab inchoato schismate, et adducendos ad obedientiam Sedi Apostolicae debitam. 171.
CXII. A latissimo SSmae Trinitatis Vicariatu Apostolico in Indiis Occidentalibus separat insulam Iamaicam, quam cum suis dependentiis et insulis, quae Lucayae seu Bahamae dicuntur, et cum coloniâ Anglicanâ Honduras in peculiarem erigit Vicariatum Apost. 172.
CXIII. Patriarchae Antiocheno Syrorum gratum exprimit animum, quod retulerit schismaticorum Nabehensis dioecesis ad Ecclesiam reditum, partos insuper per Delegati Apostolici labores fructus, et decretam Calendarii Gregoriani adoptionem. Scire tamen optat utrum omnes Episcopi in hoc adoptando convenerint, et adoptio tranquille peracta fuerit. Luget denique immaturam Delegati Apostolici et eius Vicarii generalis mortem. 173.
CXIV. Dismembratio et erectio novae ecclesiae cathedralis in civitate Guayaquilensi in America Meridionali. Ibid.
CXV. Statutâ iam separatione Aegypti et Arabiae a Vicariatu Apostolico Hierapolitano (Aleppensi), ut novus ibi constituatur Vicarius Apostolicus, qui ad Nubiam quoque et Abyssiniam missiones extendere satagat, Iosephum Angelum Fazio Episcopum Tipasitanum illuc mittit Visitatorem et Administratorem Apostolicum, ut edoceat quidquid opus sit ad novi Vicariatus erectionem, ac interim missionibus regendis opportunas tradat regulas, si indigeant. 178.
CXVI. Archiepiscopali ecclesiae Iconien. providet. 179.
CXVII. Vicarium capitularem Goanae Dioecesis certiorem facit de nova Vicariorum Apostolicorum in Indiis constitutione non obstante patronatu regis Lusitaniae. 180.
CXVIII. Episcopo Marianopolitano in Canada Inferiori nunciat, se Coadiutorem ab ipso petitum constituisse, pro quo literas apostolicas adnectit, eique et Coadiutori impense commendat Seminarium Sancti Sulpitii eiusque sacerdotes valde fidei catholicae benemeritos. 182.
CXIX. Gujanam Britannicam seu Demeraryam seiungit a Vicariatu Apostolico SSmae Trinitatis, illamque in novum Vicariatum Apostolicum erigit. Ibid.
CXX. Condolet cum Principe Davide Sombre de aviae eius Principis Sirdhanae morte; agit de tabula picta quam Romam ipse mittit, de pecuniis a defuncta piis operibus destinatis; ac de discessu, quem improbat, ab India Vicarii Apostolici, eique significat cum ipso principe Romam adventuro de iuvanda in iis regionibus religione se acturum. 183.
CXXI. Restitutio subiectionis episcopalis ecclesiae Chiapensis Archiepiscopo Mexicano. 184.
CXXII. Electionem vicarii cum futura successione a Vic. Ap. Tunkini factam approbat, et electum exhortatur ad muneris susceptionem. 186.
CXXIII. Dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis Zacynthi gestare permittit hiberno tempore cappam violaceam superius ornatam pellibus albae mustellae, servato aestivo tempore palliolo seu *mozzetta*. 187.
CXXIV. Novum in Promontorio Bonae Spei vicariatum apostolicum erigit a Vicariatu Insulae Mauritii distinctum, et eidem praeficit Raymundum Griffith. 188.
CXXV. Subtractam a iurisdictione Episcopi Novae Aureliae in America Septentrionali provinciam Missisipii in novum episcopatum erigit cum sede in Urbe Natchez. 189.
CXXVI. Erigit episcopatum Dubuquensem in territorio Visconsin in America septentrionali, quod proinde eripit a iurisdictione Episcopi S. Ludovici. Ibid.
CXXVII. Novam sedem episcopalem erigit in urbe Nashville in America septentrionali, cui tota subiiciatur provincia Tenessensis, hactenus subdita Episcopo Bardensi. 190.
CXXVIII. Vic. Ap. Bombaini coadiutorem in vicariatu eligere concedit cum futura successione. Ibid.
CXXIX. Provisio patriarchalis eccl. Constantinopolitanae, per translationem vacantis, pro Antonio Maria Traversi translato praesente, cum retentione canonicatus Basilicae S. Mariae Maioris ac omnium compatibilium. 191.
CXXX. Archiepiscopum Chalciden. in Constantinopol. Metrop. Primatem armeni ritus eligit. 193.
CXXXI. Visitatorem eligit pro provincia Bosniensi Lucam Costan FF. MM. Ord. S. Francisci. 194.

CXXXII. Rationes quibus ductus instituerit vicariatum ap. in Indiis Orientalibus ostendit, non obstante Regis Lusitani patronatu; declarat Vic. Apost. earum regionum esse Ordinarios locorum, atque a S. Sede immediate pendere, sublata quavis iurisdictione etiam Archiep. Goae. 195.

CXXXIII. Ignatium Paparian Archiepiscopum Eccles. Taronensis armeni ritus in Armenia Maiori, in partibus infidelium, eligit. 198.

CXXXIV. Ignatio Paparian electo Archiepiscopo Taronensi armeni ritus superiorib. lit., committit in Urbe pontificalia et sacras ordinationes iuxta illius ecclesiae ritus peragere. 199.

CXXXV. Iuliam Caesaream vulgo *Algeri* in episcopalem ecclesiam erigit. 200.

CXXXVI. Instaurat in Sinis Vicariatum Apost. Huquang, qui a pluribus annis erectus Vicarii Ap. Xansi et Xensi administrationi concreditus fuerat. 203.

CXXXVII. Abdicata a Vicario Apostolico Fo-Kiensi in Sinis administratione provinciarum Tche-Kiang et Kiang-si, duas hasce provincias in duos peculiares Vicariatus Apostolicos erigit. Ibid.

CXXXVIII. Erigit seu restituit provinciam Huquang imperii Sinarum in distinctum Vic. Ap. eique praeficit Aloisium Fontana Epis. Siniten. Vic. Ap. Sutchuensem. 204.

CXXXIX. Vicariat. Apostolicum erigit in provinciâ Leao-tung, eum separans ab episcopatu Pekinensi, ac novo Vicario Apostolico eligendo tradendam decernit iurisdictionem in eas Mongoliae et Mantchuriae partes, quae ereptae Episcopo Pekinensi nulli Vicario Apostolico commissae sunt. 205.

CXL. Facultates matrimoniales a Benedicto XIV. concessas Ordinariis, Vic. Ap. Sinarum et regnorum finitimorum ac presbyteris ab eis deputandis renovat ad viginti quinque annos. 206.

CXLI. De sedis episcopalis in Algeria erectione deque vulneribus in regno Borussiae Cathol. Eccl. inflictis etc. 207.

CXLII. Coadiutorem cum futura successione Patriarchae Babylonensis Chaldaeorum, vel successorem si Patriarcha iam decesserit, deputat Nicolaum Isaiam Iacobi Archiepisc. Hadirbegian eiusdem ritus. 209.

CXLIII. Properanti primum Episcopo Algeriano ad propriam dioecesim post visitationem sacrorum liminum, plura tradit munera sacra ad ecclesiam cathedralem deferenda, eique stimulos addit ad zizania inter fideles succidenda, et ad novas propagines serendas, fructum in alias quoque Africae partes allaturas. 210.

CXLIV. Dimittente Ioanne Baptistâ Zino munus Vicarii Apostolici Gibraltariae, decernit Vicarium substituendum dignitate episcopali insignitum iri, illudque munus committit fr. Henrico Hugues Ordinis Minor. Obser. S. Francisci. 211.

CXLV. Corpus S. Exuperii Martyris in coemeterio Callisti repertum Societati Propagationis Fidei Lugdunensi donat; concedit insuper ut in ecclesiâ metropolitanâ Lugdunensi festum ipsius Martyris celebretur, et ut in eam Societatem cooptati plures lucrentur indulgentias, sive orantes ad corpus S. Martyris, sive statutis diebus nonnulla pietatis opera exercentes. 212.

CXLVI. Erigit Vicariatum Apostolicum latini ritus in Aegypto et Arabiâ, quem iam (an. MDCCCXXXVII.) constituendum decreverat, separato inferiori Aegypto a custodiâ Terrae Sanctae, et superiori a Vicariatu Apostolico Aleppi. Ibid.

CXLVII. Novo vicariatui Aegypti praeficit Perpetuum a Solero Episcopum Fesseilen. 213.

CXLVIII. Visitatorem Apost. patriarchatus Chaldaeorum deputat Franciscum Villardell Archiepiscopum Philippensem Delegatum Apostolicum Aleppi. 214.

CXLIX. Delegatum Apostol. in Aegypto et Arabia constituit, ipsius regionis Vic. Ap. latini ritus. 215.

CL. Augustinum Fernandez de Corduba eligit Praefectum Apostolicum missionum, et collegiorum Congregationis de Propagandâ Fide in Americâ Meridionali, cui facultates tribuit Commissario Generali Indiarum concedi solitas, quemque ad hoc iam renunciaverat Archiepiscopum Attaliensem. Ibid.

CLI. Mortuis pro fide Vicariis Apostolicis Tunquini Orientalis et eius coadiutore; Archiepiscopo Manilae, et provinciali Ordinis Praedicatorum in Insulis Philippinis potestatem delegat ut eis duos sufficiant in eodem respective munere ex regulari illâ eiusdem Ordinis familiâ assumendos, et dignitate episcopali donandos. 216.

CLII. Eamdem, quam superius, potestatem delegat Moderatoribus Seminarii Parisiensis Missionum ad exteros, ut eiusdem Seminarii alumnum in coadiutorem Vicarii Apostolici Tunquini Occidentalis deputent. 217.

CLIII. Fidelibus Tunchini et Cochinchinae scribit de saeviente persecutione, eosque hortatur ut Christum coram hominibus confiteantur. 218.

CLIV. De pace et concordia servanda in clerum saecularem et PP. Franciscales in aliquibus Hiberniae locis. 220.

CLV. Provinciam Chan-tong in Sinis separat ab episcopatu Pekinensi, eamque in Vicariatum Apostol. a R. Pontifice immediate dependentem erigit. 221.

CLVI. Vicariatum Apostolicum missionum Germaniae Septemtrionalium et Daniae, Episcopo Paderbonae concreditum, regendum in posterum decernit per Vicarium Apostolicum qui nullius dioecesis gubernandae onere distineatur, isque constituit ut Hamburgi resideat. 222.

CLVII. Ecclesiam Deiparae Virginis, in Monte Carmelo extructam, erigit in Basilicam minorem cum iuribus et privilegiis huic titulo adnexis. Ibid.

CLVIII. Commemoratis, quae a religione christiana et a decessoribus ordinata sunt ad servitutem imminuendam in Indiis atque Nigritiis, eorum commercium reprobat; prohibet etiam ne quis commercium illud uti licitum tueatur. 223.

CLIX. Fervente persequutione in Tunquino Occidentali facultatem confert Vicario Apostolico eiusque coadiutori, ut, si alter eorum e vitâ decedat, superstes ex missionariis Vicariatus sibi coadiutorem eligat Episcopum consecrandum illius ecclesiae in part. infid. quae ex morte alterius praesulis vacaverit. 225.

CLX. Ad avertenda religionis pericula ab Insulâ Mauritia, ad eam mittit Vicarii Apostolici munere et facultatibus praeditum Bernardum Collier Congregationis Anglo-Benedictinae. 227.

CLXI. Gratulatur Praesidi novi Instituti Catholici in Angliâ eo consilio invecti, ut catholici in fide serventur, et libri edantur ad vindicandam Ecclesiam ab haereticorum calumniis. Ibid.

CLXII. Intuitu Syrorum Chaldaeorum Malabaris Vicario Apostolico Verapolis in praesentia subiectis, qui antea Archiepiscopo Cranganorensi subiiciebantur, iisque optantibus, praefatum Vicarium ad titulum ecclesiae archiepiscopalis evehit. 228.

CLXIII. In amplissimo consessu consistoriali praedicat illorum virtutem, qui, in Tonquinensi persecutione, pro fide Christi sua corpora tradiderunt. 229.

CLXIV. Nicolao Isaiae Iacobi Babylonensis nationis Chaldaeorum Patriarchae sacrum pallium concedit. 231.

CLXV. Nova erectio Californien. in America. 233.

CLXVI. Nova erectio archiepiscopalis ecclesiae Sancti Iacobi in America meridionali olim episcopalis. 235.

CLXVII. Erectio episcopalis ecclesiae Sancti Caroli in America meridionali. 238.

CLXVIII. Occasione divisionis territorii inter Reges Belgarum et Belgii (vulgo *de'Paesi Bassi*), separatis a dioecesibus Leodiensi et Namurcensi pluribus civitatibus, oppidis, paroeciis etc., ex eorum nonnullis constituit vicariatum apostolicum Limburgensem; alia addit cum districtibus Ravestein et Megen vicariatui apostolico Buscoducensi, a quo tamen vicariatu separat oppidum de Lommel, quod Leodiensi dioecesi unit; alia tandem aggregat vicariatui Luxemburgensi. 241.

CLXIX. Erectio episcopalis ecclesiae de Serena in America Meridionali. 243.

CLXX. Statuit Abbatem S. Mauritii in inferiori Valesiâ pro tempore episcopali charactere decorandum esse, eique conferendum episcopatum Bethleem Syriae in partibus infidelium. 246.

CLXXI. Ex quatuor vicariatibus apostolicis Angliae regnum complectentibus octo constituit, unicuique nomine et limitibus assignatis. 248.

CLXXII. Regi Birmannorum gratias agit ob eius benevolentiam in Christianos, eique, additis nonnullis muneribus, illos cum Vicario Apostolico Avae et Pegù ac missionariis commendat. 249.

CLXXIII. Delegatum et Visitatorem Apostolicum intuitu fidei propagandae ad Abyssinos mittit Theodorum Abukarim Episcopum Italiensem, cui iam commissa fuerat cura catholicorum Coptorum Aegypti. 250.

CLXXIV. Deplorat impiorum conatus ad religionem evellendam; animum recreat suum recolendo Ecclesiae trium-

phos per apostolicos operarios; societatem propagationis fidei Lugduni institutam laudibus prosequitur; Praesules hortatur huius societatis incrementa fovere etc. 250.
CLXXV. Provinciam Yun-nan in Sinis segregat a vicariatu Sutchuensi, et erigit in novum vicariatum apostolicum, cuius curam committit seminario Parisiensi missionum ad exteros. 253.
CLXXVI. Superiori seminarii Parisiensis missionum ad exteros committit electionem Vicarii Apost. Yun-nan, charactere episcopali decorandi, ex missionariis eiusdem seminarii in Sinis laborantibus. 254.
CLXXVII. Mongoliam erigit in peculiarem vicariatum apostolicum a vicariatu Leao-tung disiunctum, eiusque curam tradit congregationi Missionis Sancti Vincentii a Paulo. Ibid.
CLXXVIII. Superiori generali Congregationis Missionis mandat ut novo vicariatui Mongoliae unum ex alumnis Congregationis praeficiat episcopali titulo decorandum. 255.
CLXXIX. Visitatorem apost. pro missione in Bosnia eligit. 156.
CLXXX. Respondet principi insularum Gambieres propriam conversionem ac pietatis opera ac praesertim templi aedificationem ex lapide susceptam Pontifici manifestanti; eum cum populo ad perseverandum allicit, et plura numismata ex auro et argento ad eum eiusque uxorem dono mittit. Ibid.
CLXXXI. Coadiutorem vicariatus apostolici Madraspatani, Vicarium Apostolicum Bengalensem seu Calcuttae constituit. 257.
CLXXXII. Antonium Mussabini Archiep. Smyrnarum Visitatorem Apostolicum eligit ad inquirendum de fide et moribus Graecorum et Albanensium regni utriusque Siciliae. Ibid.
CLXXXIII. Vicarium Ap. districtus Walliae in Angliâ Visitatorem deputat provinciae Anglicanae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae. 258.
CLXXXIV. Laudat Praesules provinciae Baltimoren. in Americâ ob celebratam IV. Synodum, et decreta ad fidem et disciplinam servandam promovendamque lata, quaeque Sedis Apostolicae examini subiecerant: eisque significat accepturos esse per literas S. Congregationis, quae peculiariter de decretis illis eorumque petitionibus statuerit. 258.
CLXXXV. Iacobo Holas Patriarchae Ciliciae Armenorum pallium tradit. 259.
CLXXXVI. Iacobum Holas Archiepiscopum Amasen. in Patriarcham Ciliciae Armenorum eligit. 260.
CLXXXVII. Patriarchae nationis Maronitarum scribit de subsidiis, quae catholicae nationes tribuunt ut Maronitis et ecclesiae apud illos belli vicissitudinibus afflictae succurrant. 263.
CLXXXVIII. Dominicum Lefebvre Vic. Ap. Cochinchinae missionis eligit, si Episcopus Metellopolitanus, non iam designato coadiutore, ex hac vita migraverit. Ibid.
CLXXXIX. Vicario Apost. Tunquini Occidentalis committit eligere et consecrare novum Vic. Ap. Cochinchinae, si Vic. Ap. et Coadiutor diem supremum obeant. 265.
CXC. Archiepiscopo Armacano et per eum ceteris Praesulibus Hiberniae gratulatur ob unanimem consensionem in iis excipiendis quae circa nationale instituendae iuventutis systema S. Congregatio responderat. 266.
CXCI. Separat a dioecesi Gandavensi eas paroecias provinciae Zelandiae, quae modo ditioni Regis Belgii *(Paesi Bassi)* subsunt, easque unit vicariatui apostolico Bredae. Ibid.
CXCII. Praesidi Reipublicae Haitarum in Insula S. Dominici commendat Episcopum S. Ludovici quem illuc mittit novum delegatum, ut damna Religionis ibi gliscentia, eius praesidio fultus, reparare possit. 268.
CXCIII. Nonnulla declarat et decernit circa missiones Custodiae Terrae Sanctae in Palaestina ac in vicariatibus apostolicis Syriae et Aegypti; poenitentiarios in urbe hierosolymitana constituit; tempus pro officialibus ac visitantibus ad sexennium prorogat. 269.
CXCIV. Ad consulendum gravibus Religionis et fidelium necessitatibus in Republicâ Haitarum, illuc mittit Delegatum Apostolicum Episcopum S. Ludovici in America septemtrionali. 271.
CXCV. Agit cum Praesulibus Hungariae de matrimoniis mixtis ab Ecclesia reprobatis; de causis et cautionibus quibus nonnunquam permittuntur, ac de improbando parochorum usu qui, nulla

accedente dispensatione nec cautionibus exactis, eisdem matrimoniis benedicunt. Praesules laudat quod hunc abusum passim sustulerint: permittit tamen, ipsis petentibus, ut, ad maiora mala evitanda, parochi materialem tantum praesentiam hisce matrimoniis, quae impedire nequeunt, exhibeant excepturi dumtaxat coniugum consensum; non omissuri tamen catholicum postea coniugem de obligationibus, quas habet, admonere. 272.

CXCVI. Respondet Arch. Parisiensi notam sibi esse novam Societatem pro missionibus in locis haereticorum Europae sitis, disiunctam ab illa *Propagationis Fidei* dicta; at ob graves rationes se optare ut eadem Societas exitum non habeat; responso adnectit literas S. Congegationis de re agentes et iudicantes, quid a fidelibus peragendum sit. 274.

CXCVII. Erigit in Vicariatum Apostolicum provinciam Texas in Americâ septemtrionali regendam per Vicarium Apostolicum episcopali dignitate fulgentem. 276.

CXCVIII. Michaeli Lewicki Metropolitae Ruthenorum unitorum gratulatur de R. P. primatu vindicato ex libris liturgicis, quibus Graeco-Russi et Rutheni utuntur; calumniam refellit eorum, qui asserunt Eccl. Cath. latini ritus avertere orientales a propriis ritibus, et de transitu ad alienum ritum docet. 277.

CXCIX. Dolet cum Vicario Apostolico Gibraltariae ac reprobat audaciam aedituorum eiusdem Vic. Apost. auctoritatem et Sacrae Congregationis contemnentium, et ad laicum magistratum appellantium. Monet eos in censuras incidisse, et optat ut in bonam frugem redeant. Declarat aedituorum munus a Vicario Apostolico pendere, cuius agendi rationem laudat, et ipsum iure prohibuisse ne pecunia occasione sacramentorum exigeretur. Sperat tandem gubernium pactae iam catholicae religionis libertati non defuturum. 282.

CC. Domino regionis Tigre in Abyssinia Desgiamaccio Ubie scribit de reditu ad fidem et de muneribus. 283.

CCI. Vicariatum Apostolicum Siamensem in duos partitur, quorum alterum Orientalem, alterum Occidentalem Siamensem praefinitis limitibus nuncupandum esse decernit, atque utriusque Vicarium constituit. 283.

CCII. Vicarium Apostolicum Coreae, iuxta modum, eligit. 284.

CCIII. Separat a dioecesi Regipolitanâ (Kingstoniensi) occidentalem provinciam Canadae superioris, et hanc in novum et distinctum ab illâ episcopatum erigit, cuius sedes ab Episcopo, qui illi statim praeficitur, determinanda sit. 285.

CCIV. Archiepiscopo Primati Armeno Constantinopolitano ad onus episcopale ferendum coadiutorem promittit, Archiepiscopum et gentem Armenorum paterna dilectione se prosequi fatetur. 286.

CCV. Iacobum Holas ab Episcopis nationis Armenorum in Patriarcham Ciliciae electum seu postulatum in ea dignitate confirmat. Ibid.

CCVI. Patriarchae Ciliciae Armenorum Iacobo Holas pallium concedit. 289.

CCVII. Patriarchae Hierosolymitano et Alexandrino nationis Graeco-Melchitae scribit de auxilio principibus demandato pro fidelibus eius ritus. 291.

CCVIII. Insulam Novae Scotiae, cui hactenus praeerat Vicarius Apostolicus, in episcopatum erigit, cûm sede in urbe Halifax. Ibid.

CCIX. Novo erecto episcopatui *Novae Scotiae* praeficit Guillelmum Fraser Episcopum Thanen. 292.

CCX. Vicarium Apostolicum Novae Hollandiae sive Australiae in tres episcopatus proprie dictos partitur, Sydneyensem, Hobartoniensem et Adelaidensem. 293.

CCXI. Sedem episcopalem Sydneyensem in Australia Metropolitanam constituit, cuius suffraganei sint Episcopi Hobartoniensis et Adelaidensis. 294.

CCXII. Disiungit a vicariatu apostolico Oceaniae Occidentalis curae concredito Societatis Lugdunensis B. M. V., plures regiones, quas in novum vicariatum apostolicum, Centralem nuncupandum, erigit, eidem Societati committendum. 295.

CCXIII. Coadiutorem Vicarium Apostolicum Oceaniae Centralis instituit. 296.

CCXIV. Novum vic. apost. Centrale nuncupatum, confectum ex terris disiunctis a vic. apost. Oceaniae Occidentalis, curae committit Petri Bataillon. Ibid.

CCXV. Guillelmum Donarre coadiutorem novi electi Petri Bataillon, vicarii apostolici Centralis vicariatus Oceaniae, eligit. 297.
CCXVI. Visitatorem Apostolicum in Archidioecesi Antibarensi, iuxta modum, eligit. 298.
CCXVII. Trium congregationum monachorum Basilian. Melchitarum in monte Libano, iuxta modum, visitat. apostol. decernit. Ibid.
CCXVIII. Hollandicam Missionem de Curaçao in Americâ Meridionali in vicariatum apostolicum erigit. 299.
CCXIX. Sedem Episcopalem, quam anno praeterito erexerat in provinciâ Occidentali Canadae superioris, in urbe Toronta figendam esse statuit, et graphice determinat huius dioecesis fines. 300.
CCXX. In America Septemtrionali dividit a dioecesi Carolipolitanâ novam Brunopolim seu Brunswik, eamque in proprie dictam dioecesim a Carolinopolitanâ distinctam constituit. 301.
CCXXI. Novum instituit Vicariat. Apostolicum qui Guineam superiorem atque inferiorem, et regionem *Sierra Leone,* complectatur. Ibid.
CCXXII. Rectori Piae Cathecumenorum Domus Urbis parochialem iurisdictionem concedit super ibi morantes et domicilium habentes. 302.
CCXXIII. Abbati generali FF. Armenorum Ordinis S. Antonii gratulatur de eius confirmatione in abbatia a Cap. Gen. Ordinis statuta. 303.
CCXXIV. Respondet Abbati generali Congregationis Anglo-Benedictinae sibi Capituli generalis celebrationem ac simul Monachorum studium erga Sedem Apostolicam et regularem observantiam significanti. 304.
CCXXV. Administratorem apost. dioecesis Nanchinensis consolatur ob aerumnas quas ipse patitur; eumque monet per s. Congr. cogniturum quid ab ipso agendum quoad sacerdotes et Societatem Iesu. Ibid.
CCXXVI. Electionem seu postulationem Michaelis Der-Asdnazarian Archiepiscopi Cesareae in Patriarcham Ciliciae confirmat. 305.
CCXXVII. Pallium concedit Michaeli Der-Asdnazarian in Patriarcham Ciliciae electo. 308.
CCXXVIII. Fr. Fidelis Sutter a Ferrara Vicarius Ap. missionis Tunetanae nominatur episcopali charactere haud insignitus. 310.
CCXXIX. Missionem Tuneti in Africâ in Vicariatum Apostolicum erigit. 311.
CCXXX. Suppressio ecclesiae Truxillen. et erectio ecclesiae de Chachapoyas in America. Ibid.
CCXXXI. Iosephum M. de Silva Torres Archiepiscopum Goan. eligit. 315.
CCXXXII. Archiepiscopo Goano Iosepho a Silva Torres mentem suam aperit de eius nominatione, quae iuxta lit. *Multa praeclare* est intelligenda; monet eum nullam exercere posse iurisdictionem in regionibus, quae Vic. Ap. traditae sunt regimini, etsi antea Archiepiscopo Goae subiicerentur. 316.
CCXXXIII. Electum Episcopum Macaonensem monet exercere non posse iurisdictionem in iis regionibus, olim ad Macaonen. Ep. pertinentibus, quas Sedes Ap. aliis regendas tradidit. 317.
CCXXXIV. In Pensylvaniâ Occidentali, quam ab episcopatu Philadelphiensi separat, novam sedem episcopalem erigit in civitate Pittsburgensi collocandam, et Baltimorensi suffraganeam. 318.
CCXXXV. Novam episcopalem sedem Petriculae in foederatis Americae septemtrionalis regionibus constituit, cuius dioecesis statum Arkansas complectatur. 319.
CCXXXVI. Erigit Vicariatum Apostolicum in regionibus trans Montes Saxeos positis et Columbiam seu Oregon appellatis in Americâ Septemtrionali, quarum pars ad Archiepiscopum Quebecensem, pars ad Episcopum S. Ludovici hactenus spectarunt. Ibid.
CCXXXVII. Ad Archiepiscopum Baltimorensem et Episcopos eius suffraganeos scribit de quinto provinc. concilio celebrato. 320.
CCXXXVIII. Dismembratio territorii a dioecesi Ilascalensi cum erectione novae sedis episcopalis de Vera Cruce. 321.
CCXXXIX. Exemptio Ecclesiarum Sancti Thomae atque Angolen., in Africa a iure metropolitico sedis archiepiscopalis SSmi Salvatoris in Brasilia, earumque subiectio iurisdictioni Patriarchali Lisbonen. 327.
CCXL. Carolum Pooten administratorem apostolicum archidioecesis Antibarensis nominat. 328.

CCXLI. Carolo Pooten administratori archidioecesis Antibarensis titulum ecclesiae Maronien. sub Arch. Traianopolitan. confert. 329.

CCXLII. Vicario Apost. Guineae titulum episc. ecclesiae Eucarpien. confert relicto titulo Constantinen. 330.

CCXLIII. Queritur cum Episcopo Neo-Aurelianensi de conatibus aedituorum contra potestatem episcopalem; quos improbat, illosque monitos vult ut resipiscant, ne poenis ecclesiasticis plectantur. 331.

CCXLIV. Regiones ad Sinum Hudsonium et Iacobinianum (vulgo *Baje d'Hudson et de James*) ab archiepiscopatu Quebecensi separat, et in Vicariatum Apostolicum constituit, cuius fines determinat. 332.

CCXLV. De Societatis Biblicae conatibus contra Verbum Scripturarum scribit; calumniasque de prohibita Scripturarum lectione refutat; contra molimina sociorum *Foederis Christiani* antistites et populos edocet etc. 333.

CCXLVI. Librum gallice conscriptum *Paroles d'un Croyant,* quo populi corrumpuntur ad ordinem socialem dissolvendum, damnatum esse decernit. 338.

CCXLVII. Numerum dierum festorum coercet pro locis dominio subiectis serenissimae Lusitaniae et Algarbiorum Reginae. 340.

CCXLVIII. Fr. Fidelis Sutter a Ferrara Vicarium Apostolicum Tunetanae missionis eligitur Episcopus Ecclesiae Rosaliensis. 341.

CCXLIX. Iura metropolitica sedi Quebecensi tribuit, tres sedes episcopales ei suffraganeas assignat, Marianopolitanam, Kingstoniensem et Torontinam, et Episcopis Carolinopolis, Novae Brunopolis et Halifax praecipit, ut Concilio provinciali Quebecensi, cum celebratur, intersint. 342.

CCL. Melanesiae et Micronesiae vicariatus apostolicos erigit, separans eas regiones a vicariatu Oceaniae occidentalis, definit utriusque limites novi vicariatus, ambos interim per unum tantum Vic. Apostolicum regendos statuit, et curam utriusque tradit Societati Lugdunensi B. M. Virginis. Ibid.

CCLI. Ab orientali Oceaniae missione Sandwichianum Archipelagum dividit, et ex eo vicariatum apostolicum constituit, concreditum Societati Ssmorum Cordium Iesu et Mariae. 343.

CCLII. Episcopatum Halifaxiensem in Novâ Scotiâ in duos dividit, et unicuique suos fines assignat. 344.

CCLIII. Provisio patriarchalis ecclesiae Antiochen. Syro-Maronitarum pro Archiepiscopo ab Episcopis et clero nationis Syro-Maronitarum electo et postulato, cum approbatione electionis et postulationis, sanatione defectuum ac decreto emittendi fidei professionem ac iuramentum fidelitatis praestandi. Ibid.

CCLIV. Pallium pro Patriarcha Antiochen. Syro-Maronitarum Iosepho Gazeno ex ecclesia archiepiscopali in ipsam patriarchalem translato concedit. 350.

CCLV. Archipelagum ab Amicis disiungit a vicariatu apostolico Oceaniae Centralis, et unit, donec aliter statuatur, vicariatui Oceaniae Occidentalis. 351.

CCLVI. In Indostano novum constituit vicariatum apost., Patnâ nuncupandum, cuius fines describit, et cuius regiones a vicariatu Agrae seiungit. Ibid.

CCLVII. Abbati generali Ordinis S. Antonii in Libano Armeni ritus, et ex-generalibus, concedit pontificalium usum in sacris ritibus celebrandis, annulum autem extra sacros ritus et Abbati generali etiam crucem pectoralem; Abbatibus vero actu monasteria regentibus annulum, et in sacris ritibus etiam baculum. 352.

CCLVIII. Graviter queritur cum Archiepiscopo Goae quod, contra promissa Internuntio pontificio facta et commendationem ac monita Sedis Apostolicae, specie adducta Bullarum propriae institutionis consuetâ formulâ conscriptarum, eiusdem Sedis literas et decreta despexerit, iurisdictionemque usurpaverit in regiones Vicariis Apost. concreditas, atque occasionem schismati praebuerit; eumque hortatur ut, memor promissorum et iuramenti quod consecrationem recipiens emisit, simul etiam obedientiae Cathedrae Petri debitae, resipiscat. 353.

CCLIX. Novum erigit episcopatum in Australiâ occidentali cum sede in urbe Perth, eius territorium abstrahens ab archidioecesi Sydneyensi, cuius Archiepiscopi suffraganeus sit novus Episcopus Perthensis. Huic autem Episcopo subiicit insuper districtus Essington et Sonde tamquam duos Vicariatus

Apostolicos, ab ipso, donec erigantur in dioeceses, regendos. 355.
CCLX. Duos ex moderatoribus Seminarii Parisiensis Missionum ad exteros impense laudat, et, commemoratis laboribus in missionibus ab alumnis eiusdem instituti exantlatis, corpus b. martyris Phosphori eidem Seminario donat propediem mittendum. 356.
CCLXI. Confirmat Institutum Monachorum Chaldaeorum S. Hormisdae Ordinis S. Antonii, ac monachis observandas proponit regulas pro Antonianis Maronitis a Clemente XII. approbatas, nonnullis tamen in illis mutationibus factis per S. Congregationem patefaciendis. Ibid.
CCLXII. Prorogat ad viginti annos facultates a Leone XII. Praeposito gener. S. I. concessas. 357.
CCLXIII. Missionem Tunquini in duos vicariatus distinctos dividit. Ibid.
CCLXIV. Provinciam Kouei-Kou a vicariatu apost. Sutchuensi in Sinis separat et in novum distinctum vic. apost. erigit. 358.
CCLXV. Iaponiae regnum, iuxta modum, in vicariatum ap. erigit. 359.
CCLXVI. Provincias Tche-Kiang et Kiang-Si in Sinis in duos vicar. ap. dividit iuxta modum. Ibid.
CCLXVII. Regiones medii atque inferioris Thibeti in vicariatum ap. erigit ex urbe Lassa nominandum. 360.
CCLXVIII. Africanum territorium inter definitos limites in novum vicariatum ap. erigit. 361.
CCLXIX. Africanum territorium ad meridiem Abissiniae a populis *Gallas* habitum in novum vicariatum apost. erigit. Ibid.
CCLXX. Novo vicariatui apost. inter populos *Gallas* in Africa erecto Guillelmum Massaia Ep. Cassiensem praeficit. 362.
CCLXXI. Manduriensem vicar. ap. in Indiis Orient. Soc. Iesu committit adiectis conditionibus et praevia limitum definitione. 363.
CCLXXII. Iulio Alexio Soc. Iesu presbytero novo vicariatui Manduriensi praeficiendo titulum ep. eccl. Tamassen. in insula Cypri confert. 364.
CCLXXIII. Alexium Canoz presbyt. Soc. Iesu novo Manduriensi vic. ap. in Indiis Orientalibus praeficit. 365.
CCLXXIV. Dolet de matrimoniis mixtis ab Ecclesia vetitis in Friburgensi dioecesi invectis, ac laudat Episcopum doctrinam Ecclesiae in eâ re promoventem et abusus tollere conantem; pluribus confirmat, et ubique valere asserit, benedictionem in iisdem matrimoniis impertiri non posse quae contrahantur sine dispensatione et cautionibus, etsi alicubi ob invectam consuetudinem toleretur ut iis benedicatur, si dispensatio et cautiones praecesserint. 366.
CCLXXV. Fidelibus reipublicae Cile, vulgo *Chile,* iuxta modum *Bullae Cruciatae* indultum concedit. 369.

SUPPLEMENTUM

I. Prospectus Collegii Urbani S. Congregationis de Prop. Fide, atque eiusdem alumnorum ad scientiarum studia et ad sacerdotium institutionis. *pag.* 371.
II. Regulae pro Collegiis Missionum Ordinis Capucinorum. 373.
III. Regulae Praesulibus Missionum traditae pro institutione cleri indigenae. - Instructio S. Congregationis de Prop. Fide ad Archiepiscopos, Episcopos, Vicarios Apostolicos aliosque missionum Praesules. 376.
IV. Constitutiones monachorum Syrorum Maronitarum Ordinis Sancti Antonii Abbatis Congregationis Montis Libani. 381.

INDEX

DOCUMENTORUM QUAE IN NOTIS HUIUS VOLUMINIS INVENIUNTUR

DOCUMENTA PONTIFICIA

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad summi Dei gloria *pag.* 65.

PIUS PP. VI.

Multo gaudio 67.

GREGORIUS PP. XVI.

Apostolatus officium 70.
Apostolatus officium 78.
Nobilissimum Graeciae 105.
Serius quam optavissemus 108.
In hoc amplissimo 109.
Apostolatus officium 156.
Apostolatus officium 188.
Etsi de VV. FF. NN. 204.
Apostolatus officium 213.
Apostolatus officium 225.
Benedicti XIV. 286.
Successione Patriarcharum 305.
Pastorale officium 332.
Ob mortem Antiocheni Patriarchae 344.
Pro apostolici nostri 363.

DOCUMENTA EX ACTIS S. C. DE P. F.

Litera *Epistolam quam* ad Archiepiscopum Primatem Constantinopolitanum. *pag.* 86.
Litera *Perspicuum* de Synodo Prov. Baltimorensi. 96.
De eodem Synodo decretum *Cum ad religionis*. 97.
Litera *Sempre gradisce la S. Congregazione* ad Archiep. Primat. Constantinopolitanum. 135.
Litera *Sonosi quasi ad un tempo* - de opera fidei propagatione. 275.
Decretum de Missione Thunetana. 310.
Decretum de V. Balt. prov. synodo. 320.
Epistola de eodem argumento. 320.
Instructio *Memores* ad Arch. et Ep. Hungariae regno de matrimoniis mixtis. 366.
Instructio *Cum Rom. Pontifex* ad Arch. et Epis. Austriacae ditionis de eodem argumento. 267.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Patriarcha Constantinop. Vicesgerens.

